00082858

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 17 May, 2019

MVSEI ETRVSCI

VOLVMEN III.

TABVLAS C. EXHIBENS.

U.a.7

MVSEVM
ETRVSCVM
EXHIBENS INSIGNIA
VETERVM ETRVSCORVM
MONVMENTA

AEREIS TABVLIS C. NVNC PRIMVM

EDITA ET ILLVSTRATA

OBSERVATIONIBVS
ANTONII FRANCISCI GORII
PVBLICI HISTORIARVM PROFESSORIS

ADCEDVNT

V. C. IO. BAPTISTAE PASSERII I. C. PISAVRENSIS

DISSERTATIONES V. QVAS SVBIECTVS ELENCHVS DECLARAT

NVNC PRIMVM EDITAE.

VOLVMEN TERTIVM.

vol 7
82858




FLORENTIAE. ANNO. CIↃ.IↃ.CC.XXXXIII.

REGIO PERMISSV IN AEDIBVS AVCTORIS PVBLICE PATENTIBVS

EXCVDIT CAIETANVS ALBIZINIVS TYPOGRAPHVS.

Lat 731.8T
Gor/ Mus
82858
00082858



PRAESVLI AMPLISSIMO

MARIO GVARNACCIO

PATRICIO VOLATERRANO
VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIO
ET SIGNATVRAE IVSTITIAE VOTANTI
FIRMANAE CONGREGATIONIS A SECRETIS MERITISSIMO
LATERANENSIS BASILICAE CANONICO.

ANT. FRANCISCVS GORIVS D. D.



MNIVM gentium iudicio conſenſuque probatum eſt, viros illos genere & auctoritate praeſtantes, qui de patriae gloria, de civium commodis, atque ornamentis egregiè meriti ſunt, ſummis *laudibus, atque honoribus* dignos eſſe: eos vero, qui ſtudioſorum animos ad illuſtrandas bonas litteras, atque honeſtiſſimas artes liberaliter adliciunt, hortantur, inflammant, ad Deum ipſum, bonorum omnium largitorem providentiſſimum, quammaxime

ad-

adcedere, conſtanter creditum: teſtatumque publicis ac privatis monimentis & laudes & honores omnes, qui cumulate iiſdem tribui poſſunt, longe antecellere. Quid enim inter mortales illuſtrius, quid maius, ſplendidius, auguſtiuſve, quam praeclara ingenia ad litteras excitare? quid Deo Optimo Maximo aut gratius, aut acceptius, quam vires, induſtriam, opes ad ornandas amplificandaſque veteres diſciplinas & artes conferre? Aluntur enim & creſcunt ſtudia litteratum eximia Fautorum liberalitate, ac veluti benefici ſideris fulgore conluſtrata, longe lateque vigent atque efflorescunt. Hinc clariſſimarum urbium orta celebritas: hinc nomen, ac decus ſempiternum. Nemo plane eſt, qui tam ſingularis in humanum genus beneficii recordatione non geſtiat mirifice atque oblectetur: nemo qui non fateatur ad hanc dignitatem, ſplendorem atque amplitudinem ingenuas litteras evehi minime potuiſſe, ſi a Deo orti datique benefici Inſtauratores, litteratis viris tamquam ſalutares Genii aliquando non adfuiſſent. Qua ratione & conſilio in ipſo huiuſce Operis veſtibulo haec a me dicantur, probe intelligis, PRAESVL DOCTISSIME AC REVERENDISSIME: nempe ut ſincera hac grati erga Te animi mei ſignificatione publice teſter, quantum Tibi debeant haec mea in proferendis illuſtrandiſque Etruſcis Antiquitatibus ſtudia; nam ut ea hilari lubentique animo iterum ſuſciperem, nec cederem malis; ſed contra audentior irem, Te non Hortatorem tantum amantiſſimum, ſed Auſpicem munificum, Patronum liberalem,

ralem,

ralem, atque, ut ita dicam, Herculem alterum Muſagetem nactus ſum feliciſſime. Quum enim aſpera haec & difficillima tempora me quammaxime urgerent, functuſque aliis curis quieſcere vellem, ad hanc ſpartam rurſus alacriter capeſſendam me evocaſti, apertis immortalibus tuis curis ac magnis impenſis Volaterranarum Etruſcarum Antiquitatum theſauris, quos, annorum decem ſpatio perfoſſis egeſtiſque terrae viſceribus, in apricum, ut litterariam rem publicam novis hiſce eruditionis praeſidiis atque ornamentis locupletares, mira ſolicitudine produxiſti. Conſilium hoc tuum plane divinum, tuorumque ornatiſſimorum Fratrum germanorum IOANNIS, ex Equeſtri Ordine Divi Stephani, Praepoſiti Cathedralis Eccleſiae Volaterranae, & PETRI Equitis Hieroſolymitani, qui de Antiquitatibus Etruſcis, deque hiſce meis laboribus egregie meriti ſunt, declarandum curaſti, inſcripto marmore praepoſitoque conclavibus MVSEI tui locupletiſſimi ac celeberrimi, quo perpetuo conſtet, Te paene innumera Etruſcae gentis Monumenta, quorum ſelectior pars tuo nobilitata atque illuſtrata clariſſimo nomine nunc primum in hoc Volumine in lucem prodit, in patriae tuae decus & ornamentum, excitatis cum civium, tum litteratorum hominum ſtudiis & curis, aeternitati conſecraſſe. Neque mirandum eſt, ſi tua in his ſtudiis iuvandis amplificandiſque tota ferme Italia atque Europa pervulgata fama ita increbuit, ut non ſolum noſtri, verum & exteri quoque viri Antiquitatis cultores ad haec Etruſca

ve-

vetuſtiſſima monumenta perluſtranda frequenter adcedant , & certatim confluant , ut tam erudito ſpectaculo fruantur . Sed neque his finibus contineri potuit tua in inveſtigandis priſcorum Artificum operibus eximia ſolertia ; & ſtudium incredibile ; nam Romae quoque multas inſignes Graecorum Sculptorum marmoreas ſtatuas magnis ſumtibus conquiſiviſti , ne quid dicam de ſcriptis lapidibus antiquis , de numis , de ſigillis , aliiſque eruditae Antiquitatis deliciis , quas publico litterarum bono tibi comparaſti , quae etiam tuis obſervationibus egregie *illuſtraſti* . Perinſigne etiam eſt in Palatio Priorum , & nobiliſſimi Magiſtratus Volaterrani MVSEVM PVBLICVM , Etruſcorum Maiorum antiquis Sepulcris refertiſſimum ; ſed quod iſtud principe in loco ſplendidiſſimoque conſtitutum ſit , cautumque , ne praeclara haec patriae Monumenta extra domeſticos Lares ſuos *adſportarentur* , hominumque *iniuria ſordeſcerent* , labefactarentur , perirent , optimum ac ſalutare conſilium fuit immortalis Viri NICOLAI GVARNACCII Patrui tui , Equitis Ornatiſſimi : qui horum ſtudiorum aeſtimator egregius , praeclaris quoque functus muneribus in regia Mediceorum Principum Aula , perindeac complures alii e GVARNACCIA Gente Maiores tui nobiliſſimi , non minorem laudem prudentia , fide , integritate ita adeptus eſt , ut eorum benevolentiam , & ſapientum hominum exiſtimationem meruerit . Vt enim haec Monumenta Etruſcae Vetuſtatis colligerentur , elegantique ſerie publico in loco exponerentur , me id

eni-

enixe poſtulante, quum ipſe Volaterrani Magiſtratus Praepoſituram anno CIↃ.IↃ.CC.XXXII. gereret, ita mentem ac deſiderium ſuum propoſuit, ut cuncti Proceres ac Cives tam ſapiens glorioſumque conſilium laudarint, ac lubentiſſime ſint amplexati. Haec enim laus ingenita propriaque fuit Maiorum tuorum, qui pace ac bello domi foriſque ſemper inclaruere; gloriae nimirum, atque utilitati patriae ſuae conſulere: Vrbis decus & maieſtatem ſarctam tectam tueri: & omnibus, qui honeſtatem, & optimas artes colunt, opitulari, ac benefacere. His praeclariſſimis laudibus omnium civium animos in ſe convertit, omniumque amorem ſibi conciliavit BLASIVS ille vir fortiſſimus ac laudatiſſimus, qui anno MCCLXXX. ob egregia prudentiae ac virtutis ſuae merita in Volaterrana Republica adminiſtranda tuendaque principem locum tenuit. His FRANCISCVS eius inclitus filius, qui ob invictum animi robur, eximiamque in cives caritatem, eiuſdem Reipublicae, ac Volaterranae Libertatis Dux & Propugnator fuit, nec alio plane nomine, honoris gratia, tunc maximae auctoritatis, ac ſplendoris, ſtrenuus hic Vir adpellatus eſt: qui etiam apud Florentinos, qui contra Piſanos bellum ſuſceperant, Legati munus perhonorifice geſſit, eloquentia, atque animi magnitudine probatiſſimus. Nec minori nominis celebritate ornatus occurrit mihi FRANCISCO parenti ſuo par IOANNES GVARNACCIVS, qui anno MCCCXXVI. Dux & Rector fuit Oppidorum atque Arcium Volaterranae Vrbis: & apud Florentinos

non ſemel ad graviſſima negotia gerenda praeclaris legationibus ſumma cum laude perfunctus eſt, ut in priſcis patriis Annalibus, atque etiam in noſtris Tabulariis legitur. Sed ſingula virtutis & gloriae monimenta illuſtrium tuae Gentis Procerum clariſſima in luce poſita, ſupervacaneum eſt recenſere (*nam fortes creantur fortibus & bonis*) eximiae vero animi tui dotes & praeclara tua in Pontificia Aula merita, non Te ſolum, ſed & Maiores tuos tam maxime illuſtrant, quam comitantur. Illud vero nunc de Te dumtaxat praedicandum ſuſcipio, ob eximiam tuam publica etiam luce teſtatam cum Graecae tum Latinae atque Etruſcae eruditionis praeſtantiam, ob eloquentiam, ob ſcientiam Pontificii Iuris, ſpectatamque in iure dicundo, & in rebus arduis adminiſtrandis prudentiam; ob indefeſſum, omnibuſque exploratum Eccleſiaſticae diſciplinae illuſtrandae ſtudium: ob eximiam doctrinam, morum honeſtatem, iuſtitiae tenacitatem probitatemque, Te duobus totius Chriſtiani Orbis Hierarchis Optimis Maximis, nempe CLEMENTI XII. & Sapientiſſimo BENEDICTO XIV. in Divi Petri Cathedra feliciſſime nunc ſedenti, adprime carum gratumque fuiſſe, atque etiam nunc eſſe: quod decus profecto praeclarum ac memorandum nonniſi Viris de ſupremi Sacerdotii maieſtate & gloria optime meritis, maximeque cordatis ac ſapientibus tanto cum iudicio ac laude contingere ſolet. Quod vero praeceptis inſtitutiſque Philoſophiae egregie abundas, nil mirum ſi litteratos homines colis, tuaſque aedes his pa-

te-

tere ſemper iubes: ſi abſentes quoque omnibus humanitatis & benevolentiae officiis in tui amorem atque exiſtimationem rapis: ſi Romae Te ampliſſimi ordinis Viri ſummopere diligunt ac ſuſpiciunt: probe enim animo tuo nobiliſſimo illud haeret atque infixum eſt, quod praeclare ex Platone Cicero adnotatum reliquit, non nobis ſolum natos eſſe; quoniam ortus noſtri partem patria, partem parentes, partem amici vendicant. Fruere igitur quamdiutiſſime parta tuis praeclaris virtutibus ac meritis fama ac nominis claritudine: quae quidem eximia tua merita ſi in Romano omnis Sapientiae & Honoris domicilio in dies creſcunt, ut creſcant etiam neceſſe eſt debita Tibi gloriae decora atque ornamenta, quae digna ſint Viro Praecellentiſſimo, de Pontificia Sede, de litteris, deque augmento & ſplendore liberalium diſciplinarum optime merito. Accipe igitur, PRAESVL PRAESTANTISSIME, hoc ſi minus ingenii, laboris ſaltem & induſtriae meae non exiguae monimentum, tuaeque ſapientiae luce, nominiſque claritate illud tuere. Hoc enim apud omnes perpetuo teſtatum volo, quantum Tibi debeant hae meae qualeſcumque ſint vigiliae ac lucubrationes, quarum ampliſſima merces & praemium ſit ipſa tua ſingularis in me humanitas, & ea, qua me complecteris, uti nunc facis, & ut ſpero quoad vixero facies, incredibilis benevolentia. Alia video non pauca in Te laudanda ſupereſſe: ſed quoniam intra certos cancellos me cohibuit modeſtia tua, in aliud tempus hanc curam reiicio:

quod vero nunc egregie me reficit ac ſolatur, illud eſt quod nemo, ut ſperare perlubet, erit, qui quum Te probe noverit, haec pauca, candido animo, ac ſincera mente, me dixiſſe non arbitretur. Vive igitur felix quamdiutiſſime, ut, Te ſoſpite, litterarum decus, Antiquitatum theſauri, inclitae patriae tuae ornamenta quammaxime ſemper clareſcant & augeantur. Te demum eruditae Vetuſtatis Inveſtigatorem eximium Horatii laudibus dimittam:

O & praeſidium, & dulce decus meum:

Hunc ſi nobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;

Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros, Attalicis conditionibus.

DEDICATVM VIII. KAL. OCTOBREIS AN. CIↃ.IↃ.CC.XXXXIII.

AD



AD LECTOREM

PRAEFATIO

ANT. FRANCISCI GORI.



N duobus iam editis MVSEI ETRVSCI Voluminibus complura Tabulis CC. antiqua ETRVSCORVM monumenta, e ditiſſimo Eruriae penu depromta, expoſui: alia nunc (quod felix, fauſtum, fortunatumque mihi ſit) Tabulis C. profero plane inſignia, atque omnigenae eruditionis fruge referta: qua in re imitari me arbitror conviviorum ἐπιφορήματα, ſeu veterum menſas ſecundas, quas ciborum lectiſſimorum ſuavitate, vinorum optimorum pretio, coronarum unguentorumque feſtivo luxu longe primis opulentiores, atque etiam exquiſitiores fuiſſe, docet Athenaeus (1), adlata Pindari in Olympionicis auctoritate. Hiſce vero epulis deguſtandis haud interſint invidi vitiligatores, qui aliorum liberali ſymbola vel ſpreta vel imminuta, cuiuſdam gloriae ſuae brevi intermoriturae aucupia omnia ſectantur; ſed adſint lautis manibus eruditae Vetuſtatis cultores, qui priſci aevi deli-

(1) Deipnoſoph. Lib. XIV. Cap. XI. 318.

delicias aequo iudicio plurimi faciunt, meque, in iuvandis optimis litteris, nullis laboribus ac ſumtibus parcentem, benigno favore & ſincera benevolentia complectuntur.

Volumen hoc in priore miſſu exhibet ſplendidiora atque auguſtiora antiquorum Tuſcorum aedificia, quae ad haec uſque tempora poſt innumeras temporum, bellorum fatorumque viciſſitudines ſuperſunt: quae profecto certiſſimis documentis oſtendunt, quanta & qualia fuerint inclitae huius nationis ingenia, quae ſtudia, quae artes, & quantam in publicis privatiſque aedificiis maieſtatem ac magnificentiam maiores noſtri oſtenderint. Inter haec principem locum tenent moenia, e quadratis immaniſſimarum molium lapidibus mira arte conſtructa: & quod vix credi poſſet, ni quae exſtant ingentes reliquiae ſpectantium oculis teſtarentur, in ipſis montium culminibus condita, immenſo plane opere, maximis impendiis, inſanis ſubſtructionibus, circuitu, altitudine, & amplitudine perquaminſignia atque admiranda. Quoties ea contemplor, quaſi praeſentem, toties audio Plinium Caecilium Secundum, ita adloquentem Maximum, in provinciam Achaiam ad eam ordinandam miſſum (1): *Reverere conditores Deos, & nomina Deorum: reverere gloriam veterem, & hanc ipſam ſenectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus ſacra eſt: ſit apud te honor antiquitati: ſit ingentibus factis: ſit fabulis quoque.* Adptari etiam non inepte Etruſcorum gloriae poſſunt, ea quae mox idem Plinius ſubiungit; quum Romani Etruſcis debeant originis ſuae gloriam & incrementum, ſuſcepta Magiſtratuum inſignia, potiſſimum vero ſacra, quae ad veterem pertinent Religionem: *Habe ante oculos hanc eſſe terram, quae nobis miſerit iura, quae leges non victis, ſed petentibus dederit: Athenas eſſe, quas adeas.* Et paullo poſt: *Recordare, quid quaeque civitas fuerit; ut non deſpicias, quod eſſe deſierit.*

Hinc ſaepenumero mecum ipſe miratus ſum, cur viri docti, praeſertim vero cives, patriarum urbium gloriae, ut decet, ſtudioſiores, inſigniora haec monumenta, dubio procul aeterno nomine ac luce digniſſima, Tabulis delineata non propoſuerint; ſiquidem iure ac merito antiquae Tuſcanicae Architecturae miracula quaedam a ſapientibus viris cenſentur. Sunt enim plane publica

(1) Lib. VIII. Epiſtol. XXIV.

blica huiuſmodi aedificia, praeſertim arces & moenia, quae ſacra & auguſta adpellavit priſca patrum aetas, inſigniora urbium decora atque ornamenta. Huc faciunt, quae paullo ante a me laudatus Plinius ad Gallum ſcribit (1), quum mirabilem Vadimonis lacum non deſcribit tantum, ſed ante oculos amici ſui ponit: *Ad quae noſcenda iter ingredi, tranſmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu quia ita natura comparatum, ut proximorum incurioſi, longinqua ſectemur: ſeu quod omnium rerum cupido langueſcit, quum facilis occaſio eſt: ſeu quod differimus, tanquam ſaepe viſuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Quacumque de cauſa, permulta in urbe noſtra, iuxtaque urbem, non oculis modo, ſed ne auribus quidem novimus. Quae ſi tuliſſet Achaia, Aegyptos, Aſia, aliave quaelibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta, luſtrata haberemus.*

Haec igitur priſca Etruſcorum aedificia ob oculos doctorum hominum nunc primum proponere ſtudium eſt meum longe iucundiſſimum, quorum pulchritudinem, decus, magnificentiam, vetuſtas ipſa quam longe maxima commendat. Primum igitur in conſpectum veniunt VOLATERRANORVM ETRVSCORVM moenia, quae pluribus in locis licet diruta ſint; in multis tamen ad hoc tempus exſtant & perennant, & quidem ea altitudine, quam ſubiecta Tabula fideliter declarat: vel ubi ſunt fere aequata ſolo, ingentes tamen ruinas, & capita, quae ex humo longo circuitu ſe adtollunt, oſtentant. Integriorem atque oculis iucundiorem moeniorum partem delegit Stephanus Maffius Architectus Volaterranus, peritia & diligentia nulli ſecundus, qui, me rogante, pro gloria patriae ſuae, & huiuſce mei Operis ſplendore, labores omnes ſingulari humanitate exantlavit. Ipſe etiam reliquas Volaterranorum aedificiorum Tabulas, quas adfero, egregie delineavit.

Iactat etiam CORTONA ſuperborum aedificiorum, quae priſcorum patrum magnificentiae magniſque auſibus conveniebant, ingentes moles ac rudera. Hanc in moeniorum reliquiis, & in integra Crypta admirandi operis, quae paene intacta ſupereſt, non ſine incredibili voluptate cernimus. Labor hic in delineandis, & ad ſubiectam in Tabulis menſuram ſingulos ingentes lapides exigendis,

pa-

(1) Lib. VIII. Epiſtol. XX.

parem animum, diligens ſtudium, eruditionem egregiam invenit in Ornatiſſimo Patricii generis Viro Galeocto Corazio, Equite Ordinis D. Stephani, qui Cortonenſia, quae nunc primum ſubiicio vetuſtiſſima monumenta, ut clariſſimae patriae ſuae gloriae conſuleret, votiſque meis faceret ſatis, a ſe delineata, humaniſſime ad me miſit. Reliquias moeniorum FAESVLANORVM, ipſe peraccurate delineavi: idem in reliquis Etruriae Vrbibus facturus, ſi otium fuiſſet, & ſingulas, ſuſcepto alio Itinere, perluſtrare potuiſſem. Horum operum, praeſertim Etruſcorum, perpetuus laudator, atque admirator Virgilius, haec cecinit (1):

Adde tot egregias urbeis, operumque laborem,
Tot congeſta manu praeruptis oppida ſaxis.

Et paullo infra (2):

——————— *ſic fortis* ETRVRIA *crevit:*
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima ROMA,
Septemque una ſibi muro circumdedit arces.

Vrbium Etruſca moenia portae excipiunt: quarum etiam ſpecimen aliquod exhibere volui. Sed omnium, quae adferri poſſunt, ſplendidiore in loco ſufficiat Volaterranae urbis ſubiicere ac ſpectare Portam, immenſae propemodum vaſtitatis & operis: quo monumento Tuſcanicoque opificio omnium inſigniſſimo, nullum hodie auguſtius, illuſtrius, magnificentius nullum tota Etruria, &, ut opinor, alibi exſtat. Ea Porta hodie vulgo *ad Arcum* adpellatur, corrupto, uti videtur, antiquiore vocabulo; quum olim, ut e vetuſtis monumentis cives eruunt, a proximo Herculis delubro nomen ab antiquis Etruſcis accepiſſe traditum ſit. Herculem urbium praeſidem fuiſſe apud Etruſcos, priſca monumenta teſtantur. Ita etiam Phoenices, qui eandem ab Aegyptiis originem cum Etruſcis habuere, Herculem *Melicarthum* vocarunt, propter tutelam urbium, quorum lingua *cartha* oppidum, ſive urbs dicitur (3): *Melech* vero *Rex*, unde *Rex urbis* Hercules dictus. Volaterranorum antiquo-

(1) Georgicon Lib. II. verſ. 155.
(2) Ibidem verſ. 533.
(3) Vide Euſebium ex Philone Bibl. Servium in Virgilium Aeneid. Lib. I. verſ. 347.

quorum tutelare numen Herculem fuiſſe, & maxima quidem religione cultum, docent inſignes quaedam reliquiae eius templi, atque inter has marmorea metopa apud Nobiles Falconcinios Patricios Volaterranos, in qua ſculptum bucranium, ornatum pendentibus lemniſcis, & hinc inde ſuſpenſis encarpis, cuius vertici inſidet locuſta ſegetes depaſcens: quam ad ornatum frontis Herculis templi cum aliis ſimilibus aptatam fuiſſe coniicio; nam locuſta addita forſitan fuit propter memoriam beneficiorum ab Hercule acceptorum, qui Κορνοπίων dictus eſt, nempe *locuſtarum abactor* ſeu *depulſor*: quas aetate quoque noſtra, veluti facto agmine, harum regionum fruges non ſemel devaſtaſſe accepimus. Sacrificalem fictilem pateram, Volaterris erutam, locuſtis anaglypho opere impreſſis ornatam, alibi in lucem proferam. En eiuſdem marmoreae metopae, cuius altitudo ac latitudo Romanum pedem unum circiter aequat, ſchema.



Integra in utroque conſpectu, cum in eo, qui agrum, tum in eo, qui urbem introrſum reſpicit, haec inſignis Porta adfertur: quae ſane priſcam Etruſci opulentiſſimi imperii gloriam declarat: digna urbe, quae Regum Etruſcorum regia adpellata eſt: digna Volaterranis, qui dignitatis & honoris gratia a Cicerone ETRVSCI, atque etiam *optimi Cives* adpellati ſunt. Hanc primum quum vidiſſem, veterum omnium Etruſcorum monumentorum,

&

& Architecturae Tuſcanicae miraculum adpellare conſuevi : nec ullo unquam tempore deſinam admirari. Dediſſem etiam antiquam Peruſinorum Portam ; ſed hanc ipſi cives, atque ego etiam, qui vidi, minime Etruſci operis, magnifici tamen atque auguſti, eſſe adfirmamus (1). De ea nonnulla obſervat Gulielmus Philander in Vitruvium (2).

Inter haec de Tuſcanica ratione conſtruendorum aedificiorum inſtituto ſermone, ne huic Operi decus ullum deeſſet, libuit ad aedificia quaedam priſcorum Latinorum digitum intendere ; nam Latina oppida Etruſco ritu condita, docet doctiſſimus Varro. Libuit igitur priſcorum Romanorum aedificiorum, quae Regibus imperantibus exſtructa fuiſſe teſtantur veteres Scriptores, illuſtriora aliquot exempla ac ſpecimina proferre, favente meis coeptis Franciſco Ficoronio, eruditae Antiquitatis monumentorum vindice & interprete peritiſſimo, qui egregio opere de his pertractavit : quod opus hiſce vetuſtiſſimis aedificiis egregie locupletatum, ab antiquariis magni nominis antea minime factum fuerat. Sed nec relinquenda etiam cenſui antiquorum Graecorum in moeniis & portis iam exſtructis ſplendidiora documenta, quae quidem adtuli ex Cyriaco Anconitano, qui deſcripto per Illyricum ſuo Itinere, ea cum repertis Epigrammatis propoſuit. Haec edita ſunt, ut in meo exemplari habetur, Romae anno CIↃ.IↃ.C.LIV. poſt Volumen Inſcriptionum Baſilicae S. Pauli, collectore Margarinio. Huiuſce Itineris Cyriaci Anconitani autographum olim prodiiſſe e Florentina Bibliotheca Clariſſimi Senatoris Caroli Strozii tunc intellexi, quum eius paene omnes Codices, ſtudio condendae Hiſtoriae Baſilicae ac Baptiſterii Florentini S. Ioannis, diligenter evolverem ; nam in Codice CCIV. exſtant Epiſtolae doctiſſimi Ioſephi Mariae Suareſii Epiſcopi Vaſionenſis, circa ipſum ferme tempus ſcriptae, qui nomine Cardinalis Franciſci Barberini, qui ſe editurum promittit, poſcit a laudato Senatore Strozio memoratum Cyriaci Itinerarium: quod quidem in alio Codice eiuſdem Bibliothecae Strozianae citatur, & vacuus locus in eo cernitur, manifeſto indicio, quod Romam tranſmiſſum fuerit: cuius ope ſe multum profeciſſe Carolus Moronus in aliquot eius epiſtolis, quae in eadem Bibliotheca adſervantur, ingenue teſtatur,

tur,

(1) Vide Tom. V. Obſ. Litt. Veron. pag. 216. (2) De Architect. Lib. III. Cap. II.

tur, & eodem Codice auſpice, complura Epigrammata apud Gruterum reſtituiſſe fatetur.

Dolendum adhuc ſub humo, in loco, qui vulgo dicitur *Val di Buona*, latere Volaterranorum Amphitheatrum, Etruſco opere exſtructum. Fractas aliquot marmoreas columnas, in adlatis a me Tabulis nolui praetermittere, quae non longe ab eo loco etiamnum ſuperſunt. Locus ipſe in medio concavus, complures gradus habuiſſe docet. Statua quoque marmorea mulieris, puerum in ulnis geſtantis, quae Etruſcis litteris priſco more exarata eſt, eodem in loco eruta fuit, uti Volaterranarum Antiquitatum Scriptores teſtantur, quos loco adferam opportuniore. Hanc ipſam ſtatuam accuratius aeri inciſam libuit iterum producere, favente Hippolyto Cigna, Pictore Antiquitatis ſtudioſiſſimo, qui alterum iam adlatum ſchema non omnino probavit: tum etiam, quia aliae duae litterae antea *incognitae*, poſtmodum nobis innotuere, nempe poſtquam e compluvii loculo, in quo ſub dio eadem inſignis ſtatua ſordeſcebat, & brevi perire poterat, in interius domus conclave Ludovici Maffeii, Equitis D. Stephani, Patricii Volaterrani, provida eius cura migravit. Simulacrum hoc marmoreum, iuxta hoc exemplar adamuſſim ſcalptum, repraeſentatur in pala antiqui anuli aurei, qui puerili aetati convenit: quem erutum vidi, quum eſſem Volaterris Autumnalibus feriis, anno CIƆ.IƆ.CC.XXXIX. factis egeſtionibus impenſis Praeſtantiſſimi Praeſulis Marii Guarnaccii, cuius in Muſeo adſervatur. Libuit & hoc inſigne apoſphragiſma nunc primum luce donare.

De Amphitheatris Etruſcorum, quum ſermo habetur, hanc gloriae meſſem iure ac merito ſibi quoque vindicant ARRETINI, qui quanta magnificentia atque amplitudine Amphitheatrum antiquiſſimum Etruſco opere apud ſe exſtructum fuerit, perſpicuis, quae ad hoc tempus exſtant monumentis, oſtendunt: quod ad perpetuum patriae ſuae decus fecit, genere & eruditione conſpicuus, Laurentius Guazeſius Patricius Arretinus, ex Equeſtri Ordine D. Stephani, editis ingenii monimentis, & ſuis in hoc ipſum Arretinum Amphitheatrum lucubrationibus, iterum prolatis ab Etruſcis Academiae Cortonenſis Sociis Tom. II. de litteris, & re antiquaria, ac de me etiam optime meritus, qui ad me ſpecimen quod-

dam inſignis aedificii miſit. Hanc ipſam quoque laudem adeptus eſt Vir Clariſſimus Octavius Bocchius, Nobilis Hadrienſis, qui Etruſci Theatri veſtigia, aliaque praeclara aedificia Hadriae detecta nobis propoſuit, & erudite illuſtravit.

Sed quia in hoc Volumine omnium antiquiſſima Volaterranorum monumenta, cum publica tum privata, in lucem proferre praecipua cura mihi propoſui; ecce iterum me in ſui admirationem rapit integrum aedificium, in edito urbis loco exſtructum, nempe in arce, quod paucis ab hinc annis frequentius ſtudioſis Antiquitatum cultoribus oſtenditur patetque; nam in illud, primus omnium ſcalarum ſubſidio deſcendens, ingreſſus ſum: & tanquam inſigne exemplum Tuſcanicae Architecturae confluentibus exteris hominibus oſtendendum eſſe praemonui. Totum Signino opere miro artificio conſtructum eſt, arcuato fornice, arcubus in plano, duobus columnis quadratis in medio ſubfultum. Id ipſum tres Tabulae, & quale ac quantum ſit, perſpicue declarant. Cui vero uſui inſervierit tam praeclara aedificii moles, adhuc non bene compertum eſt: haud tamen verebor coniecturas meas exponere, quas vel ipſi Volaterrani cives, qui commodis omnibus & litterario otio abundant, vel alii docti viri accuratius expendent.

His expoſitis, magnificentiora quadratis lapidibus conſtructa Etruſcorum Hypogaea ſuccedunt. Aliqua litteris Etruſcis inſculpta ſunt, alia non. Inter Hypogaea & opere, & magnitudine, & litterarum eximia raritate ac pretio celeberrima Peruſinum, tertio fere ab urbe lapide ad S. Hermannum ſitum, cenſendum eſt, quod nunc primum in lucem exhibeo, doctorum hominum conſpectu profecto digniſſimum. Quadratis ſaxis, mira arte coniunctis abſque calce, tum eius parietes, tum fornices ipſi conſtructi ſunt. Etruſcae inſcriptionis, quae tribus excurrentibus lineis exarata eſt, litteris, uncias tres Romani pedis aequantibus, interpretatio accepta referenda eſt immortali viro, amico meo optimo, Ioanni Baptiſtae Paſſerio, qui Etruſcae linguae arcana feliciori conatu reſeravit. Huic ſuccedit, licet Etruſcis litteris deſtitutum, Cortonenſe Etruſcum Hypogaeum, quod per hominum ora pervulgata antiqua fama apud populares, Crypta Pythagorae iamdudum audit, & nunc

la

la Tanella adpellatur. Dignum Regibus Sepulcrum facile aliquis credet; etſi non ita facile priſca patrum traditio obliteranda aut reiicienda eſſe videatur, praeſertim ſi aliquo probabili fundamento innitatur; quare pro utraque ſententia fulcienda, rationum momenta accurate expenduntur. Hanc ipſam Cryptam, quod mirum videtur, poſt tot ſaeculorum teterrimas labes paene integram, perpaucis quadratis ſaxis, ſed longe immaniſſimis exſtructam, accuratiſſimo ſtudio duabus in Tabulis delineavit, & ad me miſit praelaudatus Eques Corazius. Haud praetermittendam quoque cenſui Cryptam, utpote Etruſcis litteris inſignem, quae circa antiquam Falarim adhuc viſitur, in cuius lateribus plures loculi pro recipiendis integris cadaveribus in ipſa rupe excavati ſunt. Hinc diſcimus antiquiſſimis temporibus, Etruſcis in uſu fuiſſe, more vetuſtiſſimo & apud pleraſque gentes recepto, integra corpora mortuorum in Cryptis tumulandi, quod, propoſito hoc ipſo iconiſmo, adnotavit Vir Ampliſſimus Philippus Bonarrotius, Patricius & Senator Florentinus.

Alia Etruſca Hypogaea vel deſcripta, vel graphice a me delineata mox exhibentur. Poſt lapidea exponuntur tophacea, eaque praeſertim, quae quindecim ferme ab hinc annorum ſpatio in Volaterrano agro frequenter iam eruta fuiſſe conſtat, & frequentius ſtudio Civium nobiliſſimorum hodie in lucem eruuntur. Nobiliora effoſſa ſunt in praediis Franceſchiniis, alia item aliis in locis. Falconcinium agrum, qua longe lateque patet, effodiendum curavit vir omni laude maior Praeſul Praeclariſſimus, horum meorum ſtudiorum eximius Fautor & Auſpex MARIVS GVARNACCIVS, qui decem annorum ſpe, labore, impendiis maximis hanc laudem ſibi promeruit, ut maximus Volaterranarum Antiquitatum indagator praedicari poſſit; nam alii paene omnes, propitia ſorte, atque obſecundante fortuna, nullo fere impendio, ac modico ruſticorum labore, ſeu eorum potius ſagaci ingenio, paucos intra dies paene innumera huiuſmodi Etruſca monumenta ſibi conquiſiverunt: uti contigit hiſce diebus, in queis ſcribo; nam in Nobb. Georgiorum praediis, quindecim dierum ſpatio, erutis quinque Etruſcis antiquis Hypogaeis in topho excavatis, emerſere ſupra quadraginta Vrnae, e patrio marmore opere vetuſto ſculptae: at-

que

que ex his non paucae cum emblematis nondum notis ; praeter alias aliquot Vrnas, ornatas litteris Etruſcis, & alteram quoque fictilem opificio plane ſingularem. Haec Cineraria inventa ſunt variis coloribus picta, variiſque in locis fulgido auro, uti mos locupletiorum veterum Etruſcorum fuit, bracteata. De infinita quodammodo Vaſculorum copia, varia ſymmetria, parvorum item ſimulacrorum, paterarum, cyathorumque ſupellectile, in iiſdem Sepulcris inventa, nihil dicam. Ad hanc eruditam patriarum latentium Etruſcarum Antiquitatum eruendarum curam, ego ipſe acrius Cives primum inflammavi tunc quum Volaterranum Hypogaeum, in Praediis Franceſchiniis effoſſum anno MDCCXXX. perluſtrarem, favente Praeſtantiſſimo ac Nobiliſſimo Viro Franciſco Maria e Comitibus Guidiis, tunc Canonico Florentino, mox *Piſano* Archiepiſcopo. Vehementius quoque eos accendi, quum, Guarnaccio Praeſule, atque eius germanis Fratribus humaniſſime mihi faventibus, horum ſtudiorum cauſa Volaterras iterum iterumque adiiſſem; quare certatim in his monumentis eruendis ſedulam dedere operam alii nobiliſſimi Viri, Inghiramii, Michaël Bonamicus, & Marius Maffeius Equites Ordinis D. Stephani: item Franceſchinii, Damianii, Americii. Adde & Patres ex Ordine D. Franciſci Minores Obſervantes, qui ſuadente Laurentio Aulo Caecina I. C. & Patricio Volaterrano, de patria Hiſtoria e priſcis Tabulis magno labore eruta, erudītiſque Notis illuſtrata, quam publica luce donare meditatur, itemque hortante egregio Viro Ioſepho Bardinio, ex Equeſtri Ordine D. Stephani & Patricio Volaterrano, eruta Etruſca Cineraria ne perirent, MVSEO PVBLICO addixerunt. Hortatus quoque ſum enixis precibus Volaterranos, ut inventa deinceps monumenta, quae antea iam neglecta iacebant per arva, vel in publicos aedificiorum uſus laterculorum loco interſerebantur, vel turpi oſcitantia atque incuria perire permittebantur, ipſi omni diligentia in ſuis aedibus ſervarent, ſeu potius publico in Muſeo aut in Guarnacciano ſervanda conſtituerent: nec paterentur, ea turpis lucri gratia vendi, aut clanculum e patriis ſedibus tranſvehi: quod idem eſſet ac ſpoliare urbem pulcherrimis ornamentis, ac gloriam aeterni nominis extraneis concedere; quapropter ipſe primum oblatas mihi liberali dono eximias aliquot Vrnas pro meis in Volaterranos Cives officiis,

ciis, Genio tamen meo reluctante, conſtantiſſime recuſavi. Frequenter etiam eos admonui, ut Guarnaccium meum patriae gloriae flagrantiſſimum imitarentur, qui qua de cauſa has antiquae Eruditionis delicias congeſſerit, praepoſito conclavibus Muſei ſui, quod ornatiſſimum atque elegantiſſimum conſtruxit, marmore, quod mox ſubiiciam, ſumma cum nominis ſui, tum urbis laude declaravit.

Praeclara Guarnacciorum vota favore ſuo proſecutus eſt Vir genere, doctrina, ac probitate Praecellentiſſimus Iacobus Inghiramius Abbas, & Volaterranae Eccleſiae Canonicus, Eccleſiaſtici Tabularii inſtaurator, atque illuſtrator egregius, qui Etruſcas non paucas Vrnas, quas e ſuis praediis eruit, me Volaterris morante Autumnalibus feriis, anno CIↃ.IↃ.CC.XXXIX. adnuentibus quoque optimis fratribus ſuis, in Guarnaccianum Muſeum perpetuo amicitiae dono exſtare, licet in ſuis aedibus conlocare poſſet, animo lubens decrevit. Hanc ipſam benevolentiae & amicitiae laudem Guarnacciorum adfinis oſtendit Michaël Bonamicus, Patricius Volaterranus, Eques D. Stephani, amore in haec ſtudia ornatiſſimus.

His igitur GVARNACCIANI MVSEI monumentis primum propoſitis atque illuſtratis, ad reliqua, non tamen omnia, ſed nobiliora MVSEI PVBLICI obſervanda Etruſca Cineraria gradum facio. Ea omnia, me praeſente, accurate delineata ſunt partim a Ioſepho Menabonio, partim a Bernardino Scottio Pictoribus. Non pauca etiam egregius Eques Linus Falconcinius Patricius Volaterranus, complura H. Cigna delinearunt, quos honoris cauſa nomino. Poſt haec omnia ſummum huic Operi decus adcedit (at quale ac quantum!) nempe Opus Doctiſſimi Praeſulis, Piſaurenſis Dioeceſeos Vicarii, IOANNIS BAPTISTAE PASSERII, cui parem gratiam, non verbis ac laudibus, ſed animo quoad vixero ſemper grato, referre poſſum. Is ad me miſit Diſſertationes quinque, exquiſitae eruditionis fruge quammaxime refertas. Prima agit *De Genio Domeſtico*. Secunda inſcribitur: *Acheronticus*, ſive *De Ara ſepulcrali Etruſcorum* pertractat, in qua etiam *De Laribus & Geniis*, deque eorum apud Etruſcos cultu, non pauca adnotantur. Hanc, praeter additum *Corollarium*, Capitula XV. complectuntur. Tertia eſt *De Etruſcorum Funere*. Quarta: *De antiqua Velciorum Etruſcorum Familia Peruſina*, quae e Cinerariis nuper erutis innotuit. Hae Diſſer-

tatio-

tationes amicis Viris, eruditione, ac meritis in litterario orbe celeberrimis, inſcriptae ſunt. Quincta me tanto honore geſtientem, haud aeque tamen meritum, quammaxime illuſtrat & ornat, totaque verſatur in illuſtranda (quod nemo antea tam accurate & erudite fecit) *Tuſcanica Architectura*, expenſis architectonicis Vrnarum ſepulcralium ornamentis, earumque aliquot emblematis. Adcedunt egregiae in ſingulare Tuſcanici operis capitulum Peruſinum Obſervationes, dignae auctore ſuo Architecturae peritiſſimo. Pro Coronide adiuncta eſt brevis, ſed docta Diſſertatio *De Rege Nemorenſi*, qua ſacrum Dianae Tauricae ab Oreſte in Italiam invectum, atque in pluribus Etruſcorum Vrnis expreſſum, nova luce multaque cum eruditionis laude aperitur & illuſtratur. Monumenta Etruſca fere omnia, quibus hae Diſſertationes fulciuntur, Tabulis XXVII. expreſſa, idem V. C. Paſſerius a ſe diligenter ac ſummo cum iudicio delineata humaniſſime ad me miſit.

Quod vero ſpectat ad Etruſcae linguae cognitionem, iam probe in ordinem digeſto, ſtatutoque legitimo Etruſcorum Alphabeto, quod a me factum anno CIↃ.IↃ.CC.XXXVII. omnes norunt, quid ſignificent Etruſcae Inſcriptiones omnium feliciſſime idem amicus meus optimus Celeberrimus Paſſerius, hiſce aliiſque iam editis eruditionis ſuae monimentis apertiſſime oſtendit; nec impoſſibile eſſe, ut quid ſignificent adſequamur, experimentis ſuis ac vigiliis ſumma cum Italiae noſtrae gloria patefecit. Quae in hoc Volumine adferuntur Etruſcae Inſcriptiones fere ſexaginta, ab eo explicantur, & adnotationibus elucidantur. Perlubet de tanto viro ea ex animo ſcribere, quae Plinius de amico ſuo optimo: *Eſt Cornelius Minucianus ornamentum regionis meae ſeu dignitate, ſeu moribus: natus ſplendide, abundat facultatibus, amat ſtudia, ut ſolent pauperes. Idem rectiſſimus Iudex, fortiſſimus Advocatus, fideliſſimus Amicus. Accepiſſe te beneficium credes, quum propius inſpexeris hominem omnibus honoribus, omnibus titulis (nihil volo elatius de modeſtiſſimo viro dicere) parem.* Ab hoc tamen illuſtri viro, ad quem non adceſſi niſi per litteras, ſumma haec & in me, & in bonas diſciplinas accepi beneficia. Haec, OPTIME LECTOR, ſi benevolo animo excipies, tu quoque eximio me adficies beneficio, & ad alia deinceps proferenda Etruſca Monumenta vehementius excitabis. Vale, & his VTERE FELIX.

Abſoluta hac Praefatione, interim dum opus excuderetur, ecce aliam ad me mittit Eruditiſſimus Paſſerius Diſſertationem, nempe illam, qua ſepulcrales Tegulas Etruſco-Latinas Muſei Bucelliani explicavit, quam in fine Claſſis IV. exhibeo. Hanc quoque Diſſertationem, nova adceſſione facta Tegularum, adiecto Corollario locupletavit. Sed ecce iterum ad umbilicum hoc Volumine perducto, Vir Praeclariſſimus Petrus Bucellius, Patricius Politianenſis, litteras ad me humaniſſimas ſcribit pridie Nonas Iunias huius anni CIↃ.IↃ.CC.XLIV. exaratas, quibus me monet nuper alias eiuſdem generis Tegulas ſepulcrales fere viginti ſe inveniſſe, quas, ſi locus in hoc ipſo Volumine ſuperſit, quamprimum ſe miſſurum promittit. Reſpondi nullum ſupereſſe locum; ſed, ſi velit opem noſtris ſtudiis conferre, in alio Volumine mox edendo locum facturum. Hac, ut ſpero, occaſione Cl. Paſſerius alia, quae ad Etruſcam linguam pertinent, iam a ſe meditata adiiciet, ac praeſertim Obſervationes non paucas Grammaticales, quas mutua Etruſcarum Inſcriptionum collatione, aerumnoſo quidem labore, ſed valde utili, concinnavit, de quo litteris ſuis nuper me monuit.

Serius etiam, quam opus erat, ad me miſit Paſſerius Diſſertationem alteram in Cineraria & Vrnas gentis *Cuelniae*, Etruſcis litteris inſcriptas, quas ad Montem Apertum in agro Senenſi effoſſas diximus. Sed egregiae huius eximii viri lucubrationes, quae heic locum habere nequiverunt, ſtudia noſtra abrumpente armorum ac militum hac illac Piſauri diſcurrentium ſtrepitu & tumultu, in alio Volumine maiori aucta foenore prodibunt. Interim ſi quis horum titulorum explicationem cupit, adeat eiuſdem Auctoris Epiſtolas Roncalienſes, in quibus eos fere omnes erudite illuſtravit. *Cuelniorum* Cinerariis alia, quae apud me deſiderabantur, a ſe delineata adiecit Paſſerius, inter quae duo obſervavi, quorum in utroque latere operculum & arcula aereis lamellis ſimul colligantur & clauduntur. Id hoc loci notandum a me fuit, quod infra pag. 116. ſcripſerim, me numquam obſervaſſe Etruſcos conſueviſſe Vrnas cinerarias aheneis catenis contra violatores munire. Nulla certe huiuſmodi laminularum veſtigia ſervant Vrnae ſepulcrales, quas ex Hypogaeis Sepulcris Volaterranis erutas vidi; ſed neque etiam fictiles alibi effoſſae, quarum opercula minori pondere os obſtruunt ſubpoſitarum Vrnarum.

Inter haec, quum priori ſchemati Arretini Amphitheatri ad

me nuper miſſo a Laurentio Guazeſio, Patricio Arretino, Equite Ordinis Divi Stephani, viro eruditiſſimo, non omnino adquieſcerem, & plura in eo deſiderarem, is ad me Tabulam longam pedes Romanos duos, altam unum ſupra dimidium miſit accuratiſſime delineatam ab egregio Architecto Gallo Equite Petro Deſmariè, quod opus, eo a patria abſente, curavit Vir Nobiliſſimus Marchio Albericus Albergottius, Hieroſolymitanus Eques, & Patricius Arretinus, pro qua cura tum eius urbis cives, tum ego plurimum iiſdem viris debemus. Praetermiſſis Schematis, quae Amphitheatri Ichnographiam exhibent, & Scenographiam Monaſterii, quod ſupra eius veſtigia conſtructum eſt; ſingula quae ſuperſunt aeri incidenda curavi, & in ipſa Tabula ſub adlatis figuris explicationes adieci. Singularum partium huius inſignis Amphitheatri, quae ad hoc tempus ſuperſunt, figurae in eadem Tabulae exhibentur. Omnes fictiles lateres, quibus arcus exſtructi ſunt, aequalem ſymmetriam & ſiguram ſervant: quo opere nil pulchrius, nil elegantius ſpectari poteſt.

Perpauca nunc, quae ad meum hunc qualemcumque laborem pertinent, praefanda ſuperſunt. Illud potiſſimum ſcias velim, OPTIME LECTOR, me complures Tabulas in hoc opere explicaſſe, quum nondum aeri inciſae eſſent; & me invitum aliquando aliam pro alia citaſſe, adeoque nonnumquam erraſſe; quare, ut his memoriae lapſibus facile medereris, Indicem Tabularum & Monumentorum omnium poſt Elenchum & Proſpectum rerum, quae in hoc Volumine continentur, proferre operae pretium viſum eſt, quem conſulas velim, quando in his citandis erratum videbis.

His igitur meis laboribus fave, LECTOR BENEVOLE, quos ut litterarum Reipublicae rem curarem augeremque, nullis territus aerumnis, vigiliis, ſumtibus, difficultatibus, & conviciis etiam, in tanta temporum difficultate, intermittere, & ab incoepto promiſſoque horum ſtudiorum curriculo deſiſtere nolui; quod & deinceps faciam, & ea, quae meditor non pauca opuſcula, inferius adnotata (1), perficiam, ſi Deus Optimus Maximus, cui ſoli ſit honor, decus & gloria, propitio numine ſuo mihi aderit, & mitiora his ac tranquilliora tempora largietur. Typothetarum errata aliquot graviora, ut infra pag. XXXII. adnotatum eſt, corrigito.

ELEN-

(1) Vide pag. 2. 40. 88. 126. 142. & 185.

ELENCHVS
ET
PROSPECTVS RERVM
QVAE
IN HOC VOLVMINE III. MVSEI ETRVSCI
CONTINENTVR ET ILLVSTRANTVR.

PARS I.

IN QVA HAE CLASSES ET DISSERTATIONES HABENTVR.

CLASSIS *I.* DISSERTATIO I.

De Etruſcorum antiquis publicis aedificiis: *Haec Capita VII. complectitur:*

PROOEMIVM. Pag. 1.

CAPVT I.

Etruſcorum ritus in condendis Vrbibus recenſentur & illuſtrantur. pag. 2.

CAPVT II.

De Vrbium antiquarum Moenibus, Pomoerio, & Cippis ſive Terminis. pag. 15.

CAPVT III.

De Etruſcorum in re aedificatoria ingenio, induſtria, peritia, & in condendis Vrbium moenibus magnificentia. pag. 21.

CAPVT IV.

Volaterrarum, Cortonae, Faeſularum, aliarumque Etruriae Vrbium moenia proferuntur & illuſtrantur. pag. 28.

CAPVT V.

De Portis Vrbium Etruſcarum: pro exemplo utraque facies Etruſci inſignis operis Volaterrarum urbis adfertur. pag. 42.

CAPVT VI.

Etruſcarum Vrbium inſigniora Templa & Statuae Deorum: publica aedificia,

ficia , Circi , Theatra , Amphitheatra , & Piſcinae indicantur , eorumque exempla adferuntur . pag. 47.

CAPVT VII.

COROLLARIVM de antiquis Aegyptiorum & Graecorum , necnon Romanorum ſub Regum imperio , publicis aedificiis eorumque ſtructura . pag. 64.

PARS I. CLASSIS II.

DISSERTATIO II.

DE ETRVSCORVM ANTIQVIS PRIVATIS AEDIFICIIS . Haec Capita VIII. complectitur :

PROOEMIVM. Pag. 69.

CAPVT I.

Hypogaeum Sepulcrum apud Cortonenſes , quadratis ingentibus lapidibus exſtructum , deſcribitur , & nonnullis obſervationibus illuſtratur . pag. 73.

CAPVT II.

Crypta Sepulcralis apud Falarim Etruriae urbem , compluribus loculis in rupe exſciſis , & Etruſcis litteris inſignis , adfertur . Adcedit alterius Etruſci Hypogaei Sepulcri Ichnographia & Deſcriptio . pag. 77.

CAPVT III.

Iguvinorum Sepulcrum , pereleganti Tuſcanico opere , quadratis lapidibus exſtructum , exhibetur & deſcribitur . pag. 79.

CAPVT IV.

Peruſinorum Sepulcrum Hypogaeum , Tuſcanico opificio , & Etruſca praelonga inſcriptione inſigne , adfertur & deſcribitur . pag. 81.

CAPVT V.

Etruſcum Sepulcrum effoſſum prope Cluſium , quinque Cellis , lacunaribus , ſcamnis , ſtatuis , & picturis ornatum , deſcribitur & obſervationibus illuſtratum exhibetur . pag. 84.

CAPVT VI.

Cryptae ſepulcrales , inventae prope antiquum Cornetum , picturis , lacunaribus ,

naribus , ſcamnis , urnis , pictis vaſculis , Etruſciſque inſcriptionibus inſignes , deſcribuntur , atque in lucem proferuntur . pag. 88.

CAPVT VII.

Etruſca Sepulcreta apud Volaterranos inventa deſcribuntur atque exhibentur : ex his CAECINAE gentis ſubterraneum Conditorium , porta , aditu , ſcamnis , urnis marmoreis anaglypho opere ſculptis , iiſdemque pictis & inauratis , araque marmorea perelegant ornatum , adfertur & illuſtratur . pag. 92.

CAPVT VIII.

Hypogaeum Sepulcrum inventum in agro Senenſi deſcribitur ; eiuſque oſtium , Cineraria , & Ollae Etruſcis litteris inſcriptae , adferuntur & breviter illuſtrantur . pag. 96.

Pro COROLLARIO adcedit :

DE ETRVSCORVM SEPVLCRIS

PRAESERTIM PERVSINO, IGVVINO, ET TARQVINIENSI

DIATRIBA

IOANNIS BAPTISTAE PASSERII

I. C. PISAVRENSIS VIRI CLARISSIMI

AD ANTONIVM FRANCISCVM GORIVM. pag. 99.

PARS I. CLASSIS III.

DISSERTATIO III.

DE SEPVLCRORVM ETRVSCORVM ORNAMENTIS : in qua MVSEI GVARNACCII Vrnae anaglyphis & emblematis inſigniores proferuntur & illuſtrantur . Haec Capita XVI. complectitur :

PROOEMIVM. Pag. 109.

CAPVT I.

Vrnae cinerariae & Ollae , praecipua Sepulcrorum Etruſcorum ornamenta , obſervantur . pag. 113.

CAPVT II.

Nobiliores Etruſcorum Vrnae Ollaeque ſepulcrales , & nonnulla de antiquitate Plaſtices , Sculpturae & Picturae Etruſcorum obſervantur . pag. 118.

CA-

CAPVT III.

De Architectura, ceteriſque Etruſcarum Vrnarum ſepulcralium ornamentis. pag. 124.

CAPVT IV.

Imagines Defunctorum virorum & mulierum, qui recumbentes vel dormientes ſculpti ſunt in operculis ſepulcralium Vrnarum Etruſcarum, obſervantur. pag. 128.

CAPVT V.

Etruſcos credidiſſe hominum animas corpore ſolutas eſſe immortales, iiſdemque divinitatem a Diis impetraſſe, multa evincunt, quae recenſentur. pag. 131.

CAPVT VI.

Cultos Defunctorum Manes ab Etruſcis, evincunt ſacrificia, oblationes & donaria iiſdem facta. pag. 136.

CAPVT VII.

Vrnarum ſepulcralium, quibus Etruſci uſi ſunt, tituli, & varia emblemata, nunc primum in ordinem digeſta, expenduntur ac proponuntur. pag. 140.

CAPVT VIII.

MVSEI GVARNACCII ſepulcrales Vrnae Etruſcae, quae exhibent peregrinas Hiſtorias, Troianum bellum praecedentes, adferuntur & obſervationibus illuſtrantur. pag. 146.

CAPVT IX.

Etruſcae Vrnae ſepulcrales, quarum emblemata e Troica Hiſtoria depromta ſunt, adferuntur & obſervationibus illuſtrantur. pag. 153.

CAPVT X.

Etruſcorum Sepulcra feralibus emblematis cum Troica Hiſtoria coniunctis, Tragiciſque celebrioribus thematis inſculpta, proferuntur & explicantur. pag. 159.

CAPVT XI.

Sacra Deorum myſteria, initia, luſtrationes atque expiationes, ſculptae in ſepulcralibus Vrnis Etruſcorum, elucidantur. pag. 167.

CAPVT XII.

Vrnae ſepulcrales Etruſcorum, quae praeferunt nuptias, pompas & epulas nuptiales explicantur. pag. 170.

CAPVT XIII.

Ex Vrnarum ſepulcralium anaglyphis luctus Etruſcorum in funere, ſacri ritus, pompae, honores, luſtrationes, eorumque de ſtatu animarum hominum poſt mortem opiniones eruuntur & illuſtrantur. pag. 173.

CAPVT XIV.

Sepulcrales Vrnae, quae exhibent civiles ritus, mores & conſuetudines Etruſcorum, proferuntur atque illuſtrantur. pag. 178.

CAPVT XV.

Vrnae ſepulcrales Etruſcorum variis ſymbolis inſculptae adferuntur, & nonnullis obſervationibus elucidantur. pag. 180.

CAPVT XVI.

Funebris Defunctorum ſupellex inventa in Volaterranis Sepulcris, quae adſervatur in MVSEO GVARNACCIO, oſtenditur, & ordine recenſetur. pag. 184.

PARS II. CLASSIS IV.

COMPLECTITVR

DISSERTATIONES VI.

VIRI CLARISSIMI

IOANNIS BAPTISTAE PASSERII

I. C. PISAVRENSIS.

DISSERTATIO I.

DE GENIO DOMESTICO: ad Cl. Virum Andream Ioannellium. pag. 1.

DISSERTATIO II.

ACHERONTICVS, SIVE DE ARA SEPVLCRALI, IN QVA ETIAM DE LARIBVS ET GENIIS NON PAVCA ADNOTANTVR: ad Virum Clariſſimum Philippum Liberum Baronem de Stoſch. pag. 17.

Huius

Huius Diſſertationis argumenta ſive Capita XV. enumerantur : pag. 18.

DISSERTATIO III.

DE ETRVSCORVM FVNERE, *ad Virum Clariſs. Diamantem Comitem de Montemellino, Patricium Peruſinum*. pag. 79.

DISSERTATIO IV.

DE ANTIQVA VELCIORVM ETRVSCORVM FAMILIA PERVSINA, *ad Franciſcum Antonium Domitianum Tudertem, amicum optimum atque meritiſſimum*. pag. 103.

DISSERTATIO V.

DE ARCHITECTVRA ETRVSCA VRNARVM ALIQVOT SEPVLCRALIVM EARVMQVE EMBLEMATIS, *ad V. C. Antonium Franciſcum Gorium*. §. *COROLLARIVM de Rege Nemorenſi*. pag. 129.

DISSERTATIO VI.

DE ANTIQVIS TEGVLIS SEPVLCRALIBVS ETRVSCO-LATINIS, QVAE EXSTANT IN MVSEO BVCELLIANO, *ad V. C. Petrum Paulum Aſtancollium, Patricium Tudertem*. pag. 133.

INDEX RERVM, *quae obſervantur & illuſtrantur in Diſſertationibus V. C. Ioannis Baptiſtae Paſſerii*. poſt pag. 144.

INDEX RERVM, *quae obſervantur & illuſtrantur in Diſſertationibus Gorianis*.

ADDENDA ET CASTIGANDA

NI FVERINT IAM FERVENTE PRELO CASTIGATA.

P*ag*. XV. *lin*. 32. XVI. *lin*. 6. moeniorum, *lege* moenium -- *Pag*. XXIV. *in fine* : Vale, & ipſe, *lege* Vale, & his -- *Pag*. 9. *in Not*. 7. Fabio Pictori, qui ſuppoſititius cenſetur. -- *Pag*. 15. *lin*. 17. ptaeſtabant, *lege* praeſtabant -- *Pag*. 28. *lin*. 7. ſed omnem gloriam, nominis quum - *lege* ſed omnem nominis gloriam, quum -- *Pag*. 41. *lin*. 30. Damarati, *lege* Demarati -- *Pag*. 47. *lin*. 6. *Adde* : Multa de loci Genio, quem antiqui, antequam urbem conderent propitiare conſueverunt, de facie, ac forma Vrbis, de pomoerio ſive agro effato, de moenibus, de turribus, eorumque aedificiorum pinnis, & de portis Vrbium, de viis, aedibuſque ſacris ac privatis, quum hoc ipſum Volumen abſolviſsem, pererudite adnotata, ſerius quam oportebat, vidi a Franciſco Patricio Senenſi, Pontifice Caietano, de Inſtitutione Reipublicae Lib. VIII. Tit. XI. edit. Argent. MDXCIV. quem adeas velim, & addas Bibliographiae antiquariae, in qua deſideratur. -- *Pag*. 51. *lin*. 29. condecorari ſolitas, *lege* condecorari ſolitos. *Pag*. 60. *lin*. 2. aſtragulos, *lege* aſtragalos -- *Pag*. 65. *lin*. 5. Eduardum Pococh, *lege* Richardum Pococh -- *Pag*. 84. *lin*. 6. quatuor cellis, *lege* quinque cellis -- *Pag*. 93. Diſquiſitiones, quae tantum X. prodiere, reliquarum ſpes facta eſt. -- *Pag*. 95. *lin*. 33. Volateranae, *lege* Volaterranae -- *Pag*. 107. *lin*. 25. *lege* Crenaramleth -- *Pag*. 112. *lin*. 31. emblematis, inſculpta variis, *lege* emblematis variis inſculpta, -- *Pag*. 140. *l*. 26. crecrepundiis, *lege* crepundiis -- *Pag*. 131. *lin*. 28. hominum animas eſse immortales, *lege* hominum animas corpore ſolutas eſse immortales -- *Pag*. 155. *lin*. 16. Tab. VI. & VII. Helena, *lege* Tab. VII. Helena &c. -- *Ad Diſsertationes Paſſerianas pag*. 69. *in fine* CAICILIA VIlIƆƎVƆ -- *Pag*. 71. *lin*. 11. ream implent, *lege* aream implent.

INDEX CCCLXX.
MONVMENTORVM ETRVSCORVM
QVAE
TABVLIS C. IN HOC VOLVMINE PROFERVNTVR
INDICATIS PAGINIS QVIBVS ILLVSTRANTVR.

PARS I. CLASSIS I.
CONTINET *TAB. XVIII.*

TAB. I. Moenia vetuſtiſſima Vrbis Volaterrarum, delineata in loco, qui dicitur *Menſeri*. Pag. 32. 33. 34. 35.
TAB. II. Moenia Vrbis Cortonae, delineata ſpatio brach. L. quae extrinſecus ad Portam S. Dominici occurrunt. 36. 37. 38.
TAB. III. Moenia Vrbis Faeſularum. 38. 39. 40.
TAB. IV. Ichnographia Portae antiquae Volaterrarum Etruſco opere exſtructae. 43. 44. 45. 46. 47.
TAB. V. Portae eiuſdem facies, quae Vrbem reſpicit. 43. & ſeqq.
TAB. VI. Portae eiuſdem facies, quae Agrum reſpicit. 43. & ſeqq.
TAB. VII. Amphitheatri Arretini reliquiae. 55. 56. 57.

EXPLICATIO FIGVR. EIVSDEM TAB. VII.

A. *Ichnographia porticuum & ambulationum Amphitheatri. Hae conveniunt cum antiqua eiuſdem Amphitheatri ſtructura, a qua locus, ubi ſita ſunt, brachiis fere* CCC. *diſtat*.
Fig. I. *Scenographia, ſeu ſectio porticuum ſive cryptarum Amphitheatri litt.* A.
Fig. II. *Schema laterculorum, quae interſecta ſunt inter lapides arcuum. Horum altitudo ſol.* XVII. *latitudo verticis ſol.* X. *baſis ſol.* VII. *latera in ſummo ſol.* II. *in imo ſol.* I. *aequant*.
Fig. III. *Proſpectus interior unius ex arcubus, qui quidem obſtructi ſunt*.
Fig. IV. *Proſpectus interior deambulationum ex una in alteram*.
Fig. V. *Sectio ſequentis figurae*.
Fig. VI. *Proſpectus unius ex ambulationibus dirutae, quae occupat ingens ſpatium inter* K, g, h, L.
Fig. VII. *Proſpectus aedificii eiuſque ſtructurae inter* M & N. *ubi viſuntur reliquiae operis antiqui reticulati, quae alibi multo minus corruptae obſervantur*.
Fig. VIII. *Sectio deſumta ex* C. D.
Fig. VIIII. *Sectio lineae* e. f.
Reticulatum opus, quo ornati ſpectantur parietes huius inſignis aedificii, conſtructum eſt ſilicis quadam ſpecie, ſecti quadrata forma menſ. trium ſolid. in facie, qui ita conſtructi ſunt, ut lineas quoquoverſum aequales efficiant. Structura haec diſtincta eſt intermediis quinque laterculorum lineis: quod conſtructionis genus ſervant etiam omnes porticuum arcus, in quibus interiecti ſunt miro opificio lateres, quorum forma oſtenditur Fig. II. *& egregie circulum conficiunt, licet lapides, qui eos componunt, aequalem menſuram quoquoverſus ſervent.*
AMPHITHEATRI ARRETINI *totum aedificium longitudine ſua occupat ſpatium brachiorum* CLXXX. *latitudine vero* CL. *Porticus, cunei, ſedilia &c. ſpatium brach.* XXIV. *occupant*.
Monaſterium S. *Bernardi veteris aedificii reliquias ultra dimidiam Amphitheatri partem Meridiem everſus occupat a lin.* Y. Z. *nempe brach.* CXLV. *circiter*.

TAB. VIII. Amphitheatri ſive Theatri Volaterrani veſtigia & reliquiae. 59.
TAB. IX. Marmoreum Simulacrum Deae in ſinu ſuo infantem geſtantis, litteris Etruſcis inſcriptum, prope idem Amphitheatrum effoſſum, apud Nobb. Maffeios exſtat. 60. 61.
TAB. X. num. I. Anulus aureus cum imagine eiuſdem Deae ſimulacro adſimili, ex Muſeo Guarnaccio. Num. II. Fragmentum marm. Deae Etruſcae incognitae, quod exſtat in Muſeo D. Equit. Marii Maffeii. 61. 62.
TAB. XI. Ichnographia Piſcinae antiquae Volaterr. Etruſci operis. 63.
TAB. XII. Scenographia eiuſdem Piſcinae. 63.
TAB. XIII. Sectio Scenographica eiuſdem Piſcinae. 63.
TAB. XIV. num. I. Templi apud Thebas Aegy-

Aegyptias cum Coloſſis reliquiae. 64. 65. Num. II. & III. Murorum & portarum Graeciae Vrbium ſchemata ex Cyriaco Anconitano. 65. 66.

TAB. XV. num. I. Cloacae maximae Scenographia. 66. 67. Templi Iovis Capitolini veſtigia. *ibid.*

TAB. XVI. num. I. Templi Capitolini reliquiae. 67. Num. II. Arcis Capitolinae muri, quibus ſuperſtructum Palatium Senatoris. *ibid.*

TAB. XVII. Ichnographia Arcis Sullanae antiquo opere exſtructae in Agro Volaterrano, declaratis ſingulis partibus. 68.

EXPLICATIO LITTER. EIVSDEM TAB. XVII.

A. *Porta prima & ſecunda Arcis.*
B. *Turris intra Arcem, quae tamen fere diruta eſt fulminum ictibus.*
C. *Caſtra prima.*
D. *Terrae aggeſtio, ſive area.*
E. *Caſtra ſecunda.*
F. *Scalaria, quae ducunt ad Caſtra ſecunda.*
H. *Puteus in Caſtris primis.*
I. *Puteus alter prope portam Arcis.*
K. *Porta* I. II. III. *&* IV. *Caſtri.*
L. *Porta ſecundi Caſtri.*
M. *Subſtructiones antiquae, quae terram fere aequant.*
N. *Subſtructiones antiquae, quae e terra eminent, & clarius conſpiciuntur.*
Muri huius fortiſſimae antiquae Arcis altitudine aequant brachia circiter XLII. menſurae Florentinae.

TAB. XVIII. Eiuſdem Arcis Sullanae unus e quatuor proſpectibus litt. A. 68.

PARS I. CLASSIS II.
EXHIBET TAB. XVIII.

TAB. I. & Tab. II. Sepulcri Etruſci apud Cortonenſes Ichnographia & Scenographia, declaratis ſingulis partibus. 73. 74. 75. 76. 77.

TAB. III. num. I. Proſpectus Cryptae Etruſcae Falaritanae. Num. II. Hypogaeum Sepulcrum Etruſcum prope Podium Bonizii olim effoſsum. 77. 78. 79.

TAB. IV. Iguvinorum Sepulcrum Tuſcanici operis. 79. 80. 81.

TAB. V. Peruſinorum Sepulcrum, Etruſcis litteris in pariete inciſis inſigne, adlata eius Ichnographia num. I. & Scenographia num. II. 81. 82. 83. 84.

TAB. VI. Sepulcri Etruſci Cluſini Ichnographia, & parietes picturis ornati. 83. 84. 85. 86. 87.

TAB. VII. Tarquinienſia ſive Cornetana Sepulcra Etruſca. 88. 89. 90.

TAB. VIII. Picturae parietum Sepulcri Tarquinienſis. 90. 91.

TAB. IX. Ichnographia Volaterrani Hypogaei Sepulcri inventi in praediis Franceſchiniis. 92. 93.

TAB. X. Scenographia eiuſdem Sepulcri. 92. 93.

TAB. XI. Ara ſepulcralis Latine ſcripta deſuper in modum Arcae excavata, in eodem Sepulcro inventa. 94. 95.

TAB. XII. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. Ichnographia, Oſtium, Cineraria, & Ollae cum Etruſcis titulis ad Cuelniam familiam pertinentibus, inventae in Sepulcro Etruſco in Agro Senenſi ad Montem Apertum. 96. 97. 98.

TAB. XVIII. Iguvinorum Sepulcri ſchemata a Cl. Viro Paſſerio delineata & explicata, *a pag.* 99. *ad* 108. Idem adlatum in ſuperiore Tabula IV.

PARS I. CLASSIS III.
EXHIBET TAB. XXXIV.

Cum Monumentis e Muſeo GVARNACCIO *depromtis.*

TAB. I. num. I. Andromedae fatum. Num. II. Centauri exitialis pugna. 147.

TAB. II. Centauri exitialis pugna. 147. 148.

TAB. III. num. I. Proſerpina a Plutone rapta. Num. II. Echidna. Num. III. Cinerarium tophaceum. 148. 149. 150.

TAB. IV. num. I. Meleagri cum apro pugna. Num. II. Phineus ab Harpyis liberatus. 150. 151. 152.

TAB. V. Auges & Telephi ſors. 152. 153.

TAB. VI. Paris Helenam rapiens. 154. 155.

TAB. VII. Helena a Paride Troiam deducta in quadriiugo curru. 155. 156.

TAB. VIII. Philoctetae calamitas, & fatales ſagittae. 156. 157.

TAB. IX. Heros ſolus in quadriiugo curru. 158.

TAB. X. Lybantis Genius deſaeviens in Temeſſenſes expiatus. 159. 160. 161. 162.

TAB. XI. Clytemneſtra ab Oreſte occiſa, Aegyſthus a Pylade. 162. 163.

TAB. XII. Amphiaraus terrae hiatu abſorptus. 163.

TAB. XIII. Philomelae fatalis thalamus. 163. 164.

TAB. XIV. Ferales epulae. 164.

TAB. XV. Caſſandra a ſigno Minervae divulſa ab Aiace. 165.

TA-

Tab. XVI. num. I. Polites a Pyrrho ad aram occiſus. *165. 166.*

Tab. XVII. num. II. Idem emblema. *165. 166.*

Tab. XVIII. Sacra Dianae Tauricae. Rex Nemorenſis. *168. 169.*

Tab. XIX. num. II. Idem emblema. 170.

Tab. XX. num. I. Nuptiae Etruſcae, adſtante Paranympho. 171.

Tab. XXI. num. II. Nuptiae Etruſcae, adſtante Pronuba. 171. 172.

Tab. XXII. num. II. Nuptialis pompa. 172. Num. I. Epulum muliebre in dedicatione aediculae in honorem Deae. 172. 173.

Tab. XXIII. Etruſcorum luctus in funere. 173. 174.

Tab. XXIV. Deductio animae Defuncti ad Elyſios. 174. 175.

Tab. XXV. Vrnae Etruſcae ſymbolicae. 177.

Tab. XXVI. Vrnae Etruſcae ſymbolicae. 177.

Tab. XXVII. *Collegii ſacri Viri ad parentalia celebranda procedentes*. 178. 179. 183. 184.

Tab. XXVIII. Triumphantis pompa. 180.

Tab. XXIX. num. I. Gorgones. 181.

Tab. XXX. num. I. Patera ahenea, in qua Geniae ſeu Parcae imago. Num. II. Sigillum eiuſdem e creta. 185. 186.

Tab. XXXI. Patera ahenea cum imagine Mercurii, adpicto delphine. 186.

Tab. XXXII. Vaſculum fictile, in quo pictae Geniae cum lampadibus. 185.

Tab. XXXIII. Speculum e ſtamno, inaures aurei, armillae. 185. 186.

Tab. XXXIV. Etruſca Patera, & cyathus perforatus ad vina colanda. 186.

Alia Monumenta **Mvsei Gvarnaccii** ***praeter ordinem in ſequentibus Tabulis caelata indicantur.***

Rex Nemorenſis pugnans pro Sacerdotio Deae Tauricae. Tab. ix. *pag.* 169. 170.

Nuptiae Etruſcorum. Tab. xi. num. i. *pag.* 172.

Cantores ſive Hymnologi Defuncti laudes celebrantes. Tab. xii. *pag.* 144. 176.

Sacerdotum ad domum Defuncti expiandam proceſſus. Tab. xv. num. ii. *pag.* 176. 177.

Larva cucullata Mortis imaginem referens. Tab. xvi. *pag.* 181.

Nex alicuius ex filiis Priami. Tabula xvii. num. i. *pag.* 182.

Domeſticus Etruſcorum luctus. Tabula xix. num. i. *pag.* 174.

Deductio animae Defuncti ad Elyſios. Tab. xx. num. i. *pag.* 17.

Heros in bello interfectus. Tab. xxi. num. i. *pag.* 181. Deductio animae Defuncti ad Elyſios. num. ii. *pag.* 175.

Collegii ſacri Viri ad parentalia celebranda procedentes, ut in alia Vrna Tab. xxvii. -- Tab. xxiii. num. ii. *pag.* 183. 184.

Sepulcrorum Etruſcorum ornamenta. Tab. xxiv. num. ii. iii. & iv. *pag.* 175. 176.

Roſae, folia maiora, bulbi, & alia Sepulcrorum Etruſcorum ornamenta. Tab. xxv. *pag.* 177. 178.

Larvae, & alia emblemata Vrnarum Etruſcarum. Tabula xxvi. *pag.* 177. 178.

Echidna. Tab. xxviii. num. i. *pag.* 182.

Helenae fatalis in Troiam ingreſſus cum Paride. Tab. xxix. num. i. *pag.* 181.

PARS II. CLASSIS IV.

CONTINET TAB. XXX.

Tab. I. Genii Domeſtici ſimulacrum ex aere. Exſtat in Muſeo Paſſerio. *a pag.* i. *ad* 16.

Tab. II. Genii Domeſtici tria ſimulacra ex aere. i. in Muſeo Maſciolio. ii. & iii. in Muſeo Paſſerio. *a pag.* i. *ad* 16.

Tab. III. & IV. Vaſculum fictile, in quo pictum domeſticum ſacrificium in honorem Genii, exſtat ibidem. 11. 12.

Tab. V. Vaſculum fictile pictum, cum adſimili emblemate. 11. 12.

Tab. VI. Calix fictilis pictus, ibidem. 11. 12. 13.

Tab. VII. num. i. Poculum fictile pictum ſilicatum. 10. 11. -- ii. Protoma Iunonis cum interno conditorio parvi ſimulacri eiuſdem num. iii. exſtant in eodem Muſeo. 8. 9.

Tab. VIII. Cornua potoria convivalia Etruſcorum, exſtant ibidem. 15. 16. 42. 43.

Tab. IX. Vaſcula & paterae inventae in Sepulcris Tudertinis, exſtant in eodem Muſeo. 16.

Tab. X. Vaſcula iv. cryſtallina antiqui operis & eiuſdem magnit. exſtant ibid. 16.

Tab. XI. Cippi, ſeu columellae ſepulcrales litteris Etruſcis inſcriptae. i. exſtat in Muſeo Paſſerio. *a pag.* 20. *ad* 28.

TAB. XII. Geniae ſignum ahen. eiuſdem magnitudinis in Muſeo Maſciolio. 58. 59.

TAB. XIII. Genii ſignum ex aere, Arimini effoſſum. 50. 51.

TAB. XIV. Cippi Sepulcrales inſcripti litteris Etruſcis. Num. I. Peruſiae; alter num. II. Tuderti effoſsus. Num. III. & IV. Cineraria Etruſcis litteris ſcripta. *63. 64. 66. 67.*

TAB. XV. num. I. Saxum ingens Etruſce ſcriptum Sepulcro impoſitum, exſtat in praediis Capponiis prope Antellam. Num. II. Cippus Etruſcus Florentiae in Hortis Gaddiis. *64. 65.*

TAB. XIV. Columellae Acheronticae. I. II. & III. exſtant in Muſeo Goriano. IV. effoſsa apud Panzanum. V. Cluſii exſtat apud Nobb. Puccios. *a 66. ad 70.*

TAB. XVII. num. I. & II. Cippi Etruſci Senis eruti penes D. Canonicum Bandinium. Num. III. IV. V. VI. Cineraria Etruſca apud Nobb. Tommaſios. 71. 72. 73. 74.

TAB. XVIII. Cippi lapidei. num. I. apud Nobb. Bonarrotios. II. Volaterr. apud Nobb. Maffeios. III. Apud Nobb. Carlinios. IV. In Muſeo Gorio. V. & VI. e Tiburt. lap. apud Nob. Comitem de Eugeniis Patricium Peruſinum exſtant. 75. 76. 77. 78. 87. 88.

TAB. XIX. Patera ex aere cum figuris, & Etruſcis litteris, exſtat Peruſiae in Muſeo Gratianio. *a pag.* 80. *ad 86.*

TAB. XX. XXI. XXII. XXIII. Cinerarii marm. Etruſci operculum litteris & figuris XXXVI. inſigne, exhibet luctum in funere. Exſtat apud Nobb. Comites Alfanios Patric. Peruſinos. *a pag.* 88. *ad* 101.

TAB. XXIV. num. I. II. III. Lamellae plumbeae Etruſce ſcriptae, Tuderti nuper effoſsae. IV. Vrna cineraria ibidem inventa. V. Operculum Cinerarii e topho in Muſeo Gorio. VI. Operculum fictile exſtat ibidem. VII. Amphora cineraria fictilis, Etruſcis litteris inſcripta exſtat inter Cimelia C. V. Ioſephi M. Biocchii S. T. D. &c. *a pag.* 104. *ad* 110.

TAB. XXV. num. I. Cippus marm. Vrbinas Latino titulo & arch. inſignis. II. Cinerarium ornatum ianua & peltis exſtat Peruſiae in Muſeo Anſideio. III. IV. Vrnae peltatae. *a pag.* 111. *ad 129.*

TAB. XXVI. num. I. Vrnae Peruſinae Etruſcae peltatae, & ſymbolicae. II. exſtat apud Nobb. Meniconios. ibidem. III. Apud Com. della Staffa. IV. In Muſeo Gualtherio. *a* 112. *ad* 124.

TAB. XXVII. Capitulum Etruſci operis marmoreum iacet in Agro Peruſino in Prato D. Com. Horatii Balleonii. *a* 124. *ad 129.*

Rex Nemorenſis caelatus in Gemma Muſei Paſſerii, quae adfertur p. 130.

TAB. XXVIII. XIXX. XXX. Tegulae fictiles XXXVIII. titulis Etruſco--Latinis inſcriptae, quae in Muſeo Bucellio Politiani adſervantur. *a pag.* 133. *ad* 144.

MONITVM AD LECTOREM.

QVum exponerem Tabulam VI. pag. 154. & 155. quae exhibet Helenam a Paride raptam, imprudens oculos conieci in Vrnam, eodem emblemate inſculptam, cuius Etruſcus titulus ad Caecinam Familiam pertinuiſſe declarat, quae exſtat Volaterris in Muſeo Publico: poſtmodum me erraſſe comperiens, Vrnam Guarnaccianam aeri incidendam curavi, quam habes in adlata Tabula VI. In ea ſuperſunt litterae Etruſcae ꟻVƧIꟻV⅃. *Luviſu:* cuius tituli, quum reliqua deſiderentur, coniecturae de familia *Luſiſia* Etruſca ſolido inniti fundamento non adfirmo. In hac vero Vrna Guarnacciana Heros armis inſignis deſideratur, quem Hectorem eſſe poſſe ſuſpicati ſumus. In reliquis typus concordat, & ea, quae obſervavi in altera Vrna, alibi proferenda, cum figuris hiſce probe conveniunt.

ORDO CENTVM TABVLARVM.

Tabulas XVIII. Par. I. Claſſis I. inſere poſt pag. 68.
Tabulas XVIII. Claſſis II. inſere poſt pag. 108.
Tabulas XXXIV. Claſſis III. inſere poſt pag. 186.
Tabulas XXX. Par. II. Claſſis IV. inſere in fine huius Voluminis.

M V-



MVSEI ETRVSCI
CLASSIS I.

DISSERTATIO I.
DE ETRVSCORVM ANTIQVIS PVBLICIS AEDIFICIIS.

PROOEMIVM.



VRBIVM ETRVSCARVM vetuſtiſſima, quae ad hoc tempus ſuperſunt, monumenta cum publica tum privata antequam proferam, morari in ipſo operis veſtibulo paulliſper libet, & ſummam Etruſcae gentis potentiam, imperii amplitudinem ac gloriam Livii teſtimonio declarare (1): *Tuſcorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere: mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis: alterum Hadriaticum mare, ab Hadria Tuſcorum colonia, vocavere Italicae gentes. Graeci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad* in-

(1) Lib. V. 33.

inferum mare : poſtea trans Apenninum totidem , quot capita originis erant , colonis miſſis , qui trans Padum omnia loca , excepto Venetorum angulo , qui ſinum circumcolunt maris , uſque ad Alpes tenuere : Alpinis quoque gentibus ea haud dubie origo eſt , maxime Rhaetis : quos loca ipſa efferarunt , ne quid ex antiquo , praeter ſonum linguae , nec eum incorruptum , retinerent. Certavit in Etruſcorum animis, cum fortitudine atque opibus , ingenium ac magnificentia . Nam ſi priſci mortales maximum urbium decus & gloriam in egregiis artificum operibus , in moeniis , in turribus , in propugnaculis , aggeribus , foſſis , arcubus , portis , in templis , circis , amphitheatris , porticibus , thermis , nymphaeis , aliiſque praeclaris aedificiis ſitam eſſe cenſuerunt ; quantam nominis claritatem Etruſci maiores noſtri , in aedificatoria arte praeſtantes , conſecuti ſint , perſpicuum fore arbitror ex adlatis Tuſcanicorum aliquot operum ac monumentorum exemplis , quae primus omnium in unum colligere , in lucem edere atque illuſtrare mihi propoſui . Horum fato occurram eo quo poſſum ſtudio & diligentia : hiſque perennis fama ſuperſtes praeſto erit , ſi ea ipſa edax tempus vel caſus aliquis , quod abſit , everterit ac diſiiecerit. Habent enim vetuſta opera ac ſaxa ipſa quodammodo voces ſuas , quibus , non tam geſta Maiorum , quam & originem aetatemque ſuam probe intuentibus , & ſedula cura contemplantibus , abſque litteris indicant (1) .

CAPVT I.

Etruſcorum ritus in condendis Vrbibus recenſentur & illuſtrantur.

I. ETruſcos, magno Italiae tractu occupato , multas & celebres urbes condidiſſe, docet Diodorus Siculus (2) , & Strabo (3). Quae vero hae fuerint urbes , alibi peculiari Diſſertatione eas recenſebo , *de Coloniis* , *& regimine veterum Tuſcorum* inſtituto ſermone , tempore magis opportuno . Ritum urbium condendarum Latinis Italiſque primi omnium Etruſci monſtrarunt, teſte Varrone (4), qui ita de his haec ſcribit : *Oppida condebant in Latio* , *ETRVSCO RITV* , *multa : id eſt* , *iuncteis bubus* , *tauro & vacca* , *interiori aratro circumagebant ſulcum : hoc faciebant* , *religionis cauſſa* , *die auſpicato* , *ut foſſa & muro eſſent munita* . *Terram* , *unde exſcalpſerant* ,

(1) V. Ciampinium Vet. Mon. Par. I. Cap. VIII.
(2) Biblioth. Hiſt. Lib. V. pag. 218. 219.
(3) Geograph. Lib. V. verſ. 225.
(4) Lib. IV. de Lingua Latina.

pſerant, foſſam vocabant, & introrſum factum, murum. Poſtea quod fiebat orbis, urbs. Principium, quod erat poſt murum, pomoerium dictum, eiuſque ambitu auſpicia urbana finiuntur. Cippi pomoerii ſtant & circum Ardeam, & circum Romam; quare & oppida, quae prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo, urbes: & ideo coloniae noſtrae omnes in littereis antiqueis, ſcribuntur urbes; quod item conditae, ut Roma: & ideo coloniae ut urbes conduntur; quod intra pomoerium ponuntur. Singula facilius explicare poſſem, ſi ſupereſſent, qui de Etruſcis ritibus tractarunt Auctores Tuſci, vel ad nos perveniſſent Pontificales Etruſcorum libri in Latinum converſi; at quoniam hi periere, nilque ad nos pervenit, veterum Scriptorum Latinorum ope ea illuſtrare atque explicare conabor. Igitur quum perſpicue adſerat doctiſſimus Varro, in Latio oppida Etruſco ritu multa condita fuiſſe; ſingula, quae mox ſubiungit, & diligenter adnotat, non eſt dubium indicare ipſum Etruſcum ritum, atque ad hunc plane ſacras caerimonias omnes referendas eſſe. Hae, ut perſpicuo, quoad fieri poteſt, ordine (quod nec accurate, nec luculenter factum ab aliis video) a me expendantur ac dilucidentur, opere pretium me facturum arbitror, ſi in enodandis hiſce Etruſcorum ritibus unico eodemque omnium praeclariſſimo nitar exemplo, expenſa nimirum Romae tantum aedificatione, cuius auctorem, ſeu verius inſtauratorem atque amplificatorem, fuiſſe Romulum memoriae proditum eſt. Novam Vrbem Romulus primum mente deſignavit, & condere ſtatuit in Palatino monte, in quo educatus fuerat; Remus vero eius frater in Aventino: uterque templum his in locis priſca religione ſacratum cepit ad inaugurandum, uti Livius narrat (1): *Quoniam gemini eſſent, nec aetatis verecundia diſcrimen facere poſſet, ut Dii, quorum tutelae ea loca eſſent, auguriis legerent, qui nomen urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt*. Igitur conſtat, primum urbium conditores templum adiiſſe: Deos, quorum tutelae is locus erat, in quo urbs condenda, ſacris placaſſe atque invocaſſe, &, ut auguriis rite captandis mentem ſuam aperirent, rogaſſe: ex quibus intelligimus, quod a Varrone declaratum eſt, urbes *auſpicato* conditas fuiſſe. Quae vero fuerint auguria cum a Romulo, tum a Remo captata (nam uterque, avito malo, regni cupiditate flagrabat) mox idem Livius memorat (2): *Priori Remo augurium veniſſe fertur, ſex vultures: iamque, nunciato augurio, quum duplex numerus Romulo ſe oſtendiſſet, utrumque regem ſua multitudo conſalutaverat, tempore illi praecepto; at hi numero avium regnum trahebant*.

(1) Lib. I. num. 6. & 7. (2) Ibidem.

Inde cum altercatione congreſſi, certamine irarum ad caedem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Auguria haec ab Etruſcis, in Haruſpicinae diſciplina praecellentibus, procurata fuiſſe, minime abſonum credere, qui vultures per totidem ſaecula imperii diuturnitatem praemonere docuerunt (1). Captatis auguriis, Romulum & Remum a multitudine, quae convocata aderat, ſalutatos fuiſſe Reges, perſpicuum eſt. Auſpicia, ut optima ac fauſta contingerent, antequam captarentur, praeivere legitima ſacra, uti Dionyſius Halicarnaſſeus teſtatur (2). Scriptores praeter hos alii, Romulum credi voluiſſe duodecim ſe vultures vidiſſe, atque id per nuntios evulgaſſe, ſcribunt. Rem totam iuxta praeſcripta Etruſcorum myſteria ſacraſque caerimonias geſtam, deque his conſultos Etruſcos Haruſpices, cenſet Sidonius Apollinaris, qui Romam ita Iovem adloquentem inducit (3):

Quid, rogo, biſſeno mihi vulture Tuſcus Haruſpex
Portendit, iaciens primae tunc moenia genti?
Omnibus iam celſa fui, dum collis Etruſci
Fundamenta iugis aperis mihi, Romule pauper.

Ipſum quoque Romulum Augurem fuiſſe, clariſſimi Scriptores, atque imprimis Cicero, aperte monet; tamen & ante ipſum Romanum imperium, Etruſcos augurandi ſcientia eminuiſſe, ita ſubindicat (4): *Principio huius Vrbis parens Romulus, non ſolum auſpicato Vrbem condidiſſe; ſed ipſe etiam optimus Augur fuiſſe, traditur. Deinde Auguribus & reliqui Reges uſi: & exactis Regibus, nil publice ſine auſpiciis nec domi nec militiae gerebatur. Quumque magna vis videatur eſſe & in impetrandis conſulendiſque rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis in Haruſpicum diſciplina, omnem hanc ex Etruria ſcientiam adhibebant, ne genus eſſet ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur.* Paullo etiam poſt, memoratis Libris Etruſcorum, Haruſpicinis, Fulguralibus & Ritualibus, haec ſubiungit: *Etruria autem de caelo tacta ſcientiſſime animadvertit, eademque interpretatur, quid quibuſve oſtendatur monſtris atque portentis. Quocirca bene apud maiores noſtros Senatus, tum cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis ſex ſingulis Etruriae populis in diſciplinam traderentur. ---- Etruſci autem quod religione imbuti, ſtudioſius & crebrius hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maxime dediderunt: quodque propter aëris craſſitudinem de caelo apud eos multa fiebant, portentorum exercitatiſſimi interpretes*

(1) Vide Plutarchum in Romulo, & Cenſorinum de Die Natali Cap. XVII.
(2) Romanarum Antiquit. Lib. I.
(3) Carm. VII. in Panegyr. Aviti Auguſti.
(4) De Divinatione Lib. I. idem etiam adſerit Plutarchus in Romulo.

tes extiterunt. Quorum quidem vim verba ipſa prudenter a maioribus poſita declarant; quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, praedicunt: oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. Tradunt etiam Romulum augurali lituo uſum in deſignatione Urbis, eumque lituum, utpote ſacrum, conditum in Curia Saliorum, ac poſt eius obitum, quam ea deflagraſſet, inventum fuiſſe integrum memorant, ſeu potius fabulantur (1). Auguria haec a Romulo captata, *auguſta* adpellat idem Varro (2):

Auguſto augurio poſtquam inclita condita Roma eſt.

Quid vero denotet urbem condere *auguſto augurio*, ex Feſto intelligere poſſumus: Auguſtus, *locus ſanctus, ab avium guſtu; ideſt, quia ab avibus ſignificatus eſt, ſic dictus: ſive, ab avium guſtatu; quia aves paſtae id ratum fecere.* Augur *ab avibus, gerendoque dictus; quia per eum avium geſtus edicitur: ſive ab avium garritu, unde &* augurium. Auſpicia vero ab avibus ſpeciendis dicta, ſcribit idem Feſtus: & haec quoque antequam novam Urbem conſtituerent Romulus & Remus, obſervata fuiſſe, teſtis eſt praelaudatus Varro (3):

Curantes cura cum magna, concupientes
Regni, dant operam ſimul augurio auſpicioque:
Huic Remus auſpicio ſe devovet.

II. Captatis auguriis atque auſpiciis in templo, implorata Deorum loci praeſidum ope, peractis legitimis ſacris, in Regem inaugurato conſalutatoque Romulo, diem quoque condendae Urbi auſpicatum ab eo delectum fuiſſe, narrant Scriptores probatiſſimi Dionyſius, ac Plutarchus. Is fuit plane fauſtiſſimus, nempe XI. Kalendas Maias, quo ſacra Palilia, feſta ac feriae, a Pale paſtorum ac ruſticorum Dea ita nuncupata, celebrabantur (4). De his Ovidius (5):

Apta Dies legitur, qua moenia ſignet aratro:
Sacra Palis ſuberant: inde movetur opus.

Hunc diem Romani *Natalem Urbis* & *patriae* dixere, habueruntque quotannis feſtum, atque ab eo conditae Urbis annos numerare conſueverunt: quem etiam in priſcis Kalendariis adnotatum obſervare eſt. Hinc orta poſtmodum annorum ludorumque ſaecularium celebritas

(1) Plutarchus ex Diocle in Vita Romuli.
(2) Lib. III. de R. R.
(3) Eum citat Cicero Lib. I. de Divinat.
(4) Vide Solinum in Polyhiſtore Cap. II. Cenſorinum de Die Natali Cap. IV.
(5) Faſtorum Lib. IV. verſ. 819.

lebritas ac pompa ſatis ſplendida & magnifica, quibus omnibus aeternae Vrbis natalis annus colebatur. Sine caede victimarum, ac proinde incruentum, antiquitus fuit ſacrum in honorem Deae Palis, quod eleganter ab Ovidio deſcribitur. Pan quoque Deus cultus, loci praeſes, in quo Romulus Vrbis moenia poſuit: alii Scriptores & Faunum connumerant, Latinorum Deum antiquiſſimum. Auctor Faſtorum Capitolinorum, quem nonnulli Verrium Flaccum cenſent, non diem tantum; verum etiam annum, quo Vrbs condita a Romulo eſt, ita deſignat: ROMVLVS . REX . VRBEM . CONDIDIT . ANNO . PRIMO . OLYMPIADE VII. QVA . VICIT . IN . STADIO . DAICLES . MESSENIVS . REGNANTE . ATHENIS . CHAROPE . A . D . XI. KAL. MAIAS. Concordant cum auctore Faſtorum Dionyſius Halicarnaſſeus (1), Plutarchus (2), Solinus (3), Cenſorinus (4), & alii; quare de die nemo dubitat: de anno vero complures certant, & adhuc ſub iudice lis eſt; nondum enim annus primae Olympiadis perſpicue ac certe conſtitutus eſt; quare alii poſt Troiae excidium anno CDVI. alii CDVII. vel CDVIII. Romam conditam fuiſſe ſcribunt (5).

III. Illuceſcente Palilium feſtorum die, quae Romulus geſſerit, accurate narrat Dionyſius (6): Graeci textus verba, brevitatis cauſa, non adfero: *Romulus indicta die, qua, placatis Diis, opus auſpicaretur, praeparatiſque omnibus ad ſacrificium & epulum neceſſariis, ubi ea dies illuxit, ipſe primum ſacris operatus, deinde ceteros idem pro virili facere iuſſit*. In more fuiſſe animadvertimus, in urbium fundatione opus primum auſpicari, re divina peracta: placatiſque Diis, mox epulas inſtruere, crateras vino plenas coronare: quae luculentius colligi poſſunt ex Virgilio, qui Troiae urbis aedificationem (7), atque ex Ovidio (8) & Tibullo (9) qui Vrbis natale, & eius feſtum deſcribunt. Qui fuerint Dii, quos, facto ſacrificio ſacriſque epulis praeparatis, Romulus placavit, antiqui Scriptores non declarant; ſed inter hos principem locum Iovem tenuiſſe, non eſt dubium. Iovis Statoris mentio fit a Prudentio (10):

Quod Roma pollet, auſpicato condita,
Iovi Statori debet, & Diis ceteris.

Poſt hunc crediderim Veſtam & Martem, quem generis Romuli au-

(1) Roman. Antiquit. Lib. I.
(2) In Vita Romuli.
(3) Polyhiſt. Cap. I.
(4) De Die Natali Cap. XXI.
(5) Vide Marianum Tatianum, Diodorum Siculum Biblioth. Lib. IV. & Marshamum Saec. XVI.
(6) Antiquit. Roman. Lib. I.
(7) Faſtorum Lib. IV. verſ. 640.
(8) Faſtorum Lib. IV. verſ. 825.
(9) Lib. II. Eleg. V.
(10) In Hymno S. Romani Martyris.

auctorem tradunt. Subdit etiam Dionyſius poſt ea, quae paullo ante memoravimus: *Aquilarum ante omnes uſus eſt auſpicio: mox, piaculi cauſſa, iuſſit per flammas ſalire populum.* Fauſta ſiquidem crediderunt Veteres auſpicia aquilarum, quae Iovi adverſus Gigantes bellum gerenti victoriam praenuntiarunt. Ovidius non tantum colonos, ſed pecudes quoque piaculari per ignem ſalitione expiatas memorat: ac praeterea invocatum Martem Quirinum, ut Vrbi condendae propitius, ac praeſens faveret (1):

Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos,
Quod fit Natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipſe locum Vati caſus facit: Vrbis origo
Venit: ades feſtis, Magne Quirine, tuis.

Invitari in ſacris Dii ſolebant, ut locum ſibi legerent, & urbi condendae nomen darent, quod ex Livio aliiſque Scriptoribus colligimus. Invocatus ſacriſque cultus Genius, de quo mox dicam. Herculi litatum a Romulo, ſuadet Livius, qui ab Evandro aram maximam narrat in eo ipſo loco in honorem eius dedicatam, in quo ipſe Vrbem rite condidit; nam & ſacrum ab eo inſtitutum, adhibitis ad miniſterium dapemque Potitiis & Pinariis, familiae illae maxime inclitae celebrabant, quae tunc ea loca incolebant. Quod vero cum his, tum aliis ritibus ac caerimoniis, quas mox indicabo, adfuerint Etruſci Augures & Haruſpices, clariſſime omnium ſcribit Plutarchus, cuius teſtimonium lubet adferre (2): O' δὲ Ρωμύλος ἐν τῇ Ρεμονία θάψας τὸν Ρῶμον ὁμοῦ καὶ τοὺς τροφεῖς, ὤκιζε τὴν πόλιν, ἐκ Τυῤῥηνίας μεταπεμψάμενος ἄνδρας ἱεροῖς τισιθεσμοῖς, καὶ γράμμασιν ὑφηγουμένοις ἕκαστα, καὶ διδάσκοντας, ὥσπερ ἐν τελετῇ. *Romulus poſtquam una cum nutriciis Remum in Remonia* (alii Remoria) *ſepelivit, condidit Vrbem, ex Etruria adcitis viris, qui velut in myſteriis, quidquid faciundum erat, caerimoniis quibuſdam & ſcriptis perſcripſerunt, docueruntque.* At Dionyſius Halicarnaſſeus, ſubleſta fide, nullam hoc loci de Etruſcis a Romulo adcitis mentionem facit, & haec ipſa ita deſcribit (3): *Satis deinde placata ratus Numina, convocatis in deſtinatum locum omnibus, circumſcripſit collem figura quadrangula, iunctis ad aratrum bubus, mare & femina, ductoque ſulco perpetuo, in quo fundanda erant moenia; unde Romanis hic mos circumarandi loca in condendis urbibus durat.* Verum dubitare nos minime ſinit Plu-

(1) Faſtorum Lib. IV. verſ. 805. quod etiam factum memorat Dionyſius Halicarnaſſeus Antiquit. Roman. Lib. I.

(2) In Vita Romuli.

(3) Loco ſupra memorato.

Plutarchus, qui ſententiae Varronis, docentis oppida in Latio Etruſco ritu fuiſſe condita, inhaeret, adcitos memorat ex Etruria viros, qui velut in myſteriis, quidquid in urbe condenda faciundum erat, caerimoniis quibuſdam & ſcriptis perſcripſerunt ac docuerunt.

IV. Etſi vero de ambitu conditae Vrbis a Romulo non ſatis conſtet, quibuſve terminis eam finierit; tamen quadrata figura eam deſignaſſe, minime dubium eſt, teſte Ennio, Plutarcho, & Dionyſio. A quo vero loco orſus ſit Romulus, ut ſulco moenia ſacrae Vrbis deſignaret, perſpicue declarat Tacitus (1): *Igitur a Foro Boario, ubi aheneum Tauri ſimulacrum adſpicimus (quia id genus animalium aratro ſubditur) ſulcus deſignandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram complecteretur: inde certis ſpatiis interiecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Conſi: mox ad Curias Veteres: tum ad Sacellum Larium*. Fabrettus vir peregregius circuitionem hanc, & progreſſionem e ritualibus Etruſcorum legibus, & praeſcriptionibus agnoſcit; a parte nimirum ſiniſtra in dexteram, quod ea naturae motus corporis maxime conveniat: & gemmam adfert (2), in qua exhiberi cenſet ipſum Romulum Vrbem condentem, agentemque aratrum in laevam partem, ſiniſtro pede preſſum: quo etiam motu corporis in numis expreſſum cernimus Commodum, qui Vrbis Romae conditor alter haberi voluit. Porro Forum Boarium ad Septentriones: aram Conſi, quae ad Metas Circi delituit, ad Occaſum: Curiam Veterem ad Meridiem, & verſus Caelium: ſacellum vero Larium, quod in ſumma Via ſacra, ad Orientem reſpexiſſe: rurſuſque Fori Boarii, quod itidem ab eodem Septentrionali latere, quo Boarium, adeoque ad ſiniſtram ſub Palatino progreſſionem factam fuiſſe. Ex Etruſcorum diſciplina profluxiſſe videtur, ut fauſtiora ea eſſent quae a laeva parte veniebant. Feſtus: *Siniſtrum in auſpicando ſignificare ait Ateius Capito laetum & proſperum auſpicium*. Idem in voce *ſiniſtrae aves* ita ſcribit: *Siniſtrumque eſt ſiniſtimum auſpicium, id eſt, quod ſinat fieri, Varro libro quinto Epiſtolicarum quaeſtionum, ait: a Deorum ſede, quum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes, factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra eſſe exiſtimentur: idem fere ſentiunt Sinnius Capito, & Cincius*.

Nec vacat myſteriis ipſa tauri & vaccae iunctio ad aratrum, quum haec ipſa ita fieri conſueviſſe, *religionis cauſa*, adfirmet Varro, cuius verba ſuperius adtulimus. Humanae ſobolis propagationem, diſpari ſexu conſociato, his indicari colligimus ex Ariſtotele

(1) Annalium Lib. XII. 24.

(2) De Col. Traiani Cap. VI. pag. 152.

le (1), e quo ſententiam ſuam ita depromſit Iſidorus (2): *Ideo urbs aratro circumdabatur diſpari ſexu iuvencorum, propter commixtionem familiarum, & imaginem ferentis, fructumque edentis.* Rationem aliam adfert Laurentius Lydus Philadelphienſis a Fabretto adlatus (3), nempe circumſcriptum murum iuncto tauro cum vacca; maſculo quidem adnexo ad agri latus, femina vero ad urbis partem; quaſi maſculos oporteat exteris eſſe terribiliores; feminas vero incolis fecundas. Idem fere ſentit Conſtantinus Manaſſes (4), nempe ut viri, quos taurus deſignat, clari evaderent foris: intus vero feminae fecundae domuſque cuſtodes eſſent, quas alba vacca cum albo tauro iuncta uno eodemque iugo praenotabat. Aratrum igitur egit ipſe Romulus: & laevo pede impoſito in ſtiva, ſulcum circumduxit. Priſcis Etruſcorum caerimoniis ac ritibus vomer, quo urbes deſignabantur, non ferreus, ſed aheneus eſſe debebat, id notante Carminio (5), cuius verba adfert Macrobius (6): *Tuſcos aheneo vomere uti, quum conderentur urbes, ſolitos, in Traiectitiis eorum ſacris invenio.* Inſtrumenta in condendis urbibus, utpote ſacra & bene ominata, repoſita ſacro in loco docet Feſtus in hac voce: *Quadrata Roma, in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi repoſita ſunt, quae ſolent boni ominis gratia in Vrbe condenda adhiberi.* Praecipuas aratri, quod ſacrum erat (7), partes ita Virgilius enumerat (8), *burim, temonem, aures, dentale, iugum, ſtivam, rotas.* Quemadmodum vero aratro circumacto urbes condebantur; ita etiam aratro impreſſo evertebantur. Horatius (9):

——— altis urbibus ultimae
Stetere cauſae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

V. In condendis urbibus, illud etiam, religionis cauſa, auctore Varrone, iuxta praeſcripta e Ritualibus Etruſcorum ſervatum adſtruimus, ut conditores interiori aratro circumagerent ſulcum, qui perpetua continuaque linea ducendus erat: ubi vero ad loca portarum ſtatuendarum veniſſent, vomere exemto, atque aratro ſublato, ſpatium illud intactum relinquerent, de quo nonnulla mox obſer-

(1) Politicor. Lib. I. Cap. I.
(2) Orig. Lib. XV. Cap. II.
(3) Cod. MS. de Colum. Traian. Cap. VI. pag. 153.
(4) Hunc vide adlatum in Paralip. Cap. I. Th. Dempſt. in Roſinum Ant. Rom. Lib. I.
(5) In Lib. III. de Italia.
(6) Saturnal. Lib. V. Cap. XIX.
(7) Auctor Libri de Origine Italiae, quem tribuunt Fabio Pictori, de quo Livius.
(8) Georgic. Lib. I. verſ. 170.
(9) Lib. I. Carm. Od. XVI.

obſervabimus. Hos ritus perſpicue explicat Servius in illud Virgilii (1):

Interea Aeneas urbem deſignat aratro:

qui haec adnotat, adlata Catonis de Originibus auctoritate (2): *Conditores civitatis, taurum in dextram, vaccam intrinſecus iungebant: & incincti ritu Sabino, id eſt, togae parte caput velati, parte ſuccincti, tenebant ſtivam incurvam; ut glebae omnes intrinſecus caderent: & ita, ſulco ducto, loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum*. Id ipſum a Romulo factum memorat Plutarchus, qui etiam, quam opem alii comites Romulo contulerint, ita adnotat (3): *Conditor aratro aereum vomerem adiungit, iunctiſque bobus, mare & femina, ipſe circum lineamenta profundum inducit ſulcum: ſequentium munus eſt, ut excitatas ab aratro glebas intro vertant, nec ullam ſinant extra ferri*. Peculiaris quoque Etruſcorum ritus in deſignandis condendiſque urbibus ille plane fuit, ut conditor in laevam circumageret aratrum, ut everſam terram intrinſecus egereret; glebas vero ab eo excitatas, qui conditorem ſequebantur, introrſum verterent, nec ullam extra ferri ſinerent. Sulcus circumagendo fiebat, qui moenium loca deſignaret, ut docet Ovidius (4):

Inde premens ſtivam deſignat moenia ſulco,
Alba iugum niveo cum bove vacca tulit.

Quidquid terrae aratrum egeſſerat, foſſam vocabant, ut docet Varronis adlatum teſtimonium: quam etiam eodem quo *caelum* nomine, atque *mundum* vocaverunt. Fabius Pictor (5) hanc foſſam, quod per girum eſſet circumducta, *olympum* vocat; nam Graeci caelum *olympum* dicunt: *Adſcito ex Etruria Vate atque Sacerdote olympum fecit, pomoeriumque ſacravit, & aratro ab olympo in Vico Tuſco per Palatium circumlato ab imo collis ad verticem quadratam Urbem ſignavit*. Haec ex antiquiſſima Aegyptiorum religione manaſſe crediderim; nam apud eos orbis ipſe, & ſerpens in orbem circumvolutus aeternitatem praemonſtrant: hinc credibile eſt, eoſdem Aegyptios urbium conditores Deos, orbis ſymbolo eorum capiti impoſito, deſignaſſe; nam orbem praefert Iſis, & Apis, & alia ſimulacra in pluribus monumentis, ac praeſertim in Bembina Tabula ſculpta, quod etiam ab aliis obſervatum video (6). Hinc Diis tributa orbis in-

(1) Aeneid. Lib. V. verſ. 755.
(2) Ibidem.
(3) In Romuli Vita.
(4) Faſtor. Lib. IV. verſ. 823.
(5) Lib. II.
(6) Vide Andream Cirinum de Urbe Roma Cap. I. pag. 27. in Theſauro Sallengriano.

inſtar poſt caput diademata, quae eos non ſolum divinitatem; ſed etiam aeternitatem adeptos declarant. Huc facile crediderim Virgilium reſpexiſſe (1):

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Moenia, Romanoſque ſuo de nomine dicet:
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium SINE FINE *dedi.* ————

Memorant etiam clariſſimi Scriptores, in excavatam foſſam colonos primitias omnium, quae in uſu erant, ex ſacris ritibus intuliſſe: ac poſtremo unumquemque ex ea, qua advenerat regione, partem aliquam terrae ſuae conieciſſe ac conmiſcuiſſe. Ovidius addit fruges a convocata multitudine in foſſam coniectas, & aram excitatam a Romulo, novumque in ea ignem accenſum (2):

Foſſa fit ad ſolidum: fruges iaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita ſolo.
Foſſa repletur humo, plenaeque imponitur ara,
Et novus accenſo funditur igne focus.

Quid vero in foſſam in orbem factam iactae a colonis frugum primitiae, & terrarum particulae ex ſacris Etruſcorum Pontificum Libris deſignent, penetratis eorum aditis, aperire conatur Rhodiginus (3): *Fuit & in Comitio foſſa, quam* MUNDUM *vocant, in quam orbicularem, Urbe condita, omnium primitias, quibus lege, ut honeſtis, natura ut neceſſariis utebantur, coniici iuſſit Romulus: mox item terrae particulam, unde quis eſſet profectus, conferri: credo, ut ſic in civitatis unius, ac patriae populum facilius coaleſcerent animi.* Perperam ſcribit Rhodiginus Romulum feciſſe & in Comitio fosſam, quum Plutarchus circa locum, ubi ſua tempeſtate Comitium erat, fosſam fecisſe ſcribat: Βόθρος γὰρ ὠρύγη περὶ τὸ νῦν Κομίτιον κυκλοτερής. *Foſſa rotunda ad locum, ubi nunc Comitium, eſt circumducta.* Hoc loco perperam interpretato, haud mirum ſi aliqui viri docti (4) cenſuere, foſſam ipſam *Comitium* dictam. *Quiritium* dictam fosſam, qua Ancus Martius urbem circumdedit, teſtatur Livius (5): *Quiritium quoque foſſa, haud parvum munimentum, a planioribus aditu locis, Anci Regis opus eſt.* Sed ut in viam redeam, huic ſacro ritui lumen aliquod,

(1) Aeneid. Lib. I. verſ. 280.
(2) Faſtorum Lib. IV. verſ. 823.
(3) Lect. Antiq. Lib. I. Cap. VI.
(4) Andr. Cirinus de Urbe Roma Cap. XXXIII.
(5) Lib. I. 33. Vide etiam Feſtum in voce *Quiritium*.

quod, ut opinor, adfundit, quod Livius (1) conſilio Patrum a Romulo factum memorat, ut urbem novis populis augeret: *Vrbes quoque, ut cetera, ex infimo naſci: deinde, quas ſua virtus ac Dii iuvent, magnas opes ſibi magnumque nomen facere. Satis ſcire, origini Romanae & Deos adfuiſſe, & non defuturam virtutem: proinde ne gravarentur homines cum hominibus ſanguinem & genus miſcere*. Conſtantinus Manaſſes (2) iniectum in foſſam intra civitatem lutum ſcribit, redditque facti a Romulo rationem; ut urbs ex alienis commodis creſceret. Etruſcorum igitur Pontificum praeſcriptionibus ac ritibus primum ſulcus iam animo ac mente metatus fiebat; mox foſſa, & locus, qui aratro ductus & terrae impreſſus fuiſſet, quo quidem moenia ponere oportebat, ſacer erat. Summa vero diligentia cavebant, ne, exſcalpta terra, extrorſum glebae caderent; ſed a ſequentibus introrſum in deſignatam urbem agerentur. Thomas Dempſterus, Antiquitatum Etruſcarum illuſtrator egregius, licet non ſatis limatus (3), non parum hallucinatur, qui foſſam nihil aliud eſſe, quam ſulcum, qui aratro circumducto imprimebatur, ſcribit. Sed foſſam a ſulco, ſulcum a foſſa diverſum fuiſſe, diſerte docet Varro; fiebat enim ſulcus interiori aratro circumacto: foſſa autem ea erat, unde terram exſcalpſerant: introrſum vero factam, murum vocabant: poſtea, quum orbis fieret, urbs dicebatur, ab *urbo* vel *urvo*, aratri curvatura. *Vrvare* enim Feſtus ex Ennio in Andromeda, *circumdare*, ſcribit ſignificare; *ab eo ſulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quae fit forma ſimillima uncini curvatione buris & dentis, cui praefigitur vomer*. Id magis conſonat, quam ab orbe tantum urbes dictas; utrumque tamen admittit Iſidorus (4): *Vrbs vocata ab orbe; quod antiquae civitates in orbem fiebant: vel ab urbo parte aratri, quo muri deſignabantur: unde eſt illud:*

„ Optavitque locum regno, & concludere ſulco.

Sed ex adlatis Dionyſii & Plutarchi, itemque Ovidii luculentiſſimis teſtimoniis perſpicuum eſt, inter ſulcum & foſſam diſcrimen interceſſiſſe. Qua vero de cauſa in foſſam iacere ſolerent primitias omnium, & fruges, ex Servio colligere poſſumus: qui, Calvo auctore, docet (5) Cererem urbium condendarum praeſidem fuiſſe; quod ea magnas urbes condiderit, ſanctaſque leges docuerit: *Nam ideo & aratri ſulco clauditur civitas: vel quod eandem* (Cererem) *Terram volunt*, *&*

(1) Lib. I. 9.
(2) Hunc vide adlatum a Th. Dempſtero ad Roſinum Ant. Rom. Lib. I. Cap. 1.
(3) De Etruria Regali Lib. III. Cap. XV.
(4) Origin. Lib. XV. Cap. II.
(5) In Lib. IV. Aeneid. verſ. 58.

& in eadem urbes exſtructas. Adde etiam, Cererem arandi, & fruges ſerendi artem docuiſſe. Praeerat etiam urbibus & arcibus Minerva: eiuſque praeſidium in condendis urbibus imploratum fuiſſe, teſtatur praenobile ex aere votivum donarium, quod adtuli in Muſeo Etruſco (1). Cernitur enim Minerva coronato capite ſtans prope aratorem: &, quod notatu dignum, Gorgonis amuletum, non in pectore; ſed iuxta ſiniſtrum brachium in aegide ſculptum geſtat. Hinc iugum iunctis bubus, mare & femina, & quae fuerit priſco aevo aratri figura, ſpectare, ſi quis velit, facile poterit.

VI. Peculiarem quoque ritum a conditoribus Latinarum urbium in veſte, qua amicti erant, ſervatum docent veteres Scriptores. Siquidem cinctu Gabino ſacrum huiuſmodi opus peragere conſueverunt. Id adnotat Servius, cuius integrum textum ſuperius adduxi (2): *Incincti ritu Sabino, ideſt togae parte caput velati, parte ſuccincti, tenebant ſtivam incurvuam.* Sed pro *ritu Sabino*, reponendum eſſe *ritu Gabino*, non dubitant doctiores Critici. Manilius conſentit (3):

> *Vrbibus augebit terras, iunctiſque iuvencis*
> *Moenia ſuccinctus curvo deſcribet aratro.*

Gabinus veſtium cultus iubebat, ut reiecta in tergum toga, una lacinia cingeret hominem. Mos ſuccinctae huiuſmodi veſtis apud Gabios inde manavit, ac poſtea invaluit, ſi Servio credimus, qui hanc hiſtoriolam, ut cenſet Fabrettus (4) edidit, quod cives Gabini, inopinato a Campanis hoſtibus invaſi, dum rem divinam facerent, togis ſublatis, ne impedimento eſſent, ita ab aris ad bella profecti ſunt. Hunc veſtium cultum Etruſcis minime ignotum; ſed ab iiſdem adhibitum, teſtantur marmorea anaglypha monumenta tum a Clariſſimo Bonarrotio, tum a me in lucem edita; nam in his, qui ſacra peragunt, itemque viri dignitate inſignes tunicis ſuccinctis ſpectantur, quae ſuper cingulum ſurſum attractae, breviores fiunt. Eodem quoque veſtium cultu Geniae in ſepulcris Etruſcis ſculptae occurrunt. Gabino pariter habitu cinctuque Penates Deos ita effictos comperimus (5), obvoluta nimirum toga ſuper humerum ſiniſtrum, dextro nudo. Succincta veſte amictum habes Genium Domeſticum, de quo luculenter diſſerit V. C. Paſſerius in Claſſe IV. huius Operis. Gabinum cinctum non ſolum duces, & militares viri; ſed Conſules quoque antiquiſſimis temporibus bellum inducturi amplexati ſunt. Virgilius (6):

Ipſe

(1) Vol. I. Tab. CC.
(2) In Lib. V. Aeneid. verſ. 755.
(3) Lib. IV. Aſtronom. verſ. 553.
(4) De Columna Traiani Cap. IV. pag. 100.
(5) Perſii Interpres Sat. V. verſ. 31.
(6) Aeneid. Lib. VII. verſ. 612.

Ipſe Quirinali trabea , cinctuque Gabino
Inſignis , reſerat tridentia limina Conſul .

Verum, haud forſitan inveriſimile credi poteſt, Romulum, quemadmodum in condenda urbe, ita & in veſtium cultu, Etruſcum ritum ſecutum fuiſſe : quandoquidem Livius, poſtquam ab eo fundatam urbem narravit, Etruſcorum regiae maieſtatis inſignia ſuſcepiſſe ita commemorat (1) : *Rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad concilium multitudine, quae coaleſcere in populi unius corpus nulla re, praeterquam legibus, poterat, iura dedit: quae ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſeipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet, cum cetero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime lictoribus duodecim ſumtis, fecit. Alii ab numero avium, quae augurio regnum portenderant, eum ſecutum numerum putant. me haud poenitet eorum ſententiae eſſe, quibus & apparitores & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga praetexta ſumta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet : & ita habuiſſe Etruſcos, quod, ex duodecim populis communiter creato rege, ſingulos ſinguli populi lictores dederint.*

VII. Tanta fuit conditae a Romulo Vrbis dignitas, ut ſolo communi Vrbis nomine Roma intelligeretur. Quod ei impoſitum eſt nomen, arcanum fuit, illudque evulgare nefas eſſe, Rituales Libri edixere, quod docet Plinius (2): *Romae nomen alterum dicere arcanis caerimoniis nefas habetur.* Cum Plinio concordat Solinus (3). Ignotum quoque Deum, in cuius tutela Vrbs fuit, eſſe voluerunt, ne bello vexata ab hoſtibus tutelare Numen evocaretur (4). Genius Vrbis ipſa Vrbs credita eſt. Genium ſuum ſingula loca, Imperatores, domus, familiae, populi, theatra, nymphaea, fontes, regna, provinciae, municipia, coloniae, centuriae, collegia, theſauri, demum ſepulcra habebant, quorum frequens mentio in ſcriptis antiquis marmoribus habetur. In Dearum numerum aeternam Vrbem Romani conſecrarunt, totoque orbe templa, aras, Sacerdotes, & annua ſacra promeruiſſe legimus. Conditores quoque urbium in numerum Deorum receptos, diviniſque honoribus cultos luculentis exemplis univerſa docet vetuſtas : quae omnia, ne extra choream nunc agam, eruditis viris uberrime explicanda relinquo.

CA-

(1) Lib. I. 8.
(2) Hiſtor. Natur. Lib. III. Cap. V.
(3) Cap. I. Vide etiam Politianum Lib. I. Epiſtol. II.
(4) V. Macrob. Saturnal. Lib. III. Cap. XI.

CAPVT II.

De Vrbium antiquarum Moenibus, Pomoerio, & Cippis ſive Terminis.

I. EXpoſitis Etruſcis ritibus, quos Varro, Romanorum Scriptorum doctiſſimus, in condendis urbibus ſervatos in Latio docet, quos etiam Etruſcarum urbium conditores ſervaſſe minime dubitare poſſumus; ad moenia primum, mox ad pomoerium & cippos, de quibus ſermo inſtituendus eſt, gradum facio. In ipſis quoque moenibus ponendis, quae priſca Tuſcorum Religio, ac ſacrorum rituum diſciplina iubebat docebatque, veteres Latinos perfeciſſe, graviſſimi Scriptores teſtantur. Moenia eum locum occupare debebant, quem ſulcus & foſſa deſignaverat: quem locum ſacrum profecto fuiſſe iam obſervavimus. Neque pigeat ipſum Varronis textum iterum audire: *Oppida condebant in Latio, ETRVSCO RITV, multa, id eſt iunctis bubus, tauro & vacca interiori aratro circumagebant ſulcum: hoc faciebant RELIGIONIS CAVSA die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita: terram unde exſcalpſerant, foſſam vocabant, & introrſum factum, murum: poſtea quod fiebat orbis, urbs*. Munimenta igitur urbis, quae moenia, foſſae, aggeres, & vallum ptaeſtabant, ab ipſa Religione eiuſque praeſcriptis pendebant. Fundamenta murorum non ſine auſpiciis iacta, docet Iulius Solinus (1), de Vrbe a Romulo condita verba faciens: *Auſpicato fundamenta murorum iecit duodevigiinti annos natus*.

II. Ritus uſurpati in iaciendis templorum fundamentis, hiſce murorum condendorum ritibus lucem conferre poſſunt. Inſignis exſtat ſacrarum caerimoniarum deſcriptio penes Tacitum (2), qui imperante Veſpaſiano Capitolinum templum reſtitutum memorat: *Curam reſtituendi Capitolii in L. Veſtinium confert, equeſtris ordinis virum; ſed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti Haruſpices, monuere, ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum iiſdem veſtigiis ſiſteretur: nolle Deos mutari veterem formam. Vndecimo Kalendas Iunias, ſerena luce, ſpatium omne quod templo dedicabatur, evinctum vittis coroniſque. Ingreſſi milites, quis fauſta nomina, felicibus ramis: dein Virgines Veſtales, cum pueris puelliſque patrimis matrimiſque, aqua rivis & fontibus amnibuſque hauſta, perluere. Tum Helvidius Priſcus Praetor, praeeunte Plautio Aeliano Pontifice, luſtrata ſuovetaurilibus area, & ſuper ceſpitem redditis extis, Iovem, Iunonem, Minervam,* prae-

(1) Polyhiſt. Cap. 1.

(2) Annal. Lib. IV. 53.

praeſideſque imperii Deos precatus uti coepta proſperarent, ſedeſque ſuas pietate hominum inchoatas, divina ope adtollerent: vittas, queis ligatus lapis innexique funes erant, contigit. Simul ceteri Magiſtratus, & Sacerdotes, & Senatus, & Eques, & magna pars populi, ſtudio laetitiaque connixi, ſaxum ingens traxere: partimque iniectae fundamentis argenti aurique ſtipes, & metallorum primitiae nullis fornacibus victae, ſed ut gignuntur. Praedixere Haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo auro-ve in aliud deſtinato. Lapidem, quem in fundamentis iaciebant veteres, *auſpicalem* dixere, idque factum in templis fundandis ſolemni Pontificis precatione, docet antiquis litteris ſcriptum marmor in Theſauro Gruteriano (1).

III. Pontificio Etruſcorum iure, quod Latini amplexati ſunt, non ſolum illud totum terrae ſpatium aratro deſignatum a conditoribus urbium, quod murus ambitu occupare debebat, ſacrum & inviolabile; ſed etiam murus ipſe ſacer, nulloque auſu aut crimine violandus cenſebatur, auctore Plutarcho (2), qui ἄβεβηλον καὶ ἱερὸν habitum fuiſſe ſcribit. Varronis ſententiam laudat Plutarchus, qui muros ea de cauſa ſacros exiſtimandos cenſet, quod pro his pugnare alacrius cives debeant, mortemque etiam oppetere. Pro patriae ſalute & incolumitate Decii, Curtius, & Scaevola ſe devoverunt (3). Hinc Romulus fratrem Remum interemit, quod, ut vulgatior eſt fama, ludibrio fratris tranſiluiſſet muros (4), atque ita ſacrum locum tranſcendendo profanum reddidiſſet. Profecto ſacros muros efficiebat Religio ipſa, ſacri item ritus, tum auſpicia atque auguria, tum etiam quia tota urbs patrii Numinis tutelaris templum, aliorumque Deorum, quorum in ipſa urbe condenda opem invocationibus poſtulaverant, aedes quodammodo cenſebatur. Quod vero diſcrimen inter moenia & portas urbium interſit, paullo inferius ex antiquis monumentis depromam. Inter leges a Romulo latas, illam, dummodo vera ſit, adferunt, qua cautum eſt: MOENIA SACROSANCTA SVNTO. (5) Quid vero *ſacroſanctum* ſit, meritoque ita dici poſſit, docet Cicero (6): *Sacroſanctum nihil eſſe poteſt niſi quod populus plebeſve ſanxiſſet. Deinde ſanctiones ſacrandae ſunt aut genere ipſo, aut obteſtatione & conſecratione legis, aut poenae, quum caput eius, qui contra fecit, conſecratur.*

IV. Neque tantum moenia urbium *ſacra*, verum etiam *ſancta* habita ſunt. Auctor mihi Feſtus, qui haec ſcribit ex Gallo Aelio (7): *Inter* ſacrum *autem &* ſanctum *&* religioſum *differentias bel-*

(1) Pag. XXIX. 5.
(2) Quaeſt. Roman. Cap. XXVII.
(3) Livium vide Lib. II. & VIII. & X. Val. Maximum Lib. V. Cap. VI.
(4) Ex eodem Livio Lib. I. 7. quod etiam Plutarchus & Diony. Halicarn. ſcribunt.
(5) Vide Marlianum Vrbis Romae Topographia Lib. II. Cap. VIII.
(6) Pro Balbo 14.
(7) In voce *Religioſus*.

belliſſime refert. Sacrum aedificium, conſecratum Deo. Sanctum murum, qui ſit circum oppidum. Religioſum ſepulcrum, ubi mortuus ſepultus aut humatus ſit, ſatis conſtare ait; ſed ita portione quadam & temporibus eadem videri poſſe. Siquidem quod ſacrum *eſt, idem, lege aut inſtituto maiorum,* ſanctum *eſſe putant, ut violari id ſine poena non poſſit. Idem* religioſum *quoque eſſe, quoniam ſit aliquid, quo ibi homini facere non liceat: quod ſi faciat, adverſus Deorum voluntatem videatur facere. Similiter de muro & ſepulcro debere obſervari, ut eadem &* ſacra & ſancta & religioſa *fiant; ſed eo modo, quod ſupra expoſitum eſt, quum de* ſacro *diximus*. Interdum generali poteſtate *ſanctum*, qua & pro *ſacro* ponitur, ut apud Ciceronem (1) obſervat V. C. Georgius d' Arnaud (2): *Vrbis muri, quos, vos Pontifices* SANCTOS *eſſe dicitis, diligentiuſque Vrbem religione, quam ipſis moenibus cingitis*. Non raro etiam haec coniunguntur, quod factum a Tullio animadvertimus (3): *Id ſemper populo Romano, ſemper Senatui, ſemper ipſis Diis immortalibus, ſatis* SANCTVM, *ſatis* AVGVSTVM, *ſatis* RELIGIOSVM *eſſe viſum eſt*. Veteres Iureconſulti moenibus dumtaxat ſanctitatem tribuunt (4): *Sanctae res, veluti muri: & portae quodammodo divini iuris ſunt*. Portis ſanctitatem non tribuerunt Etruſci, eorumque exemplo Latini, ut mox dicam. Quando vero portae *ſanctae* dicuntur, ibi *ſanctum* pro *ſacro* uſurpatum docti viri volunt: quam diſtinctionem docet Feſtus (5): *Rituales nominantur Etruſcorum Libri, in quibus perſcriptum eſt, quo ritu condantur urbes, arae, aedes ſacrentur, qua* SANCTITATE MVRI, *quo iure portae, quo modo tribus, curiae, centuriae diſtribuantur, exercitus conſtituantur, ordinentur, ceteraque eiuſmodi ad bellum ac pacem pertinentia*. Sacra erat ipſa aratio, captatis auguriis facta, poſt quam murum faciebant, auctore M. Catone (6): *Captato augurio, qui urbem novam condebat, tauro & vacca arabat: ubi araſſet, murum faciebat: ubi portam volebat eſſe, aratrum tollebat, & portam vocabat*. Adpellantur etiam a Virgilio (7) Latini Regis moenia AVGVSTA, id eſt augurio conſecrata, ut explicat Servius, eodem Etruſcorum ritu, ſine dubio, aedificata:

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum Oratores AVGVSTA AD MOENIA *Regis*
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes.
Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.

 V. Moe-

(1) De Nat. Deorum Lib. V. cap. ult.
(2) Variarum Coniect. Lib. I. Cap. XV.
(3) De Haruſpic. Reſp. 6.
(4) Gaius, exſcript. ab Iuſtinian. §. 10. Inſt. de R. D. & A. E. D. ait in l. 1. D. de D. R.
(5) In voce *Rituales*.
(6) In Fragmentis.
(7) Aeneid. Lib. VII. verſ. 153.

V. Moenia a *muniendo* dicta conſtat ; quia his munimur adverſus hoſtes. Varro etymon confirmat (1): *Opere muniebant moenia, quo munitius eſſet oppidum*. Voſſius (2) *munio*, ab ἀμυνύω, hoc eſt *tueor*, *defendo*, ex Servio deducit. Veteres *moenire*, pro *munire* dixerunt. Plautus (3):

Ita vinclis cuſtodiiſque circum moeniti ſumus.

A *moenus*, ut notat Voſſius, factum *moerus*, converſo *n* in *r*: at *moerus*, ut Servius adnotat (4), quia veteres pleraque eorum, quae nos per *u* dicimus, per *oe* diphthongon pronuntiarunt. Hinc *coerare*, pro *curare*. Virgilius *moerorum*, pro *murorum* dixit (5):

Quin intra portas, atque ipſis praelia miſcent
Aggeribus moerorum. ——————

Moerus vero a μοῖρα, id eſt *pars*; quia *quiſque pro rata parte muros exſtruebat, reficiebat ac tutabatur*. Murorum tutamenta ac propugnacula fuere aggeres, valla, turres, foſſae. Hinc ortum praecellentium militum decus, coronae vallares: murales quoque his dono datae ex auro, qui primi, dum urbs caperetur, muros conſcendiſſent (6). In aedificandis muris & primos & praeſtantes in Italia fuiſſe Etruſcos oſtendi, & infra clarius oſtendam.

VI. A *moero*, hoc eſt *muro*, dictum *pomoerium* cenſent veteres Grammatici. Pomoerium ex Etruſcorum religione locus ſacer fuit, nullis profanis uſibus ac negotiis violabilis: eratque illud ſpatium terrae intra & extra deſcriptam foſſam (7). Ex recitatis Varronis verbis, pomoerii locum & religionem diſcimus: *Quod erat poſt murum, pomoerium dictum, eoque auſpicia urbana finiuntur*. Aulus Gellius pomoerii definitionem, ſeu potius ſententiam adfert (8): *Pomoerium quid eſſet, Augures Populi Romani, qui libros de Auſpiciis ſcripſerunt, iſtiuſmodi ſententia definierunt: „Pomoerium, eſt locus intra agrum effatum „per totius Vrbis circuitum pone muros, regionibus certis determinatus, qui „facit finem urbani auſpicii*. Qua autem de cauſa pomoerium poneretur, docet Livius mox adferendus; ne ſcilicet interiori parte aedificia moenibus continuarentur; & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Nefas enim intra pomoerium auſpicato conditum profana negotia habere: quod etiam adnotat Laelius Fe-

(1) Lib. IV. de Lingua Lat.
(2) In Etymol. L. L. v. MOENIA.
(3) In Captiveis Act. II. Sc. I.
(4) In Lib. X. Aeneid. verſ. 13.
(5) Ibidem.
(6) Gellium Lib. V. Cap. VI. Noct. Attic.
(7) Fabius Pictor, auctor ſuppoſititius, pomoerii auctorem Ianum facit. Id etiam repetendum ſuperius in Notis pag. 9.
(8) Noct. Attic. Lib. XIII. Cap. XV.

Felix apud eumdem Gellium (1): *Centuriata Comitia intra pomoerium fieri neſas eſſe; quia exercitum extra urbem imperari oporteat: intra Vrbem imperari ius non ſit*. Feſtus pomoerium *poſtmurium* & *promurium* dictum ſcribit: *Proſimurium* (alii Codices *poſtmurium*) *Pontificale pomerium, ubi Pontifices auſpicabantur. Dictum autem pomerium, quaſi promurum* (alii Codices *poſtmurum*) *id eſt proximum muro*. Quum vario modo Scriptores declarent pomoerii locum (nam aliqui *poſt murum*, alii *prope murum*, alii *proximum muro*, ſeu *circa murum* definiunt) nil mirum, ſi ex recentioribus aliqui docti homines pomoerium extra muros, alii intra muros Vrbis ſtatuerunt. Sententiae Onuphrii Panvinii, magni nominis & doctrinae viri (2), lubens inhaereo, qui pomerium tam intra, quam extra Vrbis murum fuiſſe cenſet: quo in loco, utpote auguriis & auſpiciis conſecrato, nullum plane fieri aedificium patiebantur. Nil ad hanc litem dirimendam illuſtrius & opportunius Livii auctoritate, qui Vrbem aggere, foſſis & muro circumdatam a Servio Tullo deſcribens, ita pomoerium ab eo amplificatum, & quid ſit pomoerium docet (3): *Pomoerium, verbi vim ſolam intuentes, poſt moerium interpretantur eſſe. Eſt autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etruſci, qua murum ductari erant, certis circa terminis inaugurato conſecrabant; ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam coniungunt: & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Hoc ſpatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod poſt murum eſſet, quam quod murus poſt id, pomoerium Romani adpellarunt: & in urbis incremento ſemper, quantum moenia proceſſura erant, tantum termini hi conſecrati proferebantur*. Plutarchus habet (4): Πομήριον, ὄπιθεν τείχους, καὶ μετα τεῖχος. *Pomoerium poſt muros, & prope muros*. Quum Varro doceat pomoerio auſpicia urbana finiri; patet ea finem habuiſſe non muro, ſed pomoerio. Sed cum intra, tum extra Vrbem pomoerium fuiſſe, diſerte docet alio in loco Livius (5): *I, lictor, colliga manus, quae paullo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis huius. Arbori infelici ſuſpende: verbera vel intra pomoerium, modo inter pila & ſpolia hoſtium: vel extra pomoerium, modo intra ſepulcra Curiatiorum*.

VII. Pomoerii ſacrum locum, ut facile cognoſcerent omnes, quo ambitu urbana auſpicia finirentur, cippis ac terminis tamquam limitibus circumſeptum fuiſſe, docet adlatis a me locis Varro (6), qui

 aeta-

(1) Noct. Attic. Lib. XV. Cap. XXVII.
(2) De Vrbe Roma pag. 21.
(3) Lib. I. 44.
(4) In Vita Romuli.
(5) Lib. I. 26.
(6) Lib. IV. de Ling. Lat.

aetate ſua adhuc incolumes erant : *Cippi pomoerii ſtant & circum Ardeam , & circum Romam* . Livius locum pomoerii certis circa terminis augurato conſecratum fuiſſe , ita memorat : *Eſt autem* (pomoerium) *magis circa murum locus , quem in condendis urbibus , quondam Etruſci , qua murum ducturi erant , certis circa terminis augurato conſecrabant* . Ex Etruſcorum inſtituto ſacros fuiſſe & hos pomoerii terminos, ac cippos , coniicio ; quandoquidem Scriptores rei Agrariae in privatis agris terminos , ſtellas , & arcas conſecratas , item ſacrificio facto terminos poſitos ſcribunt. Sed egregium Siculi Flacci teſtimonium adferre perlubet, ex ipſis priſcae religionis arcanis ritibus ac caerimoniis magna ex parte Etruſcis depromtum (1) : „ Quum „ enim terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam ter- „ ram rectos conlocabant proxime ea loca , quibus foſſis factis de- „ fixuri eos erant , & unguento velaminibuſque & coronis eos co- „ ronabant. In foſſis autem , in quibus poſituri eos erant, ſacrificio „ facto , hoſtiaque immaculata caeſa , facibus ardentibus in*iectis* „ foſſa cooperati ſanguinem inſtillabant , eoque thura & fruges „ iactabant : favos quoque & vinum , aliaque quibus conſuetudo „ eſt terminis ſacrum fieri [in foſſa adiiciebant] : conſumtiſque „ omnibus dapibus igne , ſuper calentes reliquias lapides conloca- „ bant , atque ita diligenti cura confirmabant , adiectis etiam qui- „ buſdam ſaxorum fragminibus circumcalcabant , quo firmius ſta- „ rent. Tale ergo ſacrificium domini , inter quos fines dirimeban- „ tur , faciebant . Nam & ſi in trifinium, id eſt, in eum locum, „ quem tres poſſeſſores adtingebant , termini ponebantur , omnes „ tres ſacrum faciebant : quique alii in confinio domini erant , „ omnes ex convenientia terminos ponebant , & ſacrum faciebant. „ Termini tum in agris , tum circa religioſum ſepulcri locum poſiti in acumen deſinentes , tutulum referebant, qui ſacer erat ; quare Diis & Flamini Diali veteres eum tribuerunt. Credibile eſt , pomoerii quoque terminos litteris inſcriptos fuiſſe . Pomoerii fines proferre ac promovere poterant Conſules , Imperatores Caeſares , & hi tantum , qui Rempublicam agris ab hoſtibus captis auxiſſent . Vetuſta marmora non adfero , quae pomoerium ampliatum terminatumque memorant ; nam & in Gruteriano Theſauro (2) , & a Dempſtero adducuntur (3) .

CA-

(1) De condit. agrorum .
(2) Pag. CXCVI. 1. 2. 3. 4. & pag. CCXLIV.
(3) De Etr. Reg. Lib. III. Cap. XVI.

CAPUT III.

De Etruſcorum antiquorum in re aedificatoria ingenio, induſtria, peritia, & in condendis urbium moenibus magnificentia.

I. OStendimus in ſuperiore capite, fulgida face praelucente mihi Varrone, aliiſque celeberrimis Scriptoribus, qui fuerint in condendis urbium moenibus Etruſci ritus: nunc de eorumdem Etruſcorum moenium ſtructura diſſerendum eſt. Inter eximias Tyrrhenorum laudes ea ſummum decus & gloriam iiſdem adferre videtur, quod omnium primi τειχυποιΐαν, artem nempe exſtruendi moenia, excogitarint, atque Italis monſtrarint: quod ſcribit Lycophronis Scholiaſtes (1): Τυρσις. τὸ τεῖχος, ὅτι Τυρσηνοὶ πρῶτον. ἐφοῦρον τὴν τειχοιΐαν. Hunc ipſum locum mihi indicavit Ludovicus Caelius Rhodiginus (2), quum de lucernis & candelabris Tuſcorum ſermonem interſeruiſſet: Lychniae, *id eſt* candelabra *Tyrrhenorum, commendationis videntur habuiſſe plurimum; quippe Tyrrhenos laudant Graeci, ut* φιλοτέχνας, *id eſt* artium ſtudioſos. *Nam & moenia ſubſtruere, id eſt* τειχοποιΐαν *excogitaſſe, omnium primi feruntur Tyrrheni, quod ſcribit Lycophronis Interpres; unde factum, ut pro* muro *dicatur* tyrſis. *Quin, inquit Dionyſius, ab Tyrrhenis denſius exſtructae domus vocantur* tyrſes: *quod obſervarunt Graeci quoque. Sed & hinc conciliatum Tyrrhenis nomen, produnt nonnulli ab* tyrſium *munimentis: veluti* moſſynoecis *in Aſia, de turribus ligneis, quas* moſſynos *dicunt.* Tyrſes *nominat Xenophon quoque.* Scriptores vetuſtiſſimi Homerus, Heſiodus, Herodotus, Thucidides, aliique, quos enumerat Bochartus (3), pro Tyrrhenis & Tyrrhenia Τυρσηνοὺς *Tyrſenos* ſcribunt & Τυρσηνίαν *Tyrſeniam*: nempe, ſi Dionyſio credimus, ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων ἃ πρῶτοι τῶν τῇδε οἰκούντων κατασκευάσαντο: *a munitionibus, quas accolarum primi exſtruxerunt.* Hae enim munitiones, eodem auctore, τύρσεις *tyrſes*, id eſt, *turres* dicuntur tam Tuſco ſermone, quam Graeco. In muris exſtruendis praeſtantes quoque fuere Tyrrheni Pelaſgici generis, quorum ſtudio & arte, quum nondum Athenae Graecis artificibus florerent, conſtructum *Pelaſgicum murum* Athenis laudat Heſychius.

II. Moenium decus ac maieſtatem augent foſſae; ſed & in foſ-

(1) Ad verſ. 717. Caſſandrae.
(2) Lect. Antiquar. Lib. VI. Cap. XVIII.
(3) Geograph. Sacr. Lib. I. Cap. XXXIII.

foſſis faciundis praecelluiſſe omnibuſque exemplo praeiviſſe Tuſcos, docet Plinius (1): qui tamen de foſſis tantum ad aquas ne exundarent, intra flumina coërcendas, factis aggeribus ac ſepimentis, agit: *Proximum inde oſtium Capraſiae: deinde Sagis: dein Volane, quod ante Olane vocabatur. Omnia ea flumina FOSSASQVE primi a Sagi* (alii Codices *Aſagi*) *fecere TVSCI, egeſto amnis impetu per tranſverſum in Hatrianorum paludes, quae* ſeptem: maria *adpellantur, nobili portu oppidi Tuſcorum Hatriae, a quo Hatriaticum mare ante adpellabatur, quod nunc Hadriaticum*. In hunc Plinii locum V. C. Alexius Symmachus Mazochius multa erudite adnotavit (2). Foſſas maximo praeſidio urbibus fuiſſe conſtat: quum enim duo machinarum eſſent genera; unum, cuius ictu impulſuque proſternerent opus; alterum quo ſubfodiebant muros ac ſubſtruebant, utriſque, ut obſervat Florentinus Vitruvius Leo Baptiſta Albertius (3), magna ex parte providebatur non muro magis quam foſſa: quam latam & admodum profundam eſſe voluerunt. Haec ſequiore quoque aevo ſervaſſe maiores noſtros, quum urbem tertio moeniis ampliaſſent, nempe his quas cernimus, docet inſcriptum marmor, quod in moeniis inſertum ad hoc tempus cernimus inter portam, quae *Pinti* dicitur & portam Crucis. In utroque marmoris angulo ſuperius ſculpta ſunt hinc inſignia Reipublicae Florentinae, nempe Lilium, hinc Communis ſeu Populi, nempe Crux (4). Characteres, ut aiunt, Gothicos imitantur, qui accurate typis noſtris repraeſentari non poſſunt.

ANNI DÑI MCCCX ĪDICTIONE
VIII. LA VIA DEL COMVNE DEN
TRO ALE MVRA. E b'z XVI. E LE MV
RA GROSSE b'z III. z MEZZO E FOSSI
AMPII IN BOCCHA E COL GIETTO b'z
XXXV. E LA VIA DI FVORI SV LA FOS
SA b'z XIII. z MEZZO E LE FOSSETTE
DA LA VIA A LE CAMPORA b'z II. E
MEZZO E COSI DE ESSERE IN TVTTO
b'z LXX. E MEZZO

III.

(1) Hiſt. Nat. Lib. III. Cap. XVI.

(2) Vide Tom. III. Diſsert. Nobilis Etruſcae Academiae Cortonenſis, in qua Diſſert. I. *Sopra l' Origine de' Tirreni* §. 1. pag. 21. cuius auctor idem praelaudatus Can. Mazochius.

(3) De Re aedificatoria Lib. IV.

(4) Hanc Inſcriptionem ipſe accurate delineavi, & apographum dono dedi Societati Columbariae Florentinae Academiae. Vide Annale III. anni MDCCXXXVII. pag. 10.

III. Moenia, ut operum aeternitati proſpicerent, veteres Tuſci e quadratis lapidibus conſtruxerunt. Servant & ipſa moenia regulas Tuſcanicae Architecturae, ſive ſpectes eorum fundamenta, ſive amplitudinem, craſſitudinem & conſtructionem, ſive etiam turres & munitiones, de quibus Vitruvius (1). Sed ad rem noſtram, quid de moeniis Etruſcarum urbium ſcribat praelaudatus Florentinus Vitruvius, exponendum eſt (2): „ Moenibus veteres, praeſertim populi „ Etruriae, quadratum, eundemque vaſtiſſimum lapidem probavere: „ quod ipſum Athenae quoque, auctore Themiſtocle, uſurparunt „ ad Pyreum. Viſuntur & vetuſta oppida, cum Etruriae, tum & „ Vmbriae, tum etiam apud Hernicos, lapide adſtructa praegrandi, incerto & vaſto: quod mihi quidem opus vehementer pro„ batur; quandam enim praeſefert rigiditatem ſeveriſſimae vetuſta„ tis, quae urbibus ornamento eſt. Ac velim quidem eiuſmodi eſſe „ urbis murum; ut, eo ſpectato, horreat hoſtis, & mox diffidens „ abſcedat. Maieſtatem adferet latiſſima profundaque foſſa, ripis „ abruptis coërcita muro, qualem ad Babylonem fuiſſe ferunt, cu„ bitos regios latam quadraginta, & profundam plus centum. Au„ gebit maieſtatem altitudo & craſſitudo moenium, qualia feciſſe „ legimus Ninum, Semiramim, Tigranem, & pleroſque omnes, „ qui animo ad magnificentiam propenſi fuerunt. In turribus & „ decurſoriis moenium Romae vidimus pavimenta picta opere „ teſſellato, & parietes cruſtatos venuſtiſſime. Coronarum vero & „ cruſtationum deliciae moenibus non debentur; ſed pro coronis „ paullo abſtruſiores aliqui praelongi lapides ad regulam & libel„ lam prominebunt. Pro cruſtatione autem, tametſi aſperitas fron„ tis ultro contumax & quaſi minitabunda perſtabit; velim tamen „ lapides ita iunctos eſſe ad angulos lineaſque mutuas, ut adſtru„ cta, nuſquam hiatibus dehoneſtentur. Id commodiſſime adſeque„ mur regula Dorica, cui ſimilem oportere legem eſſe, aiebat „ Ariſtoteles; ea enim erat plumbea, flexibilis; nam quum habe„ rent illi quidem apud ſe lapides praeduros & intractabiles, im„ penſae ac labori parcentes, non ad rectos angulos dolabant gle„ bas; ſed incertis ordinibus, uti ſe quiſque cubilia caperet, ad„ ponebant: ea re, quia circumferre lapidem, quoad locos idoneos „ & ſedem aptam captaſſent, laborioſiſſimum eſſet, flexibilem hu„ iuſmodi regulam adpingebant: angulumque lateraque iungendi „ lapidis concingebant, & obflexa pro norma utebantur, qua ſtru„ ctorum lapidum intervacua praetentarent, uſurparentque locos, „ ubi copulandum lapidem confirmarent, atque deinceps interſere„ rent.

(1) Lib. I. Cap. III.

(2) De Architect. Lib. VII. Cap. II.

„ rent. Tum & venerationis gratia intra pomoeria, & pro muris
„ velim patulam circumſcribi viam, ſacrarique publicae libertati:
„ quam quidem ne foſſa, ne pariete, ne ſepto, neve arbuſto qui-
„ dem homo quivis impune compediat.

IV. Quod ſi moenia & foſſas Etruſci omnium primi Italis oſtenderunt, ut cives ab hoſtibus tuerentur, eorum quoque valetudini conſultum iri urbium ſitu cenſuerunt; quare in locis arduis & adceſſu difficillimis eas condiderunt. Laudat Dionyſius Veios, Etruſcorum urbem potentiſſimam, quam diſtaſſe ſcribit ab Vrbe centeſimo lapide, nec fuiſſe Athenis minorem, fundatam in excelſo & undique praerupto ſcopulo. Hanc Romuli exercitus, quum veteranos viciſſet, proſecutus fuſos hoſtes ad moenia, ut eam vidit muris validam, ac ſitu ipſo munitam, abſtinuit. Vrbes editis in locis conditae, ut etiam obſervat Ariſtoteles (1), caelo puriore, adeoque perpetua ſalubritate fruuntur; ſed in editis locis atque in ipſis montibus quum urbes conderent, adeo ſagaces fuere Tuſci, ut planitiem quandam exquirerent; quam praecipuae Vrbes Etruriae obtinent. Multa vero incommoda urbes illae patiuntur, quae in plano conſtitutae fuere, quae Leo Baptiſta Albertius enumerat.

V. Non omnes tamen Etruſcorum urbes aequum ambitum & partium diſtributionem; ſed variam, ſeu rotundam, ſeu polygonam ſervant. De his praelaudatus Leo Baptiſta Albertius (2): „ Veteres
„ Architecti oppidis circumdandis, murorum angulos improbarunt;
„ quod hoſtibus laceſſentibus magis quam incolis defendentibus opi-
„ tulentur: quod item ad machinarum iniurias tolerandas ſint ne-
„ quaquam validi. Et certe anguli ad inſidias atque telorum miſ-
„ ſiones expugnatoribus nonnihil conferunt, ubi excurrendi & ſe ſe
„ recipiendi facultas praeſtetur. Montanis autem urbibus iidem
„ maximo interdum praeſidio ſunt, ubi ſe adverſus viarum oc-
„ curſus offerunt. Ad PERVSIAM urbem celebrem, quia vicos hac
„ illac quaſi a manu diſpanſos digitos per obductos calles porrigat,
„ ſi volet hoſtis anguli frontem petere, non patebit illic ubi multa
„ inceſſet manu, & quaſi aliqua ſubinſidente arce exceptus, tela
„ eruptioneſque non perferet. Itaque non locis omnibus circumdan-
„ dae urbis una eademque ratio eſt. „ Vrbes conditas in edita rupe, ac praecipiti damnat idem Albertius: „ Alii praecipitiis loco-
„ rum eſſe urbis latus finiendum monent. Sed praecipitia ipſa fer-
„ me omnia, quam ex ſe contra motus, & tempeſtates invalida
„ ſint; monſtrant cum alibi pleraque oppida, tum & in Etruria

„ VOLA-

(1) Politicor. Lib. VII. Cap. 1I.

(2) De Re aedificat. Lib. IV. Cap. 1I.

„ VOLATERRAE ; labuntur enim temporum ductu, & quae impo-
„ ſueris, trahunt in ruinam.

VI. Nec tantum civium ſaluti & tutelae Tuſci in condendis urbibus perſpexere; verum etiam frenis iniectis iniquorum hominum licentiae, caſtitate, & morum ſanctitate, Religionem ſartam tectam eſſe voluerunt. Templa ſiquidem ex vetere diſciplina, quam etiam Romani obſervarunt, non omnibus Diis omni in loco ponenda cenſuere. Nam Deos quidem, qui paci, qui pudicitiae, qui bonis artibus praeeſſent, intra moenium ſepta collocandos putarunt: qui autem voluptates, rixas, incendia cierent, excludendos ſanxerunt. Praeſtat hac de re Vitruvii Pollionis teſtimonium adferre (1): *Id autem etiam Etruſcis Haruſpicibus, diſciplinarum ſcriptis, ita eſt edictum: extra murum Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, uti non inſueſcat in urbe adoleſcentibus ſeu matribus familiarum Venerea libido, Vulcanique vi e moenibus, religionibus & ſacrificiis evocata, ab timore incendiorum aedificia videantur liberari. Martis vero divinitas, quum ſit extra moenia dedicata, non erit inter cives armigera diſſenſio; ſed ab hoſtibus ea defenſa & belli periculo, conſervabit. Item Cereri extra urbem loco, quo non ſemper homines, niſi per ſacrificium, neceſſe habeant adire: cum religione caſte ſanctiſque moribus is locus debet tueri.* Tantum ſtudium antiquis Tuſcis, non ſolum obſervandae, tuendaeque, verum etiam amplificandae Religionis fuit.

VII. Singulae vero urbes, praeter fatales Genios, ad tutelam Deos ſibi adſciverunt, quos ignotis nominibus arcaniſque ſacris devenerati ſunt, ne, uti ſuperius diximus, evocati, obſeſſa urbe, captaque ad hoſtes migrarent, & ita ſacrilegia evitarent (2). Evocandi religioſos ritus tum apud Etruſcos, tum apud veteres Latinos & Romanos ſolemni aliqua formula uſurpatos, docet Plinius (3): *Exſtat Annalium memoria, ſacris quibuſdam & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Etruriae eſt, impetratum Vulſinios urbem agris depopulatis, ſubeunte monſtro, quod vocavere Voltam: evocatum & a Porſena ſuo rege: & ante eum a Numa ſaepius hoc factitatum, ut primo Annalium ſuorum tradit L. Piſo gravis auctor.* Maximos Deos, omnium gentium conſenſu receptos, *Conſentes* & *Complices* Etruſci nominarunt, teſte Arnobio (4). Subſpicor, urbium praeſides & propugnatores Deos, aut Genios ea ſpecie ſculptos, ut in pluribus iam editis ſimulacris cernimus, quaſi iaculantes fulmen, paratos ad urbium ſalutem & tutelam. Deorum urbium tutelarium frequens invocatio expreſſa in Ta-

(1) De Architect. Lib. I. Cap. VII.

(2) Vide etiam Virgilium Aeneid. Lib. II. verſ. 351. & in eum locum Servium. Macrobium Saturnal. Lib. III. Cap. IX.

(3) Hiſt. Nat. Lib. II. Cap. LIII.

(4) Lib. III. adverſ. Gent.

Tabulis Eugubinis, toto terrarum orbe celeberrimis, quas Ioannes Baptiſta Paſſerius, vir ſummae eruditionis, egregio Commentario nuper illuſtravit; & multa nobis antea ignota patefecit. Veterum ſuperſtitionem in colendo Vrbis Genio, & Fato, quorum auſpiciis eam ſtare arbitrabantur, merito inridet, & refellit Prudentius (1):

At ſollers Orator ait: Fataliter Vrbem
Sortitam quonam Genio proprium exigat aevum;
Cunctis nam populis, ſeu MOENIBVS inditur, inquit,
Aut FATVM, aut GENIVS: noſtrarum more animarum,
Quae ſub diſparili ſubeunt nova corpora ſorte.

VIII. Nec ſolum moenia, verum & turres ſacras habitas fuiſſe colligimus; nam ſi de caelo tactae fuiſſent, piaculari ſacro, immolatis hoſtiis, re divina facta, inſtitutiſque ludis expiabantur; ut Varro de ſcaenicis Originibus Libro primo ita ſcriptum reliquit, cui Antias, aliique Hiſtorici auctores fuerunt: *Quum multa portenta fierent, & MVRVS ac TVRRIS, quae ſunt inter portam Collinam & Eſquilinam, de caelo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos Decemviri adiiſſent, renuntiarunt, ut Diti Patri, & Proſerpinae ludi Tarentini in Campo Martio fierent, & hoſtiae furvae immolarentur: utique ludi centeſimo quoque anno fierent.* Hunc Varronis locum adfert Cenſorinus (2), qui ſcribit Rituales Etruſcorum Libros docuiſſe, quae nam eventura forent, & quae ſaecula ſucceſſura ex ipſo natali urbium die: & id quidem, adnotatis quibuſdam praeſagiis, quibus putarunt certos eventus temporum poſſe praenuntiari; adeoque, ut Leo Baptiſta Albertius explicat (3), non ſpectato caelo, ſed captis ex praeſentium rerum argumentis, atque coniectura. Haec igitur eos monuiſſe ſcribit Cenſorinus (4): *Sed, licet veritas in obſcuro lateat; tamen in unaquaque civitate quae ſint naturalia ſaecula, Rituales Etruſcorum libri videntur docere: in quibus ſcriptum eſſe fertur, initia ſic poni ſaeculorum, quo die urbes, atque civitates conſtituerentur: de his, qui eo die nati eſſent, eum, qui diutiſſime vixiſſet, die mortis ſuae primi ſaeculi modulum finire: eoque die, qui eſſent reliqui in civitate: de his rurſum eius mortem, qui longiſſimam aetatem egiſſent, finem eſſe ſaeculi ſecundi: ſic deinceps tempus reliquorum terminari; ſed ea, quod ignorabant homines, portenta mitti divinitus, quibus admonerentur, unumquodque ſaeculum eſſe finitum. Haec portenta Etruſci, pro Haruſpicii, diſciplinaeque ſuae peritia, diligenter obſervata in libros retulerunt. Quare in Tu-*

ſcis

(1) Contra Symmach. Lib. Poſter. verſ. 370.
(2) De Die Natali Cap. XVII.
(3) De Re aedificat. Lib. IV. Cap. III.
(4) De Die Natali Cap. XVII.

ſcis Hiſtoriis, quae octavo eorum ſaeculo ſcriptae ſunt, ut Varro teſtatur, & quot numero ſaecula ei genti data ſunt, & tranſactorum ſingula quanta fuerint, quibuſve oſtentis eorum exitus deſignati ſint, continentur. Itaque ſcriptum eſt, quatuor prima ſaecula, annorum fuiſſe centum & quinque: quinctum, centum viginti trium: ſextum, undeviginti & centum: ſeptimum totidem: octavum tum demum agi: nonum & decimum ſupereſſe, quibus tranſactis finem fore nominis Etruſci. Poſt haec ſubdit Leo Baptiſta Albertius (1): *Tum: & ſaecula ipſa qualia futura ſint, non ignorari arbitrabantur hiſce indiciis. Romam quidem orbis imperium habituram ex eo coniectarunt, quia, qua die condita ſit, ex natis per eam diem unus regnum adeptus ſit. Hunc invenio fuiſſe Numam; nam conditam Urbem, & natum Numam XIII. Kalendas Maias meminit Plutarchus.* Vana haec ſuperſtitio, hominum, urbium rerumque in ortu, vel aedificiorum inanis obſervatio, ad futurorum temporum eventus & perpetuitates, vel adverſas vices cognoſcendas, ab Etruſcis ad Florentinos manaſſe, ac diu viguiſſe, docet inſcriptio inciſa in marmoreo pavimento pulcherrimo teſſellati ac vermiculati operis, quod cernimus in Florentino Baptiſterio, ac Baſilica omnium antiquiſſima S. Ioannis: quod pavimentum vetera monumenta inſtratum tradunt circa undecimum ſaeculum, cuius tres tantum ſequentes verſus adferre lubet:

QUAM SUPERAT DOMUS HEC TAM UATES IPSE IOHANNES
FAMOSUM TEMPLUM SIMILIS DOMUS EST SIBI NULLA
DESTRUET HANC IGNIS CUM SECULA CUNCTA PERHIBUNT.

Scribit Ioannes Villanius (2), ſecutus vulgi traditionem, hoc Templum conſtructum fuiſſe eo tempore, quo ab Aſtronomis obſervata aſtrorum conſtitutione, perpetuitatem huic aedificio omnium magnificentiſſimo ea portendebant. Sed hae reliquiae ſunt artis, & quidem inanis, veterum Haruſpicum, & Vatum Etruſcorum. Aſtrorum auſpicia ſervata quoque a Romulo, quum Romam conderet, quae eam aeternam fore praedicebant, memorant complures Scriptores (3). Tibullus (4):

Romulus AETERNAE nondum formaverat URBIS
MOENIA, conſorti non habitanda Remo.

 CA-

(1) De Re aedificat. Lib. IV. Cap. III.
(2) In Chronico, ſive *Storia Fiorentina*, Lib. I. Cap. LX.
(3) Vide Manilium Aſtronom. Lib. IV. verſ. 771. & quae in eum adnotat Scaliger.
(4) Lib. II. Eleg. V. verſ. 24.

CAPVT IV.

Volaterrarvm. Cortonae. Faesvlarvm. aliarumque Etruriae Vrbium moenia proferuntur & illuſtrantur.

I. QVae de antiquis Etruriae urbibus, poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ſilentio heic praeterire in animo eſt. Nulla plane urbs antiquitate, opulentia, armis, ac rerum geſtarum gloria illuſtris, quae miſcendo humana divinis, primordia ſua auguſtiora non fecerit, & origines ſuas non conſecrarit. Sed omnem gloriam, nominis quum ſingulae ferme urbes in moeniis, aedificiiſque cum publicis tum privatis ſitam eſſe voluerint: in his, quae ſuperſunt, ab interitu vindicandis, atque e temporis faucibus eripiendis, ſedulam navare operam conſtitui. Siquidem perluſtranti mihi Etruſcarum urbium antiquiſſima monumenta, nil plane moeniis, quae urbium decora atque ornamenta maxima ſunt, illuſtrius, nil pulchrius ac magnificentius, nilque publica luce dignius profecto viſum eſt. Quamvis enim omnia fere innumerabilis annorum ſeries, & fuga temporum diruerit, ac deleverit; moeniis tamen, quibus veteres conditores aeternitatem deberi crediderunt, quadam, ut ita dicam, vetuſtae ſenectutis reverentia, ita pluribus in locis pepercit, ut veſtigia ipſa, & admirandarum molium, ac ſubſtructionum reliquiae ſpeciem quamdam referant priſcae magnificentiae, quas cultores eruditae vetuſtatis, ac ſapientes rerum aeſtimatores, non ſine maxima voluptate, contemplari ſolent. Rudera haec vetuſtiſſima ſuis quodammodo vocibus praedicant ac teſtantur antiquam urbium opulentiam, & pulcherrimam quandam rerum a maioribus noſtris praeclare geſtarum, pro civium tutela, gloria atque ornamentis, imaginem ob oculos ponunt. Earum vero urbium, quarum ſolum nomen in priſcis monumentis ſcriptum ſupereſt, quis eſt qui exſcidium non doleat, atque miſeratione non proſequatur? Plurium fata ita recenſet Propertius (1):

Et Veii veteres, & Volſcûm regna fuiſtis,
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.
Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
Cantat, & in veſtris oſſibus arva metunt.

Lu-

(1) Lib. IV. Eleg. X. verſ. 27.

Lucanus quoque (1):

——————— *Omne Latinum*
Fabula nomen erit : Gabios, Veioſque, Coramque
Pulvere vix tectae poterunt monſtrare ruinae.

II. Moenium exſtructionem, Aedificatio, quae inter Architecturae partes principem locum obtinet, complectitur, ut docet Vitruvius (2): *Partes ipſius Architecturae ſunt tres: Aedificatio, Gnomonice, Machinatio.* Aedificatio *autem diviſa eſt bipartito, e quibus una eſt moenium, & communium operum in publicis locis collocatio: altera eſt privatorum aedificiorum explicatio. Publicorum autem diſtributiones ſunt tres: e quibus una eſt defenſionis, altera religionis, tertia opportunitatis.* Defenſionis, *eſt murorum turriumque & portarum ratio, ad hoſtium impetus perpetuo repellendos excogitata.* Religionis, *Deorum immortalium fanorum, aediumque ſacrarum collocatio.* Opportunitatis, *omnium locorum ad publicum uſum diſpoſitio, uti portus, fora, porticus, balnea, theatra, inambulationes ceteraque, quae iiſdem rationibus in publicis deſignantur locis.* In moeniis conlocandis praecipua, & quae cavenda, & quae obſervanda ſunt, recenſet Vitruvius (3). Ioannes Ciampinius vir eximius (4), Tuſcos vetuſta conſuetudine in publicis operibus uti conſueviſſe quadratis lapidibus, iiſque magnis, adfirmat, cuius ſtructurae exemplum adfert; & hanc Romanos a Tuſcis accepiſſe oſtendit. Primum Romuleae Vrbis moenia, e lapidibus coacervatis (5), adeo parva fuere, ut Remus ludibrio fratris, ea tranſilire auſus ſit, qui mox ob violatas Religionis caerimonias ictus cecidit: inde iratum Romulum adieciſſe, narrat Livius (6), interfectum iri *ſic deinde quicumque alius, qui moenia tranſiliret.* Romulus poſtea Palatinum muniit, auxitque munitionibus Vrbem. Primus omnium Regum Ancus muro lapideo, cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat, Vrbem, qua nondum munierat, cinxit, & alia praeclara opera, quae Livius enumerat, ad amplitudinem & decus eiuſdem adiecit. Poſtmodum Servius Tullus, quum colles Quirinalem Viminalemque adieciſſet, inde deinceps auxit Exquilinum, & aggere & foſſis & muro circumdata Vrbe, ita pomoerium, uti ſupra adnotavimus, protulit. Quadrati lapides, quibus moenia ſub his Regibus conſtituta ſunt, fuere e ſaxo Gabino, Albano, Tiburtino, Praeneſtino, firmiſſima quidem, & igni, & temporum longinquitati, atque vi impervia. Poſtea non ſemel refecta Vrbis moe-

(1) Pharſal. Lib. VIII.
(2) De Architect. Lib. I. Cap. III.
(3) De Architect. Lib. I. Cap. IV. & V.
(4) Veter. Monument. Part. I. Cap. VIII.
(5) Vide Georgii Fabricii *Romam* Cap. II.
(6) Lib. I. c. 7. & vide in ſeqq.

moenia memorant Scriptores. Florente Republica, in uſu fuere muri lateritii, qui mox Auguſto occaſionem dedere, ut gloriaretur ſe urbem relinquere marmoream, quum lateritiam inveniſſet. Sed de vetuſtiſſimis aedificiis ſeveriori Architecturae lege conſtructis e quadratis lapidibus, praeſertim ſub priſcis Romanorum Regibus, infra ſermo inſtituetur, & inſigniora, quae ad hanc uſque aetatem ſuperſunt, exempla adferemus.

III. Quibus vero quadratorum lapidum molibus, quo artificio, quove magnificentiae ſplendore urbium moenia ab Etruſcis conſtructa fuerint, manifeſte, ut arbitror, docent ſpecimina, quae nunc primum adducimus. Exordium ſumo a moeniis Vrbis VOLATERRARVM, quae inter duodecim interioris Etruriae civitates, claritudine nominis, opulentia, antiquitate, ac nobilitate facile princeps cenſetur. Adferenda ſunt duo inſignia veterum Scriptorum loca, primum Strabonis, mox Ariſtotelis, quae eius ſitum deſcribunt, moenia laudant, eamque mirum in modum munitam fuiſſe adfirmant. Haec igitur Strabo (1): Τῶν δὲ ΟΥΟΛΑΤΕΡΡΑΝΩΝ... *κτίσμα ἐν φάραγγι βαθείᾳ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς, περίκρημνος πάντη τὴν κορυφὴν ἐπίπεδος, ἐφ' ᾗ ἵδρυται τὸ* ΤΕΙΧΟΣ *τῆς πόλεως· ἡ δ' ἐπ' αὐτὴν ἀνάβασις πέντε καὶ δέκα σταδίων ἐστὶν ἀπὼ τῆς βάσεως ὀξεῖα πᾶσα καὶ χαλεπή. VOLATERRARVM .... ſitus hic eſt: adſurgit e concavo terrae in collem celſum & undequaque praecipitem, plano vertice, ubi MVRVS urbis exſtructus. Adſcenſus ad eam eſt ſtadiorum quindecim, ab imo ad ſummum arduus ac difficilis*. Stephanus OENAM; Ariſtoteles vero OENAREAM adpellat Volaterrarum urbem (2): quod eſſe antiquum Etruſcum nomen huiuſce inclitae urbis; Latinum vero alterum *Volaterrae*, nuper oſtendit vir egregius Alexius Symmachus Mazochius, ad quem lectorem mittimus (3): his reiectis, quae de eius nomine, quod *Vol* ſeu *Vola* Etruſca lingua *Vrbem* ſignificet, alii ſcripſere (4). Id etiam hi viderint, qui ſcripſere, numos Etruſcos ex aere fuſos, in quibus urbis nomen Tuſcis litteris ſcriptum ita eſt: ΙϽΟΑ⅃Ǝꟼ *Velathri*, ad *Volaterras* pertinere, iiſdemque litteris huius validiſſimae ac munitiſſimae urbis nomen declarari. Haec igitur Ariſtoteles (5): Εστὶ δὲ τις ἐν Τυῤῥηνίᾳ πόλις ΟΙΝΑΡΕΑ *καλουμένη, ἥν καθ' ὑπερβολὴν φάσιν ὀχυρὰν εἶναι. ἐν γὰρ μέσῃ αὐτῇ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς τριάκοντα σταδίους ἀνέχων ἄνω, καὶ κάτω ὕλην παντοδαπὴν, καὶ ὕδατα. Eſt in Etruria quaedam urbs OENAREA, quae mirum in modum munita eſſe dicitur; nam in medio eius collis altus ſta-*

(1) Geograph. Lib. V. pag. 223.
(2) Lib. de admirandis Auſcultationibus.
(3) In Diſſert. I. in Tom. IV. Academiae Etruſcae Cortonenſis Diatrib. VII. p. 59.
(4) Flavius Blondus in Etruria illuſtrata. Vide Tom. VI. Obſervationum Litterar. editarum Veronae anno MDCCXL. pag. 37.
(5) In eod. Lib. de admirand. Auſcultation.

ſtadiis triginta adtollitur, qui omni materie, & aquarum copia abundat. De hac ipſa urbe, nempe Volaterris, Ariſtotelem ſcribere, minime dubitare poſſumus, quum eius deſcriptio cum adlata a Strabone conveniat; etſi differat in deſignanda adſcenſus ab imo ad ſummum menſura. Quum igitur Ariſtoteles, & Stephanus hoc alio nomine Volaterras adpellent, ſubſpicari poſſumus & hanc, & forſitan ceteras Etruriae urbes, cum nomen, tum Numen tutelare arcanum habuiſſe, quod priſca religione Pontificioque Etruſcorum iure nec poterat effari, neque evulgari: quumque ignotum eſſet, tanquam divinum ac venerabile ſuperſtitioſe colebatur. Plinius (1) Verrii Flacci oraculum de Deo evocari ſolito in oppugnationibus refert: *Durat in Pontificum diſciplina id ſacrum: conſtatque ideo occultatum, in cuius Dei tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent. Defigi quidem diris precationibus nemo non metuit.* Quod adtinet ad Vrbis nomen, haec Macrobius (2): *Ipſius Vrbis nomen etiam doctiſſimis ignotum eſt, caventibus Romanis ne, quod ſaepe adverſus urbes hoſtium feciſſe ſe noverant, idem ipſi quoque hoſtili evocatione paterentur, ſi Tutelae ſuae nomen divulgaretur.* Evocationes certis quibuſdam Carminibus fiebant, quod & Plutarchus adfirmat (3). Macrobius Carmen refert Scriptorum vetuſtiſſimorum fide (4). Politianus, Florentinus Varro (5), triplex Romae urbi nomen fuiſſe cenſet: alterum arcanum, alterum ſacrificiis debitum, alterum unum hoc pervulgatum. Vetuſtiſſimae maximeque remotae originis Volaterras eſſe, ex eo colligi poteſt, quod, Servio teſte (6), Populonium Volaterranorum colonia cenſebatur. *Quidam* Populoniam *poſt XII. Populos in Etruria conſtitutos, populum ex inſula* Corſica *in Italiam veniſſe, & condidiſſe dicunt: alii* Populoniam *Volaterranorum coloniam tradunt: alii Volaterranos Corſis eripuiſſe* Populoniam *dicunt*. Populonia vero *matris* nomine decoratur a Virgilio, utpote patria eorum, qui in haec loca venerunt. Hanc urbem Aeneae in auxilium ſexcentos iuvenes belli artibus inſtructos miſiſſe, idem Virgilius narrat: Ilvam vero inſulam trecentos:

Sexcentos illi dederat POPVLONIA *mater*
Expertos belli iuvenes: aſt ILVA *trecentos*
Inſula, inexhauſtis chalybum generoſa metallis.

Duos numos aereos nuper e Muſeo C. V. Matthaei Aegyptii, Regis utriuſque Siciliae Bibliothecarii meritiſſimi, primus omnium pro-

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXVIII. Cap. II.
(2) Saturn. Lib. III. Cap. IX.
(3) In Quaeſt. Roman.
(4) Ibidem.
(5) Lib. I. Epiſt. I. ad Petrum Medicem.
(6) In Virgil. Aeneid. Lib. X. verſ. 172.

protulit praelaudatus Mazochius (1), inſcriptos litteris Etruſcis: ꓤИVↃ1V1: hoc eſt *Tupluna*: ornatos vero, alterum Minervae, alterum Vulcani capite, cum adtributis ſeu ſymbolis utriuſque Numinis propriis, quos dignos arbitror, qui a doctis viris expendantur. Cupiebam, ni aliis curis, & temporis anguſtiis diſtentus fuiſſem, hoc loci addere peraccuratam enumerationem, ad Naturalis Hiſtoriae partem nobiliſſimam illuſtrandam ſpectantem, mineralium, ac foſſilium, quibus Volaterranae fodinae mirifice abundant. Siquidem Volaterranis in montibus innaſcuntur chalcedonii & achates lapides translucidi, qui Orientalium pulchritudinem, elegantiam ac ſplendorem aemulantur, hique praeſertim laudantur, qui e Nobiliſſimorum Guarnacciorum montibus effodiuntur. Alabaſtrorum varia genera ſunt, variique colores ad omne opus, urnulas, vaſa, candelabra, lances, & ſimulacrorum ſymplegmata exprimenda aptiſſima. Interim multa notatu digna videri poſſunt, quae de his adferunt Ioannes Guidius Senior I. C. (2) & Curtius Inghiramius Patricii Volaterrani (3).

IV. His praenotatis, ad ipſa VOLATERRARUM moenia deſcribenda gradum facio: quod, ut perſpicuo ordine faciam, de eorum ambitu, ſituque, deinde de altitudine & amplitudine; demum de ipſis quadratis lapidibus nonnulla obſervatione digna proferam. Circuitus murorum huius antiquiſſimae urbis paſſuum millia quinque excedit, ut obſervat Inghiramius (4). Hunc ambitum manifeſte indicant moenia ipſa antiquitus condita, quae nonnullis in locis longo tractu ad hoc tempus perſtant; in aliis vero licet diruta, vel collapſa ſint; tamen e ſolo ita eminent, ut antiquiſſimus urbis ambitus facile dignoſci poſſit. Id perpaucis Etruriae urbibus contigiſſe cernimus: duas tantum in exemplum memorare lubet urbes, Volaterras, & Faeſulas, quae poſt tot ſaecula, quum ſervent antiquorum moenium circuitum, id civibus maxime glorioſum eſſe, ac praedicandum adfirmo. Si quis a Porta Solis, hodie *a Selci* nuncupata, ad Monaſterium S. Andreae Ordinis Camaldulenſium pergat, videbit antiqua moenia, quae recentioribus moeniis ita coniunguntur ad Sacellum uſque S. Andreae dictum, ut vetera pro baſe ſeu fundamento novis inſerviant. Hinc nova moenia progrediuntur diſiuncta ab antiquis: antiqua vero, quum a colle ad ima tendant, ſub praedicti Monaſterii Choro tranſeunt, efficiuntque angulum rectum; deinde non adparent; quare oritur hinc ſubſpicio,

(1) Tom. IV. Diſſert. I. Academ. Cort. Tab. I.

(2) Tract. de Mineralibus.

(3) In Tractatu ad Oppugnat. Etruſc. Antiquit. Tract. X. Cap. VI. pag. 770.

(4) Ibidem pag. 747.

cio, ex ipſis quadratis lapidibus magna ex parte ipſum Monaſterium fuiſſe conſtructum. Ab angulo hoc ad locum, vulgo *Guelfuccio*, moenia progrediuntur, eoque in loco extrinſecus a ſolo octo aut decem circiter Romanos pedes, & triginta etiam aliquot in locis ſe ſe adtollunt. Heic prope caſam quamdam recta pergunt ad locum, vulgo *la Peſcaia*, ubi longo itineris tractu rudera tantum dirutaeque eorumdem moenium inuſitatae magnitudinis moles cernuntur: inde per clivum valde excelſum & arduum adſurgunt. Sed ne nimio taedio legentes adficiam, loca tantum praecipua, in quibus antiqua moenia adhuc poſt tot ſaeculorum viciſſitudines perſtant, indicaſſe ſufficiet, ut facili negocio, qui fuerit ambitus moenium Volaterranorum intelligatur. A memorato loco, *la Peſcaia*, ad locum *il Serpaio*, Etruſca moenia, qua altiora pedes Romanos XXX. vel XXXII. circiter, qua humiliora per tres angulos ſe extendunt, eoſque tribus aequalibus fere intervallis efficiunt: hinc ad ima deſcendunt, ubi aquarum caput, & ductus fontis *Docciuola* nuncupati: inde rurſum eminent, confectiſque tribus item angulis, ad locum, *il Portone* Nobilium Bardiniorum dictum, perveniunt: mox aequata ſolo conſpiciuntur, ſi ſpectes intra urbem: & deinde progrediuntur ad antiquam urbis Portam, cuius ſtructura cum ipſo moenium opere Etruſco & architecturae ordine concordat.

In hoc ipſo loco, ei qui iter ſuum proſequitur, iterum ſpectanda ſe exhibent priſca moenia ad locum *il Portone* Nobilium Incontriorum: mox ad locum *le Cetine*, & heic aequata ſolo caput tantum exſerunt: iterum deinde adſurgunt, & horrida quaedam praecipitia tractu ſuo proſecuntur, uſque ad aucupium Patrum Ordinis S. Franciſci: protenduntque ſe obliquo tramite uſque ad praealtam turrim, quae antiquis moenibus impoſita eſt: deinde procedunt poſt Eccleſiam S. Iuſti ad Portam, quae vulgo *Aldinga* adpellatur, ſub qua fons aquae perennis manat, eodem nomine vulgo adpellatus: hinc verſus Eccleſiam SS. Actinae & Gracianae progrediuntur, & ad turrim uſque S. Marci moeniis antiquis inſiſtentem pertingunt: mox ad portam Suburbiorum S. Iuſti, ubi ad ima pergunt in loco qui dicitur *Menſeri*, qua paullatim ſubſidet rupes horrida & praeceps. Ex hoc ipſo loco, quia pervius eſt, & facile moenium lapides dimetiri poſſunt, Stephanus Maffius, rei Architectonicae peritius, adlatum in Tabula I. exemplar delineavit, & hunc murorum ambitum, nullis parcens laboribus, mihi accurate, deſcripſit.

Moenia rurſus antiqua ſpectantur ad Clauſtrum Monialium S. Clarae: deinde ad Mariam Virginem de *Penera*, ubi inſtaurata cer-

cernuntur : ibidem ſpectatur porta , ſed ſaxis obſtructa : inde prominent extenduntque ſe vetera moenia uſque ad fontem Sancti Stephani , ubi antiquam portam fuiſſe rudera ipſa teſtantur : inde progrediuntur ad recentiora uſque Volaterrarum moenia , donec ad Portam Etruſci operis vetuſtiſſimam ad Herculem , nunc *ad Arcum* , pertingant : quo in loco ſe ex oculis ſpectantium eripiunt , ſucceduntque nova moenia ; ita tamen , ut interdum vetera hac illac adſurgant , quibus immanes antiqui lapides pro ſubſtructionibus inſerviunt . Demum , qua itur ad arcem conditam a Florentina Republica , pars antiquorum moenium rurſum adſurgit , ubi porta ſaxis obſtructa , donec tranſacta turricula , ad Portam Solis , a qua girum orſi ſumus , pervenitur . Compluribus in locis ob rerum viciſſitudines , bella , & irruptiones Barbarorum , lapides e moeniis dimoti corruerunt ; compluribus tamen , ubi ob longaevam ſenectutem ruinam minitabantur , iidem cives ingentia illa ſaxa in uſum ſuum , vel villis , vel muris conſtruendis , vel ad calcem e fornacibus educendam , uſurparunt . Vbi moenia altiori terreno adhaerent , illic integriora , & magis intaminata cernuntur . Extrinſecus qua arva proſpectant , recta linea a ſummo ad imum tendunt ; facile tamen eſt intrinſecus aliquantulum in fundamentis craſſiorum quodammodo lapidum extrorſum protendentium baſim quamdam habuiſſe . Ceterum adparet , ubi ſitus permittebat , moenia proſciſſo effoſſoque terreno condita fuiſſe , quod introrſum aequant pluribus in locis : ubi vero ratio & neceſſitas exigebat , adtollebantur . Ad ſingula vero intervalla , quae ſpatium occupant ſexdecim aut viginti pedum Romanorum , adſtructus antiquis operibus murus cernitur , qui conſertus revinctuſque cum muro maioris amplitudinis , fundamenta in ſinu ipſo terrae locata habet . Moenia antiqua Volaterrana inſtauraſſe ferunt Othonem I. Imperatorem . Loca vero , in quibus inſtaurata ſunt , probe dignoſcuntur ex coementitio muro , qui Etruſco antiquiſſimo adhaeret ; praeſertim ſi loca ſpectes ubi ſita eſt , ut aiunt , *la Torricella* : ubi etiam duae portae conſpiciuntur .

Moenium igitur Volaterranorum Etruſco opere magnifice exſtructorum altitudo , uti , quibuſdam in locis obſervavimus , triginta antiquos Romanos pedes , & hoc amplius duos aequat ; latitudo vero pedes octo Romanos excedit . Singuli lapides quadrati ſunt , & minores quidem tam portentoſae molis ac magnitudinis plurimis in locis ſpectantur , ut fere Florentinas ulnas quinque , nimirum pedes Romanos circiter novem ; maiores vero fere pedes duodecim ſuperent . Omnes hi lapides e tophaceis cryptis eruti

ſunt ,

ſunt, qui ſtatimac expoſiti, aëris, frigoris, ſoliſque vires perſenſere, mirum in modum obdureſcunt, omniumque temporum iniuriis, & igni impervii perpetuo reſiſtunt & colluctantur. Singuli vero lapides, quibus Etruſca moenia exſtructa cernuntur, pectinatim, ut ſerrae dentes, nunc longitudine, nunc latitudine ſua in omnibus lineis ita inſerti, tamque mirabili nexu ſuperpoſiti invicem ſunt, ut catenatim ſimul vinciantur & conligentur: quod oſtendere volui in adlata Tabula I. in iconiſmo num 11.

Illud ſilentio praetereundum minime eſt, lapides quadratos, quibus moenia Volaterrana ſine calce & opere coementitio exſtructa ſunt, ſecta ſpeciem quamdam marmoris perelegantis referre, quod maculae quaedam tamquam puncta ita totum implent, ut expolita nitore & varietate oculos mira voluptate adficiant: quod ut obſervarem fecit eximia humanitas & eruditio V. C. Ioannis Targionii, Medici Florentini, Horti Societatis Botanicae, & publicae Bibliothecae Praefecti. Huiuſmodi crebrarum minimarum macularum coagmentatio oritur ex parvis conchiliis turbinatis, aliiſque conchis varii generis & figurae, quos lapides ipſi conglutinatas, ut caſus tulit, in ſe continent. De horum lapidum natura pertractantem conſule Nicolaum Stenonem (1). Non adfero, quae Florentinus noſter Vitruvius (2) de lapidum natura, deque his, qui ad muros exſtruendos apti ſunt, pererudite diſſeruit: quos auctores, hi qui plura ſcire cupiunt, conſulent.

V. Illuſtria Volaterranorum geſta non commemoro: imperium longe lateque ad mare protenſum: opportuna auxilia Latinis Romaniſque exercitum parantibus non ſemel adlata: atrox praelium, magna utrimque caede, incerta victoria, cum L. Cornelio Scipione, Volaterras oppugnante eius exercitu, commiſſum: conſecutam maximam fidei gloriam Sullana proſcriptione; quippe qui oppugnationem biennio ſuſtinuere, ne Sullanum furorem contra Senatus dignitatem ſequi viderentur; nam haec & alia haud quidem paucis memoravi in Parte II. Operis Inſcriptionum antiquarum Etruriae. Sed, quod omnium maxime Volaterranorum laudes & gloriam illuſtrat atque exornat, illud eſt, quod municipii ſui Patronum Ciceronem habuerunt, cuius in honorem eam marmoream togatam ſtatuam, nunc truncam, forſitan poſuere, quam erectam in ſuburbiis extra Piſanam Portam vidi in publica via, quum Volaterras perluſtrarem. Fuiſſe Ciceronem Volaterranorum Patronum,

(1) Element. Myolog. Specim. ubi de Canis Carchariae diſsecto capite a pag. 91. ad 110.

(2) De Re aedificat. Lib. II. Cap. VIII. IX. & XII.

num, ex his arguo, quae ad Q. Valerium Orcam ipſe ſcribit (1): *Cum municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt; magno enim meo beneficio adfecti, cumulatiſſime mihi gratiam retulerunt; nam nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt. Cum quibus, ſi nulla mihi cauſſa intercederet; tamen, quod te vehementer diligo, quodque me a te plurimi fieri ſentio, & monerem te, & hortarer, ut eorum fortunis conſuleres: praeſertim, quum prope praecipuam cauſam haberent ad ius ſuum obtinendum: primum, quod Sullani temporis acerbitatem Deorum immortalium benignitate ſubterfugerunt: deinde, quod ſummo ſtudio populi Romani a me in conſulatu meo defenſi ſunt. Quum enim Tribuni plebis legem iniquiſſimam de eorum agris promulgaſſent; facile Senatui Populoque Romano perſuaſi, ut eos civeis, quibus fortuna pepercíſſet, ſalvos eſſe vellent. Hanc actionem meam C. Caeſar primo ſuo conſulatu in lege Agraria comprobavit: agrumque Volaterranorum & opidum omni periculo in perpetuum liberavit, ut mihi dubium non ſit, quin is, qui novas neceſſitudines adiungat, vetera ſua beneficia conſervari velit. Quamobrem eſt tuae prudentiae, aut ſequi eius auctoritatem, cuius ſectam atque imperium ſumma cum tua dignitate ſequutus es: aut certe illi integram omnem cauſam reſervare. Illud vero dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligare velis.* Et mox: *Graviſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros incolumeſque eſſe volueris. Eorum ego domicilia, ſedeis, rem, fortunas, quae a Diis immortalibus & a praeſtantiſſimis in republica noſtra civibus, ſummo Senatus Populique Romani ſtudio conſervatae ſunt, tuae fidei, iuſtitiae, bonitatique commendo.* Cum his ea conſonant, quae de Patronis Municipiorum & Coloniarum alibi fuſius priſcorum marmorum, & hoſpitalium teſſerarum auctoritate obſervavi, quae non vacat recoquere (2).

VI. Ecce nunc priſcae Etruſcorum magnificentiae monumenta ſedulo me contemplantem ad ſe rapiunt CORTONENSIVM vetuſtiſſimae ac nobiliſſimae urbis, quam Livius inter duodecim Etruriae urbes, & capita Etruſcorum populorum recenſet (3), auguſta moenia: quae licet irruentium temporum iniurias, ac bellorum teterrimas clades non effugerint, paucíſque in locis pulcherrimam ſui ſpeciem nunc oſtentent; tamen & diruta etiam & collapſa valde placent, & rudera ipſa, quorum moles integro olim opere civibus praeſidio atque ornamento, hoſpitibus ſpectaculo, hoſtibus terrori fuere, digna ſunt ut ab eruditis ſpectentur laudenturque. De huiuſce inclitae Vrbis origine, ſumma dignitate, ſplendore, atque opu-

(1) Epiſtol. ad Tamil. Lib. XIII. Etruriae Vrbium ad Arretina marmora.
(2) Vide Par. II. Inſcriptionum antiquar.
(3) Lib. VIII. & IX.

opulentia, quum egerint luculenter clari eius cives, quos inter honoris & eruditionis palmam omnibus praeripuere Nobiliſſimi Venutii Nicolaus Marcellus Marchio (1), & Rudolphinus (2), ſupervacaneum eſt ut lucem luce augere, & conluſtrare, praeter etiam inſtitutum meum, irrito labore coner.

VII. Lapides, quibus moenia Cortonenſia, quae adhuc compluribus in locis perennant ac perſtant, & ipſi quadrati ſunt, conſtant vero e vivo ſaxo. Ea exhibet Tabula II. Saxa haec portentoſae magnitudinis abſque calce ſimul conſerta & coniuncta ſunt; multa enim duodecim Florentina, ut vulgo dicunt, brachia, hoc eſt pedes Romanos circiter viginti duos longitudine ſua excedunt; altitudine vero brachia tria: quod, quicumque voluerit, facili negotio deprehendet, adhibito circino; nam ſubiecta ſcala eſt, cui lapides omnes ad amuſſim reſpondent. Eadem Tabula moenia extenſa per ſpatium brachiorum quinquaginta repraeſentat, quae extrinſecus ad Portam S. Dominici ſpectantibus occurrunt. Hanc Portam indicat in eadem Tabula II. littera A. Eodem ordine, eademque immanium lapidum ſtructura progrediuntur vetuſtiſſima moenia a parte B. longo deinceps locorum intervallo. Hiſce moeniis ſequutis temporibus adiectum eſt ad colligendas aquas caſtellum, quod in eadem Tabula II. littera C. indicat.

Altitudine ſua haec Etruſci admirandi operis moenia brachia duodecim, vel etiam tredecim aequant; ſed antiquitus multo altiora fuiſſe compertum eſt; haec enim octo commiſſorum ſuppoſitorumque lapidum lineas continent. Murus ſuperne adſtructus alia redolet tempora antiqua quidem; non ea tamen quum validae res eſſent Etruriae urbium, eaedemque opibus & viribus florerent. Antiquiſſimorum moenium adlato exemplo aliae plurimis in locis perſimiles reliquiae adhuc perſtantes conſpiciuntur, quae urbem fere totam ambiunt.

Miſerat & aliam Tabulam, a ſe accuratiſſime delineatam, idem ornatiſſimus Eques Galeottus Coratius, Patricius Cortonenſis, in qua expreſſus cum ſuis menſuris proſpectus moenium CORTONENSIVM, quae extra urbem ad Portam, quae *Colonia* nuncupatur, tum ad dextram, tum ad laevam euntibus ſe ſe oſtendunt. Sed hanc Tabulam non omnino neceſſariam duxi; quum antiquiſſimorum moenium praegrandes lapides, qui ſuperſunt, quatuor aut quinque lineas ab imo ad ſummum, & in his atque in aliis locis non

(1) Vide in Par. II. Inſcript. ant. Etrur. Vrbium in princ. ad Cortonenſes adlatas antiquas Inſcriptiones.

(2) Vide Diſsert. I. inter Cortonenſis Academiae Etruſcae Diſsert. Tom. IV.

non excedant, & eumdem Etruſcae ſtructurae ordinem ſervent; adeoque cum adlato exemplo omnino conveniunt. Haec Cortonam, nempe Corythum, urbem validiſſimam & munitiſſimam fuiſſe clariſſime docent, cuius antiquiſſimam originem complures Scriptores nobiliſſimi, inter quos Herodotus aliique plures apud Dionyſium celebrant; quae propter originis, nominis & opulentiae avitam gloriam a Stephano Τυῤῥηνίας Μητρόπολις, *Tyrrheniae Metropolis* vocatur.

FAESULARUM antiquiſſimae, atque inter primas interioris Etruriae urbes, miranda ſpectatuque digna, e quadratis ſaxis conſtructa, moenia, praeterire nefas duxi, hac praeſertim aetate, quae adeo colit eruditae vetuſtatis ſtudia, ut *nullum ſine nomine ſaxum* eſſe cupiat, atque in lucem cum haec ipſa, tum alia monumenta, quae urbium antiquum ſplendorem, magnificentiam, dignitatem, opulentiam, vires oſtendunt, totidemque vocibus praedicant, prolata commendet. Faeſulana moenia & Volaterrana praecipue laudavit Ioannes Ciampinius (1); quum oſtenderet, Tuſcos conſueviſſe cum publica, tum privata opera quadratis lapidibus, iiſdemque magnis, exſtruere, & aeternitati quodammodo conſecrare. Aedificiis magnificis ſumtuoſiſque conſtruendis mirum in modum deditos Faeſulanos exagitat Cicero (2), dum Catilinae in crimen vertit, quod ad Faeſulanos, atque ad eorum urbem, ſuarum rerum arcem, ac veluti unicum praeſidium, praemiſſis pecuniis ſuis, confugiſſet, & in agro Faeſulano caſtra exercitus ſui poſuiſſet: *Hi ſunt homines ex iis coloniis, quas Faeſulis Sulla conſtituit, quas ego univerſas civium eſſe optimorum & fortiſſimorum virorum ſentio; ſed tamen hi ſunt coloni, qui ſe inſperatis repentiniſque pecuniis ſumtuoſius inſolentiuſque iactarunt: hi dum aedificant tanquam beati: dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, ſi ſalvi eſſe velint, Sulla ab iis inferis ſit excitandus.*

Antiquae magnificentiae, qua Tuſci in publicis privatiſque aedificiis uſi ſunt, praeter haec ipſa moenia, quae FAESULAS urbem potentiſſimam ac validiſſimam fuiſſe teſtantur, nil hodie ſupereſt. Nam Florentini mutuo odio cum Faeſulanis certantes, eoſque nimis vicinos timentes, Romanorum exemplo, finitimam urbem anno a Chriſto nato milleſimo decimo everterunt, nobiliſſimaſque familias apud ſe iunctis connubiis tranſtulerunt. Non longe a Cathedrali Eccleſia, in praedio quodam Canonicorum ſub aggeſta humo latent ad hoc tempus integra octo quadrata aedificia ſimul coniuncta, opere concamerato, quadratis ſaxis ſcalpro expolitis conſtructa, ad quae per ſcalam deſcenditur. Haec ſcala nuper detecta eſt

(1) Veter. Monum. Par. I. Cap. VIII. pag. 67. (2) Orat. in L. Catilinam II. 9.

eſt : iuxta quam nunc in ea aedificia, etſi anguſtus, patet tamen ingreſſus. Alia ſimilia aedificia cum his coniuncta eſſe, & ſub humo adhuc deliteſcere, cives arbitrantur: de eorum vero uſu multi multa fabulantur; quare in tanta rerum caligine nil adfirmare, plane tutius conſilium eſſe arbitror.

Sed, ne extra choreas ludam, veterum Faeſulanorum Etruſci operis, & quidem valde mirandi, moenia, & ipſa ex ingentibus quadratis ſiliceis ſaxis condita, digna profecto ſunt, ut ab antiquitatis cultoribus obſerventur. Ea pluribus in locis adhuc perſtant, bellumque temporum longinquitati ac voracitati indixiſſe quodammodo videntur. Etſi non paucis in locis aequata ſolo nunc ſint, eorumque rudera tantum ſpectentur; tamen multis in locis paene integra ſuperſunt, etſi altiora ubique fuiſſe non dubitem. Moenium Faeſulanorum proſpectus, quem exhibet Tab. III. deſumtus eſt ex eo loco, qui poſt paſſus fere trecentos occurrit, ſi quis poſt Turrim Campanariam recta iter adripiat, moxque ad dexteram iter flectat, & in medio publicae viae conſiſtat. Cathedralem Eccleſiam a Iacobo Bavaro Faeſulanorum Epiſcopo eximio a ſolo excitatam, dum moenia haec contemplarer, ex hiſce ipſis ſaxis, una cum Turri Campanaria, conſtructam fuiſſe ſubſpicatus ſum; nam diruta, & per vias & campos iacentia ſaxa ſacro magnifici operis aedificio percommoda erant, & magnitudine ſua plurimum operi conducebant.

Faeſulani montis cavariae ſaxo, vulgo *macigno*, atque arenario praeſertim lapide tanta copia abundant, ut his in aedificiis cum ſacris, tum profanis conſtruendis ornandiſque uſi ſemper ſint Florentini, & adhuc utantur. Marmorearum praegrandium columnarum fragmenta vidi hac illac in platea iacentia, quae alicui praeclaro aedificio, & ni fallor, templo, Ethnica ſuperſtitione vigente, inſerviſſe ratus ſum. De Diis, quos Faeſulani ſumma religione coluere, alibi luculenter diſſerui (1). Martem & Anchariam Deam, de qua meminit Tertullianus (2), praecipua Faeſulanorum Numina fuiſſe, vetera docent monumenta.

Moenia ipſa antiquiſſima, ſi quis ſtudii cauſa circumire velit, Faeſulas quadrata quaſi forma conditas fuiſſe a priſcis Tuſcis comperiet. Eorum ambitus quatuor fere aequat milliaria. Arx fuiſſe dicitur in excelſo dextro colle, ideſt ſupra Eccleſiam S. Mariae Primeranae. Ad Monaſterium Patrum Ordinis S. Franciſci, qui *Riformati* adpellantur, continua linea vetuſtiſſima moenia pertingunt: nec deſunt quibuſdam in locis ſub ipſis moenibus immania praecipitia. Ho-

(1) In Par. II. *Inſcript. ant. Etruriae Vrbium ad Faeſulana Marmora*.

(2) *In Apologetico Cap.* XXIV.

VIII. Horum moenium altitudo Romanos pedes fere triginta exceſſiſſe videtur; nam ad eorum calcem adgeſtus eſt terrae cumulus, qui ſpatio pedum ſex aut quinque ea operit, ut oſtendit littera B in Tabula III. altitudo vero muri, quem exhibet eadem Tabula, brachia Florentina XII. excedit. Littera C. in eadem Tabula publicam viam declarat. Heic moenia altiora videre eſt, quae a ſiniſtris ſpatio brachiorum LXXXV. a dextris vero ſpatio brachiorum CVIII. circumeunt, & qua altiora, qua demiſſiora ambitu ſuo progrediuntur: craſſitudine vero brachiis quatuor ampliora ſunt. Dum haec ipſa moenia hoc loci obſervarem, ac delinearem, quid ſibi vellet hiatus ille notatu dignus, & quo pertingeret, volupe fuit experiundo diſcere. In eum, quum duo mei itineris ſocii accenſa face, ſummo cum labore (nam hiatus ille peranguſtus eſt) penetraſſent, nec recto corpore ambulare poſſent, eo uſque progreſſi ſunt, ut ducentos paſſus recti tramitis numerarint. Viderunt quoquoverſus immanes lapides adſtructos, qui, relicto ſpatio, huiuſmodi cuniculum, ſeu, ut ita dicam, ambulacrum conficiunt. Aqua, identidem ex exteriori hiatu, qui in praedicta Tabula indicatur littera A. manat; nam terra hodie moeniorum culmen hoc loci aequat, alibi non; ſed proprium eius uſum, quum alius priſcis temporibus eſſe potuerit, ab aliis lubentius diſcam.

IX. Ea, quae doctiſſimus Politianus adfert de Faeſularum nomine, non vacat repetere: illud tamen, quod addit in laudem tam praeclarae urbis, ſilentio non praetermittam (1): *In ea vero civitate fulminum claros interpretes vetere Etruſca diſciplina fuiſſe, docet ita Silius:* Adfuit & ſacris interpres fulminis alis Faeſula. *Cui quoniam ſemper ego neſcio quo pacto, plus ceteris favi, tacere illud non poſſum, totius etiam Italiae ſalutem referri acceptam Faeſulanis oportere: videlicet, in quorum iugo Radagaſius olim Gothorum rex immaniſſimus, cum ducentis hominum milibus orbem terrarum vaſtantibus, divinitus concluſus, exceptus, trucidatuſque fuerit.*

X. Hoc ſtructurae genere condita fuiſſe moenia ceterarum Etruriae urbium, Tarquinii (2), Cluſii, Arretii, Vulſinii, Peruſii, quae ſuperſunt rudera, declarant. Neque ab Etruſcis differt ſtructura moenium Latinarum urbium, quae condita Etruſco ritu iam adnotavimus. Antiquiſſima Ardeae, Corae, Norbae, aliorumque Latii oppidorum moenia, quadratis lapidibus exſtructa, nobis exhibet V. C. P. Ioſeph Rochus Vulpius, Societatis Ieſu Presbyter, de litteraria Republica optime meritus, ad quem Lectores mittimus (3).

XI.

(1) In Lib. I. Epiſt. 1I. ad Petrum Medicem pag. 3.

(2) Haec moenia deſcripta vide in Tom. V. Obſervat. Litterat. edit. Veronae pag. 312. e 313.

(3) Vet. Lat. prof. Tom. III. IV. V.

XI. Erit, opinor, qui ſcire cupiet, quo tempore Etruſcarum urbium tanta cum magnificentia, tantoque ſtudio perpetuae firmitatis exſtructa moenia cenſeam; ſed id explicatu arduum ac perdifficile eſſe ſentio: neque profecto de dubiis rebus, longaque temporum caligine obſitis, iudicium temere umquam tuli, neque ferendum eſſe arbitror. Si tamen, conlatis exemplis, coniecturis aequo iudicio haud improbandis locus datur, crediderim Etruſcos, quum Romulum cernerent, & ſubſecutos Reges Romani imperii fundamenta iacere, illudque ampliare, ac munitionibus augere, belloque gerundo ſatis inſtructos eſſe; & ipſos ſaluti, quieti & tranquillitati ſuae aedificatis fortiſſimis moenibus conſuluiſſe, noviſque urbes munitionibus auxiſſe, vel etiam ampliaſſe. Haec ſtatim poſt Romam a Romulo conditam adnotat Livius (1): *Iam res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par eſſet*. Gabii tam valida moenia, ac paene inexpugnabilia habuere, ut Tarquinius Rex non Romana arte, cui ea potentiſſima urbs ſemper reſtitit; ſed tantum dolo ac fraude eam ſuperarit, ut narrat idem Livius (2). Quod ſi Latinae urbes fama nominis, opum, ac militaribus armis celebriores moeniis validiſſimis, naſcente Roma, inſtructae fuere; minime erit abſurdum ſubſpicari, firmiſſima ac munitiſſima ante Romulum fuiſſe Etruſcarum urbium moenia. Regnante Romulo Veientum Etruſcorum urbs, quam formidanda hoſtibus moenia habuerit, ex ipſo Livio diſcendum eſt (3), quod etiam Dionyſius (4), & Plutarchus (5) commemorant: Romulum, *poſtquam caſtra ponere, & ad urbem adceſſurum Veientes audivere; obviam egreſſi, ut potius acie decernerent, quam incluſi, de tectis moenibuſque dimicarent. Ibi viribus nulla arte adiutis, tantum veterani robore exercitus, Rex Romanus vicit: perſecutuſque fuſos ad moenia hoſtes, VRBE VALIDA MVRIS ac ſitu ipſo munita abſtinuit*. Illud eſt exploratiſſimum, L. Tarquinium, Damarati filium, Priſcum, in Regum ſerie quinctum, primum omnium coepiſſe magnis ſaxis, Albano, Tiburtino, & Praeneſtino ad regulam formatis, muros Vrbis exſtruere: quos Servius Tullius perfecit; quum ad illud uſque tempus, ut paullo ante monuimus, ruderibus vilibuſque ſtructuris aedificati eſſent. Erat heic locus agendi de Etruſcorum in re militari ſtrenuitate & peritia; ſed alia ad ſe me certatim vocant. Inter nobiles Tuſcorum Duces memoria dignus Coeles Vibenna, qui cum ſua manu dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum Regem (6).

 XII.

(1) Lib. I. 9.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem. 15.
(4) Antiquit. Rom. Lib. II.
(5) In Vita Romuli.
(6) Ex Varrone Lib. IV. de L. L. Dionyſio Antiquit. Rom. Lib. II. Vide Feſtum in voce *Coelius*: Tacitum Annal. Lib. IV.

XII. Fuere etiam moeniis conſtruendis praepoſiti Architecti. Romulus Vrbi ſuae muris cingendae praefecit Celerem, quem nonnulli Scriptores Etruſcum fuiſſe ſubſpicantur (1). Severioribus moribus utentibus Romanis, ſeverior floruit Architectura: diuque viguit conſuetudo conſtruendi aedificia quadratis lapidibus, cuius rei illuſtre eſt apud Senecam teſtimonium, qui haec ſcribit (2): *Scipio Aſricanus Linterni voluntarius exſul in villa, quadrato lapide ſtructa, balneolum anguſtum & tenebroſum habuit, quod non videretur calidum niſi obſcurum: & in eo ſiquidem angulo Scipio, Carthaginis ille horror, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum, quum ſe opere exercuiſſet, terramque (ut mos fuit priſcis) ipſe ſubegiſſet*. Lateritium opus mox invaluit: quod & Graeci praetulere, praeterquam ubi e ſilice fieri poterat ſtructura; nam, ut obſervat Plinius (3): Lateritii muri *ſunt aeterni, ſi ad perpendiculum fiant; ideo & in publica opera & regias domos adduntur. Sic ſtruxere murum Athenis, qui ad montem Hymettum ſpectat: ſic Patris aedes Iovis & Herculis, quamvis lapideas columnas, & epiſtylia circumdarent*. Mox Plinius *lateritium murum Arretii* memorat ſua tempeſtate celeberrimum; ſed nec aetatem, nec magnitudinem eius prodit, ut obſervat Ciampinius (4).

CAPVT V.

De Portis Vrbium Etruſcarum: pro exemplo utraque facies inſignis Portae Etruſci operis Volaterrarum urbis adfertur.

I. QVemadmodum veteres Tuſci in moeniis admirando opere immenſiſque quadratorum lapidum molibus ad civium tutelam & hoſtium terrorem exſtructis, ſummam urbium ſuarum gloriam conlocarunt, earumque conditores poſt obitum caelo receptos crediderunt, ac divinis honoribus, aris quoque dedicatiſque templis coluerunt; ita etiam maxime glorioſas eſſe urbes, ſi portas magnas & munitiſſimas haberent, cenſuerunt (5). Thebae, quam Aegyptii Solis urbem vocarunt, teſte Diodoro (6), tam incredibili opulentia ac magnificentia inclaruiſſe ferunt, ut centum portas habuerit: quas laudat Homerus

(1) Vide Dionyſ. Halicarnaſs. Lib. II.
(2) In Epiſtol. ad Lucilium.
(3) Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. XIV.
(4) Veter. Monum. Par. I. Cap. VIII.
(5) Ex Macrobio in Somn. Scip. Lib. I. Cap. III. & IX. & Livio Lib. I. 16.
(6) Biblioth. Hiſt. Lib. I. p. 30. non de portis, ſed de templorum veſtibulis intelligit.

rus, ubi Achillem inducit pertinaciſſime negantem, velle ſe cum Agamemnone in gratiam redire, atque ita loquentem (1):

———————— Οὐ δ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται
Αἵθ' ἑκατόμπυλοί εἰσι διηκόσιοι δ' ἀν ἑκάστην
Ανέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισι καὶ ὄχεσφιν.

Hoc eſt:

Nec mihi ſi dederit quidquid confertur in urbem
Thebas Aegypti, quarum domus omnis abundat:
Quaeque adeo CENTUM PORTAS *praebere patentes,*
Et quaque ex porta bis centum exire feruntur
Sublimes in equis iuvenes, & curribus altis.

Sunt tamen, ut adnotat ad hunc locum Petrus Angelius Bargeus (2), qui putent, Thebas non ideo ἑκατομπύλους dictas, quod centum portas haberent; ſed quod multa & magna templorum veſtibula, quae Graece προπύλαια dicuntur, in ea forent; ideoque urbs cognominata fuerit ἑκατόμπυλος, quaſi πολύπυλος, ut ſit numerus finitus pro infinito poſitus; ſed alii cenſent de urbis portis locutum Homerum, quum nonniſi ex his ad bellum Heroës curribus vecti exire poſſent.

II. Quum edax tempus & teterrima bella praeclara urbium aedificia everterint, facile ignoraremus, quae fuerit forma portarum Etruſcarum urbium, & quanta magnificentia exſtructae fuerint, ni unica ad hoc tempus exſtaret integro opere Volaterrarum porta, omnium pulcherrima ac magnificentiſſima. Eam igitur nunc primum me curante prodit duplici proſpectu. Primum eius Ichnographia producitur in Tabula IV. Portae faciem, quae introrſus urbem reſpicit, exhibet Tabula V. alteram vero, quae agrum Volaterranum, oſtendit Tabula VI. Luce dignum cenſui hoc perinſigne Tuſcanicae Architecturae in portis urbium exſtruendis exemplum: quo auſpice, coniicere poſſumus, quo ornatu & magnificentiae ſplendore reliquae urbes Etruriae portas habuerint. Ea arcuato opere conſtructa eſt, quam quidem formam invaluiſſe apud veteres obſervat Philander in Vitruvium (3). Arcum portentoſae molis & opificii ad regulam expoliti lapides XIX. tophacei conficiunt, eumdemque

(1) Iliad. Lib. IX.
(2) In Commentario de Obeliſco pag. 21. qui Homeri verſus eo modo in Latinum convertit.
(3) De Architectura Lib. IV. Cap. VI. pag. 71. edit. Amſtelod. an. 1649.

demque numerum ſervant in utraque facie. Vbi lapides utrimque in data planitie conſiſtunt, ſequitur elegantiae cauſa coronis, tamquam baſis, & fulcimentum cui arcus incumbit. Sed illud notandum, quod lapides illi, quibus arcus innititur, vulgo *ſpallette*, e terra eruti ſunt, quae vulgo *panchina* adpellatur, cuius quoque generis ſunt quadrati lapides, quibus eiuſdem portae latera exſtructa viſuntur. Tuſcos ornatiorem feciſſe cernimus eam portarum faciem, quae urbem intrantibus occurrit, ut his facile hoſpites adlicerent, ſive in admirationem intrantes pertraherent. Ab humo in altum adtollitur Porta brachiis Florentinis tredecim, Romanis nempe pedibus circiter XXVII. comprehenſa lapidum ſui ambitus corona; aſt ab humo uſque ad initium mediani lapidis, brachia fere undecim altitudine complectitur. Brachiis ſex ſupra dimidium eius aditus patet: ſpatium vero, ſive area quadratae figurae, quae in medio relinquitur intra utramque portam, brachia eiuſdem moduli octo vix aequat. Interni externique parietes conſtant ingentibus quadratis ſaxis ad regulam ſcalpro exactis, & ſine coemento conſertis & conligatis, quae e terrae viſceribus eruta, vulgo, ut dicebam, *panchina*, longaevo temporum curſu dureſcunt, & miram firmitatem ac perpetuitatem cum ipſi, tum aedificia acquirunt. De his lapidibus, qui ſerra ſecti, ut ſupra monebam, nitorem marmorum aemulantur, quod teſtacea marina continent, & munitiſſimis maculis ac punctis interſtincti adparent, differentem lege Nicolaum Stenonem, qui Volaterrana moenia iiſdem exſtructa commendat (1).

III. Hanc portam etiamnum cives, *all' Arco*, vernaculo ſermone adpellant. Iam in Praefatione adnotavi ab Herculis proximo templo, quo in loco veteres Chriſtiani aedem S. Alexandro Martyri dedicarunt, fuiſſe nuncupatam. Hanc Herculis portam ex antiquis monumentis laudant Flavius Blondus (2), Inghiramius (3), & alii celebres Scriptores (4). Veterum mos fuit iuxta portas urbis templa Deorum condere. Dionyſius memorat id etiam a Romulo factum, qui Iovi Statori templum dedicavit apud portam *Mucionis* (a mugitu pecudum dictam) qua in Palatium ex ſacra Via itur. Haec porta una ex tribus illis fuit, quam Romulus ad ornatum Vrbis reliquit. Alteram Palatii portam *Romanulam* dixit, a qua non longe Volupiae Deae ſacellum. Tertiam *Ianualem* dixit ab Iano. Alii quatuor a Romulo conditas portas volunt: quod adnotat Plinius (5); ſed

(1) Vide in Prodromo Diſsert. de Solido intra Solidum.

(2) In Etruria Illuſtrata.

(3) Tract. X. Oppoſit. Reſp. CCXIII.

(4) Vide Dempſter. Etrur. Reg. Lib. V. Cap. III.

(5) Hiſt. Nat. Lib. IV. Cap. V.

ſed antiquariorum diſſidia dirimit Romanarum Antiquitatum illuſtris Interpres Onuphrius Panvinius (1), quem adeant, qui plura ſcire cupiunt. Facilius crediderim, novam Romuli urbem tres portas habuiſſe; nam Etruſca diſciplina cautum erat, haud cenſeri illas urbes iuſtas eſſe, in quibus tres portae non eſſent dedicatae & votivae (2).

IV. Nullum certe tota Etruria, ac, ni fallor, alibi, exſtat hoc monumento, quod priſcae Tuſcanicae maieſtatis atque opulentiae ſplendorem ac decus refert, illuſtrius atque admirabilius. Neque tamen Volaterrae urbs praeclariſſima hac tantum ſuperbit porta, quae Tuſcanicae Architecturae ſpecimen gravitate & elegantia plenum oſtentat; verum inclita eſt aliis portis, ut antea adnotabam, obſtructis, & magna ex parte dirutis, quas iam indicaſſe ſufficiet. Faeſulis ad hanc uſque aetatem exſtat Etruſcae portae exemplum. Ea conſtat quadratis lapidibus: arcum vigintiquinque lapides pectinatim diſpoſiti conficiunt. Ea plane imaginem quamdam refert huiuſce Volaterranae portae; parva tamen eſt, & diſtat a moenibus antiquis Romanos pedes fere tredecim. Subſecutis temporibus addita mihi viſa eſt, tamquam maioris portae munimentum, quo tutior ab hoſtium incurſionibus eſſet. Profecto cum ipſa antiquiſſimorum moenium dignitate ac magnificentia comparari non poteſt; quare etſi eam delineare ſtudii cauſa voluerim; tamen ne incerta pro certis darem, nolui in lucem proferre.

V. Ornamenta Volaterranae portae Etruſcae, ſculpta in ea tantum parte, quae arva reſpicit, quum hac tempeſtate temporum iniuriis detrita ſint ac prorſus deleta, coniiciet forſitan aliquis capita leonum referre; nam, ut obſervat Pierius Valerianus (3): *Non tantum Mycenarum portis; ſed etiam reliquorum aedificiorum, praecipue vero fanorum valvis, aediumque ſacrarum veſtibulis, leones, tamquam divinorum cuſtodes, ut paſſim cernere eſt, ſtatuebantur.* Frequenter leones in portis huiuſce urbis Florentiae occurrunt. Fuſius de hiſce ornamentis Ioannes Ciampinius (4). Sed in Volaterrana porta non capita leonum ſculpta antiquitus fuiſſe, ſed iuvenum, colligo ex vetuſtiſſimo exemplo Etruſcae urnae, Volaterris nuper effoſſae in praediis Franceſchiniis. Nam in ea ad portam pugna militum exhibetur, & miles e ſcala, quae ad eamdem portam admota eſt, deorſum corruit. Porro hoc ipſo ordine tria capita iuvenilia ad ornatum portae ſculpta cernuntur, ut ſculptor ſepulcralis urnae ad hanc urbis portam mentis oculos intendiſſe, eamque cum iiſdem

(1) In Vrbe Roma §. *De Portis* &c.

(2) Ex Servio, quem citat Sam. Pitiſcus in Lexico Ant. Rom. in v. *Porta*.

(3) Hieroglyph. Lib. I. Cap. IV.

(4) Veter. Monum. Par. I. Cap. III.

dem ornamentis referre voluiſſe, perſpicue adpareat. Ea capita Deos Lares, ſive Deos Viales, & fortaſſe etiam medium inter hos Genium urbis, referre arbitror: quorum ſimulacra in portis conlocari ſolebant, ut ab egredientibus vel ingredientibus adorarentur, ac ſalutarentur, quod docet Lucretius (1):

———— Tum portas propter abena
Signa, manus dextras oſtendunt adtenuari
Saepe ſalutantum tractu, praeterque meantum.

Iani ſignum in porta Ianuali, quae fuit in Palatio forum verſus, poſuit Romulus, ut docet Varro (2): *Tertia eſt Ianualis, dicta ab Iano: & ideo ibi poſitum Iani ſignum.*

VI. Quod igitur portae urbium haberentur tamquam ſedes, templa, & ſacraria Deorum, iiſdemque dedicatae eſſent, ſanctitatem obtinuere. Caius, quem exſcripſit Iuſtinianus (3): *Sanctae res, veluti muri & PORTAE, quodammodo divini iuris ſunt* (4). Sacras tamen non fecit nec cenſuit portas Etruſcorum diſciplina (5); quia hominum uſibus inſerviunt. In iiſdem portis condendis cum Tuſci, tum Latini ritum peculiarem obſervarunt, quem Cato exponit (6): *Qui urbem novam condit, tauro & vacca aret: ubi araverit, murum faciat: ubi PORTAM vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portam vocet.* Plutarchus (7): *Vbi PORTAM deſignare viſum eſt, vomere exemto, atque aratro ſublato, ſpatium relinquat.* Eadem fere repetit Servius in Virgilium (8).

VII. Praeter ſimulacra Deorum adceſſere inter portarum ornamenta Imperatorum ac Principum ſtatuae: & ſubſecutis ſaeculis eorum quoque inſignia, quo auguſtiores & venerabiliores redderentur. Quandoque, utpote in digniore loco, palatium iuxta portas urbis condiderunt. Nihil dico de iudiciis ſacriſque conventibus habitis in portis urbium: quae omnia adeo obvia ſunt, ut locupletiore elucidatione non indigeant. Chriſtianis ſaeculis caelo recepti Homines, Divi Civitatum Patroni, cuſtodes portarum facti, eorumque imagines vel ſculptae, vel in parietibus pictae portarum inſigniora ornamenta evaſerunt. Florentini, iuxta principes urbis portas non ſolum ſimulacra Tutelarium Divorum; ſed etiam doctiſſimorum Civium de litteris & de civibus optime meritorum dedica-

(1) Lib. I. verſ. 318.
(2) Lib. IV. de Lingua Lat.
(3) §. 10. Inſtit. de R. D. & A. E. D. in Lib. I. D. de D. R.
(4) Vide, quae adnotat Georgius D'Arnaud Variar. Coniect. Lib. I. Cap. XIV.
(5) Vide Plutarchum Quaeſt. Rom. 27.
(6) In Fragmentis.
(7) In Vita Romuli.
(8) Aeneid. Lib. V. verſ. 755.

dicarunt Statuas; atque inter hos Claudiano, quem ſuum civem faciunt, Danti Aligherio, Franciſco Petrarchae, Ioanni Boccaccio, Zenobio a Strata, ceteriſque aeterno nomine dignis hominibus, qui immortalibus ingenii ſui monimentis huiuſce Vrbis gloriam mirifice auxere: & veteres diſciplinas, depulſis teterrimae ignorantiae tenebris, reſtitutaque priſtina luce, in vitam feliciter revocarunt.

CAPVT VI.

Etruſcarum Vrbium inſigniora Templa & Statuae Deorum: publica aedificia, Circi, Theatra, Amphitheatra, & Piſcinae indicantur, eorumque exempla adferuntur.

I. AGreſtibus primum populis, mutua ſocietate & benevolentia ſimul coniunctis, congregatiſque intra urbes moenibus cinctas, praecipua earumdem urbium decora & ornamenta fuere Deorum fana ac templa: quae remotiſſimis temporibus habuiſſe veteres Tuſcos, minime dubitandum eſt. Apud Volſinienſes celebre fuit Nortiae Deae templum, de quo inſigne exſtat Livii teſtimonium (1): *Volſiniis quoque clavos indices numeri annorum, fixos in TEMPLO NORTIAE Etruſcae Deae, comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius adfirmat*. De his clavis haec idem Livius: *Eum clavum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt*. Hoc templum longe vetuſtiſſimum fuiſſe oſtendit priſca clavi figendi conſuetudo, quam ab Etruſcis Romani didicerunt: eamque anno ab Vrbe condita CCXLIIII. ſuſtulerunt, quo, exacto urbe & regno Tarquinio ſuperbo Regum ultimo, creatis Conſulibus, ab his annos numerare coeperunt. Memoratur etiam, tamquam celeberrimum, Voltumnae Deae fanum, ad quod de rebus graviſſimis pertractandis, de bello decernendo ſanciendaque pace Etruſci frequenter conventus habebant, cuius mentio compluribus in locis exſtat apud Livium, e quo haec pauca adferre lubet (2): *Ab his* (Tribunis militum Conſulari poteſtate) *primum circumſeſſi Veii ſunt, ſub cuius initium obſidionis, quum Etruſcorum conſilium ad FANVM VOLTVMNAE frequenter habitum eſſet, parum conſtitit, bellone publico gentis univerſae tuendi Veientes eſſent.* Non-

(1) Lib. VII. 3.

(2) Lib. IV. 61. & paullo ſupra.

Nonnulli Fanum Voltumnae, ubi nunc Viterbum, fuiſſe exiſtimant (1). Antiquiſſimum ac celeberrimum in Piceno memoratur a Strabone Iunonis CVPRAE templum (2), quod condiderunt ac dedicarunt Etruſci, qui Iunonem propria lingua *Cupram* vocarunt. Quum Iuno, ut cenſet Cl. Bonarrotius, expreſſa in patera ahenea Muſei Nobiliſſimi Comitis e Gherardeſca, adlata in Dempſteriano Opere (3), adſcriptum habeat Etruſcis litteris ƨIЯƎ. *Eris*, unde *Herae* cognomentum ortum; hinc colligimus, Numina apud Etruſcos, non uno, ſed pluribus cognominibus adpellata, & in ſacris invocata fuiſſe; quare, quia Strabo docet Iunonem vocatam fuiſſe *Cupram* ab Etruſcis: patera vero *Eris* nomen prodeſt; non eſt, quod de eius imagine dubitemus. Praeterea plura Dii habuere cognomina: alia vero myſtis & ſapientibus hominibus: alia vulgo tradita & nota fuerunt. Templorum atque ararum dedicationes perſcribebantur a Ritualibus Etruſcorum, Feſto auctore: *Rituales nominantur Etruſcorum libri, in quibus perſcriptum eſt, quo ritu condantur urbes, ARAE, AEDES ſacrentur.*

II. Conſtat, haec templa apud Tuſcos tum donariis, tum religionis cultu celeberrima fuiſſe. Quod vero praeter haec alia quoque fuerint, probabiles rationes & coniecturae ſuadent, quas in hoc ipſo Opere adtulimus, quae ut repetam, nec tempus, nec conſilium ſinunt. In qualibet vero Etruſca civitate praeter patrios Deos, quos peculiari nomine, ſummoque religionis cultu venerabantur, quos Tertullianus tum apud Etruſcos, tum apud Latinos adpellat *Municipales* (4), fuiſſe Iovis, Iunonis, Minervae templa ceterorumque Deorum, quos *Conſentes* & *Complices* adpellarunt, minime ambigendum eſt. Id adnotat Servius (5): *Prudentes Etruſcae diſciplinae aiunt, apud conditores Etruſcarum urbium non putatas iuſtas urbes fuiſſe, in quibus non tres portae eſſent dedicatae & votivae, & tot templa, Iovis, Iunonis, Minervae.* Maxima vero religione Etruſci Bacchum coluere, quem unum fuiſſe ex novem Diis, a quibus fulmina iaculantur (6), eiuſque myſteria Cabiros una cum ciſta myſtica in Etruriam invexiſſe, crediderunt, de quibus diſſerit Clemens Alexandrinus (7). Herculis quoque cultum, longe vetuſtiſſimum in Etruria, oſtendunt, praeter alia monumenta, numi ex aere fuſi, in quibus eius clava ſculpta cernitur cum Etruſcis litteris (8): in his vero, in quibus lyra pro typo, & litterae Etruſcae: ƎЯƎ+V+: *Tu-*

(1) Cluver. Ital. ant. Lib. II. pag. 565.
(2) Geograph. Lib. V. pag. 241.
(3) Tab. II. Vide quae in Adpendice §. III. pag. 10. adnotat Senat. Bonarrotius.
(4) In Apologetico Cap. XXIV.
(5) In Lib. I. Aeneid. verſ. 426.
(6) Plinius Lib. II. Cap. LII.
(7) In Protreptico.
(8) Vide Muſei Etruſci Tom. II. Tab. CXCVI.

Tutere, Apollinem docent religioſiſſime a Tuſcis cultum (1): cuius etiam imago in pateris Etruſcis cum adſcripto eius nomine iam pervulgata eſt (2). His adde Deos, quos Vitruvius enumerat (3), uti ſuperius monebam, quorum in honorem ex perſcriptionibus Ritualium Etruſcorum, templa vel in urbe, vel extra urbem conlocanda erant. Adde etiam Deos, quos cum Graecis, cum Latinis & Sabinis, aliiſque Italiae populis communes habuere: quod accurate non animadvertentes aliqui docti viri, invita Minerva, nuper negarunt Ianum, Saturnum, Bellonam, Pomonam, Pilumnum & Picumnum, Vacunam, Vitumnam, Cererem, Veſtam, Furinam, Fortunam, Victoriam, aliaque eiuſdem chori Numina, ab Etruſcis culta fuiſſe (4): quorum potiſſima ratio ea fuit, quod Romanarum rerum Scriptores apertiſſime teſtantur, ea a Latinis culta fuiſſe: ſilent vero de eorum cultu per Etruriam; etſi ſcirent, veteres Etruſcae Thyſiologiae auctores ad nos minime perveniſſe. Illud apud omnes in confeſſo eſt, Vertumnum totius Etruriae praecipuum Deum fuiſſe (5): tamen & a Latinis & a Romanis ſumma religione cultum, nemo eſt qui neſciat, aut neget. Illud etiam obſervandum, quod Dii, qui communem ubique cultum habebant, quodammodo peculiares, locales, & proprii ſingularum urbium evadebant, ſi peculiare cognomen in Indigitamentis obtinuiſſent. Ita Volſci, ex Etruſcis orti, Iovem cognomento *Anxurem* coluere (6): Mantuani Ditem Patrem, de quorum urbe, inter Etruſcas praeclariſſima, haec Servius (7): *Alii a Tarchonte, Tyrrheni fratre, conditam dicunt:* Mantuam *autem nominatam, quod Etruſca lingua* Mantum, *Ditem Patrem adpellant, cui etiam cum ceteris urbibus & hanc conſecravit*. Idem Servius patrios Carthaginienſium Deos nominat Saturnum & Iunonem (8). Eugubini peculiaribus nominibus Deos ſuos ornarunt, uti teſtantur eorum Tabulae. Gallorum patrii Dii antiquiſſimi fuere *Teutates*, *Heſus*, *Tharamis*, ſive *Taranis*, quorum meminit Lucanus (9):

> *Et quibus immitis placatur ſanguine diro*
> Teutates, *horrenſque feris altaribus* Heſus,
> *Et* Tharamis *Scythicae non mitior ara Dianae*.

 Sunt,

(1) In Dempſt. Opere Tom. I. Tab. LX. Vide etiam Tom. II. Muſei Etruſci Tab. CXCVI.
(2) Apud Dempſter. Tom. I. Tab. III. & IV.
(3) De Architect. Lib. I. Cap. VII.
(4) Vide Tom. XX. Opuſculor. Scientif. Venetiis edit. anno MDCCXXXIX. pag. 426.
(5) Varro Lib. IV. de Ling. Lat. Propert. Lib. IV. Eleg. II.
(6) Vide Servium in Virgil. Lib. VII. Aeneid. verſ. 299. Livium Lib. IV. circa fin. Feſtum in voce *Anxur*.
(7) In Lib. X. Aeneid. verſ. 201.
(8) In Lib. IV. Aeneid. verſ. 680.
(9) Lib. I. Pharſalic. verſ. 444.

Sunt, qui arcanis nominibus adpellata haec Numina, *Teutatem* Mercurium, *Heſum* Martem, *Tharamim* Palladem, apud illam gentem, eorumdem Deorum, teſte Iulio Caeſare (1), maxime cultricem, fuiſſe arbitrantur (2). In multis antiqui Galli & Druides cum Etruſcis conveniunt, ut alibi oſtendam.

III. Praeter delubra, Oracula quoque Deorum veteres Tuſci habuerunt, quale illud priſca religione celeberrimum in Etruria, cuius meminit Plutarchus (3): Τηθύος ἐν Τυῤῥηνίᾳ Χρηστήριον: *Tethyos in Etruria Oraculum*. Corruptum locum ſubſpicatus eſt Dempſterus (4), qui pro *Tethyos*, recte ſubſtituit *Themidos*; nam auctore Dionyſio (5), quae apud Graecos Themis, apud Latinos Carmenta fuit Evandri mater, mulier fatidica, cuius nomen & Oraculum in Latio & in Etruria celebre fuiſſe compertum eſt (6). Erat heic, ut valde cupiebam, locus ſane opportunus, templa Deorum, quae & in Etruria, & in Latio, tum ante, tum poſt Romam a Romulo conditam, a celeberrimis Scriptoribus indicantur, cultaque in ipſis Numina declarantur, enumerandi, ut quorumdam opinionem refellerem, qui genio eruditae novitatis nimium indulgentes, diu Romam templis, & ſimulacris caruiſſe ſcriptitarunt. Sed id alibi maiori fruens otio praeſtabo, quum alia Deorum adferam ſimulacra nunquam antea edita, quae in duas claſſes optimo conſilio diſpertiam, in ea nempe, quae Etruſca ex certis characteribus & notis indubitanter ſunt; & in ea, quae ex coniecturis & obſervationibus incerta & dubia exiſtimari poſſunt: quae, etſi Tuſcanica non cenſentur; ad veteres tamen Italos pertinuiſſe ſubſpicari poſſumus: adeoque propter ſummam vetuſtatem minori in pretio non ſunt habenda.

IV. Nihil dico de templorum apud Tuſcos origine, quae propter tempora longe remotiſſima, ignota prorſus, & caligine vetuſtatis adhuc obruta deliteſcit. Moſis & Ioſue tempore fanum Phogor, quod Moabitarum, & Madianitarum Numen fuit, memorant ſacrae Litterae (7): *Manſimuſque in valle contra fanum Phogor*, quem Deum eumdem ac *Baalpeor*, ſive *Belphegor* aliqui cenſent. Haec eo conſilio adnotanda cenſui, ut quo tempore fana Diis dedicata memorentur, expendamus. Prima Deorum templa fuere luci; arae erectae in montibus, quos priſca patrum religio Diis ſacravit: hinc plures in Etruria ad hoc tempus nomina antiquae ſuperſtitionis ſervant, ut Mons Iovis, Mons Summanus, Mons Cereris: ut ſileam de

(1) Comment. Lib. VI. de Bello Gallico.
(2) Vide Alexandrum Genial. Lib. VI. Cap. IV.
(3) In Vita Romuli.
(4) De Etrur. Regali Lib. I. Cap. XVIII.
(5) Antiquit. Roman. Lib. I.
(6) Ovidius Faſtorum Lib. III. verſ. 557.
(7) Deuteronom. Cap. III. verſ. 29.

de his, quos longa ſaeculorum ſerie ignarum vulgus idiomate ſuo corrupit, Diiſque dedicatos fuiſſe manifeſte adparet. Sacra Diis facta ſub arboribus, quas ipſis quoque Diis Etruſcorum Religio ſacravit, clare adnotat Plinius (1): *Vetuſtior autem urbe in Vaticano ilex, in qua titulus aereis litteris Etruſcis: religione arborem iam tum dignam fuiſſe, ſignificat.* Homerus auctor eſt apud Graecos ſacrificiis & donariis opulentum fuiſſe Apollinis Sminthii templum (2). Ante Romam a Romulo conditam, ſeu potius inſtauratam, Etruſcorum opes adeo florentes fuerunt, ut Turnus & Rutuli, gerente Aenea adverſus eos bellum, ad eas confugerint: *Tanta opibus Etruria erat, ut iam non terras ſolum, ſed mare etiam per totam Italiae longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum, fama nominis ſui impleſſet.* Haud mirum igitur ſi & hoc tempore ab Etruſcis templa Diis dedicari, & praeclara aliquot publica aedificia exſtrui potuiſſe ſubſpicemur.

V. Quae fuerit templorum apud Etruſcos forma, quaeve ornamenta, ex antiquiſſimis huius gentis monumentis diſcere poſſumus. Doctiſſimus Bonarrotius figuram oſtendit (3): adnotatque, ea priſcis temporibus anguſta fuiſſe & exigua, & pro ratione magnitudinis ſtatuarum parum alta. Ea columnis, epiſtyliis, gradibus, aris, ſuſpenſis armis, donariis, & ſimulacris Deorum ornata fuiſſe, Etruſcorum monumenta teſtantur. Huc adferendus inſignis apud Vitruvium locus, quo diſcimus, quibus ornamentis Etruſci ornare templorum faſtigia ſolerent (4): *Ipſarum aedium ſpecies ſunt barycae, barycephalae, humiles, latae, ornantque ſignis fictilibus aut aereis inauratis earum faſtigia, Tuſcanico more, uti eſt ad Circum Maximum Cereris & Herculis, Pompeiani item & Capitolii.* Praeparatas quadrigas fictiles ad ornandum faſtigium delubri Tarpeii Iovis, memorat Plinius (5). Ianuae etiam Etruſcorum templorum ornatae ſpectantur, & poſtibus munitae, quos picturis condecorari ſolitas colligi poteſt ex Servio, qui Carthaginienſis templi fores adnotat Iliacis hiſtoriis inſignes (6). Vitruvius exponit Tuſcanicas rationes in templis Deorum conſtruendis. Aediculas templis antiquiores facile crediderim. Subſpicatur Cl. Bonarrotius (7), Etruſcos inter primos fuiſſe, qui ſimulacris templa aedificarunt; nam templorum exiguitas, quae in adlatis Vaſculis conſpicitur, priſcam, rudem, & primo inventam templorum formam ob oculos ponere videtur. Tanta vero fuit Tuſcorum in templis condendis ſolertia ac peritia, ut Romani ſacras aedes exſtructuri, ad ſe eos adciverint, eorumque opera ſint uſi.

(1) Hiſt. Nat. Lib. XVI. Cap. XLIV.
(2) Iliad. Lib. I. verſ. 39.
(3) In Appendice ad Opus Dempſter. §. XXXVII. pag. 77.
(4) De Architect. Lib. III. Cap. II.
(5) Hiſt. Lat. Lib. XXVIII. Cap. II.
(6) Ex Virgilio Lib. I. Aeneid. verſ. 460.
(7) Loco ſupra memorato.

Capitolinum Templum a Tuſcis fabris perfectum, conſtat ex Livio (1): *Intentus* (Tarquinius Rex) *perficiendo templo, fabris undique ex Etruria adcitis, non pecunia ſolum ad id publica uſus eſt, ſed operis etiam ex plebe*. Ex Plinio colligimus (2), conſueviſſe Tuſcos, templa condentes, eorum imaginem in ſolo ſcipione deſignare, & praenuntiare cuius Dei futurum eſſet templum, in quo deſignando auſpicia Augures & Haruſpices captabant: quod factum a celeberrimo Etruriae Vate Oleno Caleno memorat idem Plinius, quum Iovi Maximo memoratum templum in Capitolio aedificaretur.

VI. Templorum, ſplendidiorumque aedificiorum inſigne decus & ornamentum fuere atria, quod nemo ignorat. Sed horum primos inventores fuiſſe Tuſcos, diſerte docent illuſtres Scriptores. Varro (3): *Atrium adpellatum ab Atriatibus Tuſcis; illinc enim exemplum ſumtum*. Feſtus (4): *Dictum autem atrium, quod id genus aedificii Atriae primum in Etruria ſit inſtitutum*. Servius (5): *Alii dicunt* Atria *Etruriae civitatem fuiſſe, quae domos amplis veſtibulis habebat: quae quum Romani imitarentur*, atria *adpellaverunt*. Strabo Aegyptiorum templorum, & atriorum formam ubi deſcribit (6), parietes ingentium ſimulacrorum ſculpturas habere narrat: ὁμοίων τοῖς Τυῤῥηνοῖς, καὶ τοῖς ἀρχαίοις σφόδρα τῶν παρὰ τοῖς Ελλησι δημιουργημάτων: *Etruſcis & antiquis Graeciae operibus perſimilium*. Quae quum legerem, Etruſcos in multis Aegyptiorum Architecturam imitatos fuiſſe, quod alibi etiam obſervaveram, comperi. Ioannes Ciampinius exemplum adfert templi vetuſtiſſimi, quod vidit non procul a Lacu Gabino, ex lapidibus Gabinis quadrilateris conſtructum, a quo non longe diſtaſſe formam templorum Etruſcorum crediderim (7). Sed quoniam nullum hodie exſtat, quod ſciam, Etruſcorum templorum veſtigium, aliquam quodammodo imaginem tam remotae vetuſtatis nobis referre poſſunt defunctorum Sepulcra, quae mox adferemus. Tuſcanicum capitulum, inter inſignes reliquias Templi Etruſci apud Peruſinos numerandum (quod heic adfero in Claſſe IV. Tab. XXVII. egregiis obſervationibus a V. C. Ioanne Baptiſta Paſſerio illuſtratum) perſpicue oſtendit, quanta elegantia operumque magnificentia Deorum templa Etruſci ornare conſueverint. Sed in his, quae adnotari poſſunt ad Etruſcorum artes ad Graphicen ſpectantes, quum inclitus Bonarrotius hanc ſpartam primus omnium ſumma cum laude occuparit (8), ut eum adeant, eruditos Lectores hortabor.

VII.

(1) Lib. I. 56.
(2) Hiſt. Nat. Lib. XXVIII. Cap. II.
(3) Lib. IV. de Lingua Latina.
(4) In voce *Atrium*.
(5) In Lib. I. Aeneid. verſ. 730.
(6) Geograph. Lib. XVII. pag. 806.
(7) Par. I. veter. Moniment. Cap. 1. pag. 4. 5. Tab. I. Fig. 1. & II.
(8) In Append. ad Opus Dempſterianum §. XXXVII.

VII. Ad Circos, aliaque ad ludos pertinentia Etruſcorum aedificia, nunc gradum facio. Primum Livii adferre teſtimonium lubet, qui in ipſo ortu Vrbis, Romulum Conſualia, nempe ludos paraſſe Neptuno Equeſtri ſolemneis, quanto adparatu tum ſciebat aut poterat, narrat (1). Spectaculorum exempla ab Etruſcis deſumta memorat idem Livius, qui haec de Tarquinio Priſco (2): *Ludos opulentius inſtructiuſque, quam priores Reges, fecit. Tum primum* CIRCO, *qui nunc Maximus dicitur, deſignatus locus eſt: loca diviſa Patribus, Equitibuſque: ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent, fori adpellati. Spectavere furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes: ludicrum fuit, equi pugileſque ex Etruria maxime adciti: ſolemnes deinde annui manſere ludi*, Romani Magnique *varie adpellati*. Tuſcis ſpectaculorum ſtudioſiſſimis hanc ipſam gloriam tribuit Tacitus (3): *Maiores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quae tum erat, eoque a Tuſcis adcitos hiſtriones, a Tuſcis equorum certamina, & poſſeſſa Achaia Aſiaque ludos curules editos*. Quamquam hodie, quod ſciam, nec rudera, nec veſtigia veterum Circorum in Etruriae urbibus ſuperſint; eorum tamen imaginem & ſpectacula exhibent Etruſcae urnae ſepulcrales apud Dempſterum Tabula LXIX. & in meo Muſeo Etruſco Tabula CLXXX. adlatae: quas cum obſervationibus illuſtrarem, non pauca de ludis Equeſtribus, Curulibus, Gladiatoriis & Scaenicis Etruſcorum adtuli, quae ſupervacaneum eſt nunc repetere (4).

VIII. Praeter Circos, fuere in Etruriae opulentis urbibus Theatra: quod perſpicue docent Etruſcae gentis tum ſculpta, tum picta monumenta. Quod ſpectat ad ſcaenicos ludos, videmus in his nobis propoſitum proſcaenium (5), Hiſtriones, Comoedos, Saltatores, Mimos, homines perſonatos cum muſicis inſtrumentis (6), oſcilla columnis impoſita (7), pulpitum, & in eo viros & feminas fabulas repraeſentantes, necnon Ludiones ad tibicinis modos ſaltantes. Spectamus etiam Pugiles certantes, armatis ceſto manibus: quod etiam clarius conſtabit priſcorum monumentorum fide, quae inferius adducam. Tragoedias, & celebres earum Scriptores habuiſſe Tuſcos, in confeſſo eſt (8). Romani bellis detenti, ac ſeverioribus utentes moribus, Scaenicos ludos ab Etruſcis ſero didicere, quorum epocham adnotandum cenſuit Livius, nempe V. C. anno CCCXXCIX.

C. Sul-

(1) Lib. I. 9.
(2) Lib. I. 35.
(3) Annal. Lib. XIV. 0.
(4) Vide Tom. II. pag. 109. & a pag. 374. ad pag. 378.
(5) Muſei Etruſci Tom. I. Tab. CLXXXVI.
(6) Apud Dempſterum Tabula XVII. XXVII. XXIX. LXIV.
(7) In parergo addito Operi Dempſteriano Tom. I. in fine Praefationis.
(8) Vide M. Varronem Lib. IV. de Ling. Latina.

C. Sulpicio Paetico C. Licinio Stolone, Conſulibus, graſſante per urbem peſtilentia, quo pacis Deûm expoſcendae cauſa, tertio tum poſt conditam Vrbem, lectiſternium fuit. Sed ipſa Livii verba operae pretium erit adferre (1): *Quum vis morbi, nec humanis conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, ludi quoque ſcaenici, nova res bellicoſo populo (nam Circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia caeleſtis irae placamina, inſtituti dicuntur. Ceterum parva quoque, (ut ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, LVDIONES EX ETRVRIA adciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus, more Tuſco, dabant. Imitari deinde eos iuventus, ſimul inconditis inter ſe iocularia fundentes verſibus, coepere: nec abſoni a voce motus erant. Accepta itaque res, ſaepiuſque uſurpando excitata, vernaculis artificibus; quia* Hiſter *Tuſco verbo* Ludio *vocabatur, nomen* Hiſtrionibus *inditum: qui non ſicut ante, Feſcennino verſu ſimilem incompoſitum temere ac rude alternis iaciebant; ſed impletas modis Saturas, deſcripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant*. Adcedunt Taciti (2) & Tertulliani (3) teſtimonia, quibus adſtruitur, Romanos ab Etruſcis Scaenicos ludos, & certamina accepiſſe, quae quia ſaepenumero vulgata, haud opus eſt multis in re exploratiſſima lectorum aures heic onerare. Adtuli Hadriae inventum vas fictile picturis elegantiſſimum, expreſſum in Tabula CLXXXVIII. Muſei Etruſci Tom. II. in quo Retiariorum cum Secutoribus, qui galea caput munitum habent, ludicra pugna cum armis exhibetur in theatro, quod indicant hinc inde erectae arae, Diis ſacrae (4): adeo nobis favent vetera Tuſcorum monumenta, ut nemo, niſi qui Vetuſtatis ſtudia primoribus labris deguſtavit, negare poſſit, Theatra apud Etruſcos fuiſſe. Id perſpicue etiam probatum eſt a Clariſſimo Octavio Bocchio, Nobili Viro Hadrienſi, qui Theatrum antiquiſſimum, lateritio opere & Tuſcanica Architectura exſtructum, Hadriae, inclita Tuſcorum colonia, & eorumque nobili portu celeberrima, teſte Plinio (5), primus omnium in lucem protulit, quod iam detectum fuerat, quum fundamenta Coenobii Patrum Ordinis S. Franciſci iacerentur. Id ipſum inſigne aedificium Bocchius egregio Commentario illuſtravit, Venetiis edito anno CIↃ.IↃ.CC.XXXIX. qui iterum paullo poſt in lucem prodiit inter Diſſertationes Nobilium Sociorum Etruſcae Academiae Cortonenſis (6); quapropter, quum eiuſdem Hadrienſis Theatri Ichnographicae Tabulae in omnium doctorum hominum manibus nunc ſint, minime heic repetendas eſſe cenſui.

IX.

(1) Lib. VII. 3.
(2) Annalium Lib. XIV.
(3) De Spectaculis. Vide etiam Valerium Max. Lib. II. Cap. IV. Tit. 4.
(4) Vide Obſervat. Muſei Etruſci Tom. II. pag. 394.
(5) Hiſt. Nat. Lib. III. Cap. XVI.
(6) Tom. III. Diſſert. II. pag. 67.

IX. Arretini Amphitheatri, quae ad hoc tempus perſtant veſtigia nolui praetermittere in Tab. VII. favente meis votis Eruditiſſimo Viro Laurentio Guazzeſio, ex Equeſtri Ordine D. Stephani, Patricio Arretino; qui Praetoriis muneribus decoratus, a patria urbe abſens, ampliorem delineationem mihi praebere non potuit. Is primus omnium ipſum hoc Amphitheatrum docto Commentario illuſtravit, quem publica luce donarunt Socii Etruſcae Academiae Cortonenſis (1): mox eiuſdem Commentarii Vindicias evulgavit, omni eruditionis fruge refertas, inter Opuſcula Scientifica (2). Ex his pauca notatu digna, ſi excerperem, operae pretium me facturum cenſui.

X. Arenae ſive caveae Amphitheatri Arretini formam non rotundam & orbicularem, ſed in ſpeciem ovi exſtructam fuiſſe perſpicue indicant rudera, quae ſuperſunt & ſpectantur in Hortis Monaſterii Monachorum Olivetanorum, quorum maximam partem occupat ſuper ipſis exſtructum Monaſterium, maximaque ex parte ex iiſdem lapidibus conditum a B. Bernardo Ptolemaeio Senenſi. Neque etiam arenae magnitudo deſignari poteſt; nam ſub humo alii ordines & gradus latent, uti murorum aliquot reliquiae hac illac ſparſae indicant, & praecinctiones, quae licet terra oppletae ſint, tamen non obſcure adparent. Superſunt etiam quatuor arcus, & quatuor ſubterraneae porticus, quae lapideos gradus, in quibus ſpectatores ex ordine ſedere ſolebant, fulciunt, quarum una iniurias temporum & barbarorum ſuperavit. Hos gradus, ex lapidum reliquiis, quae ſuperſunt, vix dixeris três fuiſſe. Quum terra obruti ſint duo ordines tam inſignis aedificii, dolendum eſt, nos adhuc latere, quae cuneorum, quae portarum, podiorum, ſcalarum, & vomitoriorum figura fuerit, adeoque fere totius Tuſcanici operis conſtructio ac ſymmetria. Totum aedificium inſignis vaſtitatis, multorumque ſpectatorum capax fuiſſe, veſtigia ipſa perſpicue declarant. Simplex tamen eius ſtructura fuiſſe videtur abſque ſtatuis ac columnis; ſed muri eius miro lapidum nexu compoſiti ſunt, interiectis aliquot ordinibus ex opere lateritio, quod in Arretinis moeniis laudat, ut paullo ante obſervabam, Plinius (3): & Silius *altos Arretî muros* commemorat: qui muri laude & memoria digni viſi ſunt Vitruvio (4), qui haec ſcripſit: *De lateritiis vero, dummodo ad perpendiculum ſint ſtantes, nihil deducitur; ſed quanti fuerint olim facti, tanti eſſe ſemper aeſtimantur. Itaque nonnullis civitatibus & publica opera, & privatas domos, etiam regias, e latere ſtructas licet videre. Et primum Athe-*

(1) Tom. III. Diſſert. IV. pag. 79.
(2) Tom. XX.
(3) Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. XIV.
(4) De Architect. Lib. II. Cap. VIII.

Athenis murum, qui ſpectat Hymettum montem, & Pentelenſem. Item parietes in aede Iovis, & Herculis lateritias cellas, quum circa lapidea in aede epiſtylia ſint, & columnae. In Italia ARRETII *vetuſtum egregie factum murum.* Non ſolum in vaſculis fingendis pingendiſque, ut oſtendi (1); ſed etiam in lateribus optimis fabricandis praeſtantes fuiſſe Arretinos Artifices declarant complures lateres, quos in lucem protuli, ſignatos eorum nomine (2): qui etiam, & quum validae res Etruſcorum eſſent, & quum orbem Romanum Imperatores moderarentur, diu Arretinos hac gloria floruiſſe perſpicue probant: praeterquamquod etiam nunc exſtat, territorium Arretio finitimum, quod a lateribus, qui in eo fiebant, *Laterina* nomen retinet.

XI. Haud quaquam me latet, ut omnes difficultatum nubeculas tollam, Romanos ſero admiſiſſe Theatra atque Amphiteatra, quae quidem primo lignea ac temporaria fuere; nam ſeveriori morum diſciplinae adſuetis, adſiduis curis belliſque gerendis implicitis, nova res viſa eſt, teſte Livio (3), ludiones ex Etruria adcitos ſpectare: eorum vero ſumma atque, ut ita dicam, unica voluptas fuit, Romani imperii gloriam ac vires bellicis artibus longe lateque augere atque amplificare. Id vero non obſtat, quo minus arbitremur, opulentiores Etruriae urbes Theatra atque Amphiptheatra habuiſſe; quum ipſos Romanos conſtet regnante Romulo Circum habuiſſe: & V. C. anno CCCXXCIX. Ludiones & Hiſtriones ex Etruria adciviſſe. Vitruvius adnotat (4), ab Haruſpicibus Etruſcis, eorumque diſciplinis perſcriptum, ubi Deorum fana conlocanda forent: Herculis vero fanum dedicari iuſſum ad Circum in illis civitatibus, in quibus nec amphitheatra nec gymnaſia eſſent. Memorat Nicolaus Damaſcenus, adlatus ab Athenaeo (5), qui eum Auguſti amicum fuiſſe teſtatur, ludos gladiatorios fieri conſueviſſe a Romanis non in publicis tantum conventibus & in Theatris, ſuſcepto ab Etruſcis exemplo ac more; ſed etiam in conviviis. Quod ſi opulentiores Latii urbes Amphitheatrum habuere, quemadmodum Velitrae, Fregellae, Setia, Lanuvium atque aliae, uti luculenter oſtendit V. C. P. Vulpius Soc. Ieſu Presbyter (6); non video, cur Etruſcis urbibus hanc gloriam negare velimus; quum nec deſint rationes, & veſtigia ipſa, quae haec aetate ſuperſunt, id apertiſſime oſtendant. Aedificia haec lapidea immenſi quodammodo operis immenſorumque ſumtuum

(1) Vide *Hiſtoriam Antiquariam Etruſcam* nuper a me editam vernaculo ſermone pag. CCVI. una cum *Vindiciis mei Alphabeti Etruſci*.

(2) Vide Par. II. Inſcript. ant. Etrur. Vrbium, ubi marmora Arretina illuſtrantur in fine.

(3) Lib. VII. Cap. II.

(4) Deipnoſophiſt. Lib. IV. Cap. XII.

(5) De Architect. Lib. I. Cap. VII. quem locum ſupra adtuli pag. 25.

(6) Veter. Lat. prof. Tom. IV. pag. 51. Tom. V. pag. 57. & in ſequentibus.

tuum credi minime poſſunt exſtructa poſt annum CCCCXLIV. quum Etruſcorum vires opeſque, antea validae, ſenſim dilapſae ſunt: ipſique fracti ac victi, Romani victoris gentium populi imperium ſubiere; ſed verſoſimilius videtur aliquot ante hoc tempus ſaeculis, quum ipſi ditiores Etruriae populi quiete, tranquillitate, atque opibus quammaxime florerent, horum aedificiorum epocham figere. Quod ſi poſtquam etiam victi ſunt, maximis viribus fretos fuiſſe conſtat, teſte Livio, qui, ne quid dicam de reliquis, de Arretinis Scipioni ſuppetias ferentibus, haec ſcribit (1): *Arretini triginta millia ſcutorum, galeas totidem, pila, gaeſa, haſtas longas, millium quinquaginta ſummam pari cuiuſque generis numero expleturos, ſecures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in quadraginta longas naves opus eſſet, tritici centum & viginti millia modium, & in viaticum Decurionibus remigibuſque conlaturos:* multo magis haud erit a veritate alienum opinari, Theatra & Amphitheatra lapidea multo ante apud Tuſcos in uſu fuiſſe.

XII. Quod ſi certum eſt, clariores Tuſcorum urbes altis moenibus cinctas fuiſſe, quae portentoſis ſaxorum molibus miro ordine conſertis conſtant, uti eorum reliquiae ad haec uſque tempora teſtantur; credibile eſt, & Theatra & Amphitheatra lapidea exſtrui tunc potuiſſe, quae populi voluptatibus inſervire, & virium magnitudinem, civiumque magnificentiam teſtari poſſent. Cave autem ne cenſeas Poëtas, praeſertim Virgilium, ceteroſque poëtice loqui atque emphatice, ubi alta urbium Etruriae & Latii moenia commendant; nam temporibus longe vetuſtiſſimis maxime altos muros poni conſueviſſe, docent etiam ſacrarum Litterarum oracula. De ſexaginta urbibus regni Og in Baſan, uno eodemque tempore vaſtatis a populo Hebraeo ductu Ioſue, haec leguntur (2): *Cunctae urbes erant munitae muris altiſſimis, portiſque, & vectibus, abſque oppidis innumeris, quae non habebant muros.*

XIII. Sed, etiamſi tota Etruria Theatrorum & Amphitheatrorum veſtigia ac rudera nulla hac tempeſtate ſupereſſent, quod falſum eſſe oſtendimus; tamen quod Ludionum, Hiſtrionum, Comoedorum, Tragoedorum, Mimorum, Secutorum, Retiariorum, aliorumque Artificum ſpectacula Etruſci omnium primi in Italia excogitarint, eaque ab Etruſcis Romani acceperint: quod Gladiatorios ludos cum triumphales tum funebres habuerint (quod praeter inſignes Scriptores (3), plane teſtantur monumenta tum picta, tum ſculpta in Etruria inventa) negari haud facile poteſt, Etruſcos Thea-

(1) Lib. XXVIII. 45.
(2) Deuteronom. Cap. II. verſ. I. 5
(3) Hos enumerat Th. Dempſterus de Etr. Reg. Lib. III. Cap. XLII.

tris & Amphitheatris caruiſſe. In re tam perſpicua, diutius, quam par eſt, non immorabor, praeſertim quum de his ludis ac ſpectaculis, ex Etruſcae Antiquitatis penu adlatis exemplis clariſſimis, luculenter diſſeruerit immortalis Bonarrotius (1), quem Lectores adire poſſunt: nec pauca, ipſe quoque tanti viri veſtigia ſecutus, in meo Muſeo Etruſco adnotarim (2).

XIV. Sed praeter Arretinum Amphitheatrum, recenſere etiam poſſum Amphitheatrum LVNENSE, nempe Lunae, inter Etruſcas urbes, non quidem magnae, ſed ob portum maximum, iuxta ac pulcherrimum, quem Strabo diligenter deſcribit (3), & ob marmoris candentis lautumias nobiliſſimae ac potentiſſimae. Non ſatis conſtat quando antiquiſſima eius moenia corruerint, quae Neronis aevo *deſerta* dicuntur a Lucano (4): a quo diſcimus, in ea Augurum & Haruſpicum, portentorumque Interpretum ſedem fuiſſe. Thomas Dempſterus (5) aetate ſua nil exſtare adfirmavit praeter Amphitheatri reliquias, quod etiam adnotavit Lucas Holſtenius (6). Adcedit litteratiſſimi Viri Comitis Hiacynthi Vincioli, Patricii Peruſini, teſtimonium, qui in quadam Epiſtola ſua, quae inter Opuſcula Scientifica Tom. XIII. edita eſt, ſe Lunam perluſtraſſe, & in ea veſtigia & reliquias Lunenſis Theatri vidiſſe adnotavit. His adiicere poſſem Lucenſe Amphitheatrum, Lucae exſtructum magnifico atque admirando opere; verum quia illud non vidi, ſed audivi maxima ex parte occupari a ſuperſtructis aedibus (quod ex barbarie ortum infortunium Florentino quoque Amphitheatro contigiſſe adnotat in egregio ſuo Commentario eximiae vir eruditionis Vincentius Borghinius) docti cives expendent, num Etruſco ordine atque opificio ſit exſtructum.

XV. Praetereo alia vetuſtiſſima Italicarum urbium Amphitheatra & Theatra: quae quidem quum nondum viderim, nolo incerta pro certis venditare. Pro Etruſcis Amphitheatris adſerendis, alias non contemnendas coniecturas ſuppeditant ſepulcrales Vrnae, ex Hypogaeis Etruſcis erutae, in quibus aprorum venationes repraeſentantur: ſculptaeque in medio pugnantium beſtiariorum columnae, quae ſpectantur, non obſcure indicant, eas venationes, non in aperto campo, aut rudibus ſeptis, ſed in Amphitheatro columnis ornato, editas fuiſſe. Venationes, inter varios ludos triumphales edi ſolitas ab Etruſcis, adnotavit V. C. Bonarrotius, multaque obſer-

(1) In Appendice ad Opus Dempſteri de Etrur. Reg. §. XXVI. pag. 39. 40. 41. & §. XXXI. pag. 54. 55.

(2) Tom. II. a pag. 374. ad 379.

(3) Geograph. Lib. V. pag. 153.

(4) Lib. I. Pharſal. verſ. 586.

(5) De Etrur. Reg. Tom. II. Lib. IV. Cap. XX. pag. 81.

(6) In Adnotat. ad Italiam antiquam Cluverii ad pag. 453. & praecipue ad 455.

obſervatu digna adtulit de ludis Gladiatoriis, quem adeant Antiquitatum Etruſcarum ſtudioſi cultores, qui plura cupiunt (1). Sed in condendis Amphitheatris exempla ex ipſa Architectura Tuſcanica deſumta, fidem, ut arbitror, faciunt, Etruſcos ceteris Italiae populis praeiviſſe.

XVI. Sed Volaterris antiquiſſimis temporibus Etruſca ſtructura conditum fuiſſe Theatrum, ſeu potius Amphitheatrum, locus ipſe manifeſte oſtendit, & teſtatur Raphaël Volaterranus (2), qui & alia antiquitatis monumenta ibidem eruta deſcribit: *Praeterea multa heic nuper refoſſa veterum monumenta, ſimul & ſtatuae cum litteris Etruſcis, quae, Livio Plinioque teſtibus, in precio apud Romanos fuere, nec uſquam alibi locorum conſpiciuntur*. Ingentis Amphitheatri adhuc in media urbe adparere veſtigia teſtatur etiam immenſae vir lectionis Curtius Inghiramius (3). Ipſe quoque teſtor, qui locum *Val di Buona* ab omnibus adpellatum, ubi exſtructum fuiſſe manifeſte adparet, non ſemel contemplatus ſum, quem in Tabula VIII. delineandum curavi. Prata undique locum ambiunt, & frequentes celſi conſitae inumbrant. Haud longe ab arvis circumiacentibus ſpectantur urbis moenia, non quidem Etruſca, ſed ſequiore aevo exſtructa, quae vulgo *mura Caſtellane* dicuntur. Litterae B. B. B. indicant Amphitheatri gradus, in quo ſpectatores conſidebant, qui nunc licet ſint undique oppleti terra; tamen a littera B. & C. adgeſta terra ita paullatim ſubſidet, ut concavum ſpatium vaſtae amplitudinis efficiat, quod ſenſim ad planitiem arenae ſeu caveae, quam notant litterae C. C. C. diſcurrit. Amphitheatri dimidia tantum pars hodie viſitur, quae refert hemicyclum. Secatur in medio a publica via, quae ad Piſanam Portam ducit. Alter Amphitheatri hemicyclus, ab arvis, muris & aedificiis occupatus occultatuſque, hodie non adparet. Prope eam viam indicatur locus, ut videre eſt in Tabula VIII. littera E. in quo cum Annales tum Hiſtorici Volaterrani memorant, inventam fuiſſe aedificii cuiuſdam inſignis marmorea fragmenta, nempe epiſtylia, coronides & capitula, quorum ſpecimen exhibeo in eadem Tabula VIII. litteris F. G. & haec & alia etiam in cavedio Palatii Nobilium Maffeiorum, & ad ornatum oſtii Hortorum ſpectantur, quorum ſpecimen nolui praetermittere, ut viri docti eorum ordinem ac ſymmetriam expendant. Conſtat ex adlatis in Dempſteriano Opere, & in Muſeo meo compluribus ad Architecturam ſpectantibus monumentis, Etru-

(1) In Appendice ad Dempſteriani Opus §. XXXI. & XXXII.

(2) Geograph. Lib. V. & Comment. Vrbanor. Lib. XXXIII.

(3) Ad Oppoſit. in Antiquit. Etr. Tract. X. Reſp. CCXIII. pag. 755.

Etruſcos adhibuiſſe plura ornamenta, quae propria cenſentur aliorum Architecturae ordinum: ſcilicet denticulos, echinos, aſtragulos, antas ſtriatas, quae luculenter obſervat Bonarrotius (1). In uſu quoque apud Etruſcos fuiſſe capitulum Doricum, ſe comperiſſe ſcribit Leo Baptiſta Albertius (2); ſed adlatum a me marmoreum capitulum eſt operis Corinthii. Columnarum ſtriatarum, etſi non pauca adhuc exſtent fragmenta, quae hodie in contiguis villis conſpiciuntur; tria tamen inſigniora fragmenta delineanda curavi, eodem in loco antiquitus effoſſa, quae nunc humi defixa, & erecta ſpectantur ante aedem B. Mariae Virginis, quae a Porta Florentina nomen retinet. Ea porticum ſive veſtibulum templi ornaſſe coniicimus, quod fortaſſe ſacrum fuit Bonae Deae, cuius cultus reliquias ſervat ipſum loci nomen, qui dicitur *Val di Buona*. Marmor ſubcaeruleum, variegatum, quo conſtant columnae, quas in Tabula VIII. indicant litterae H. I. K. noſtras eſt, forſitan e lautumiis Lunenſibus ſeu Vetulonenſibus antiquitus Volaterras advectum; nam Volaterris alabaſtra tantum effodiuntur.

XVII. Probe factum viſum mihi eſt heic rurſus adferre marmoream Etruſcam ſtatuam plane inſignem, quam protuli in Muſeo Etruſco Tom. I. Tabula IV. ſed magis accurate expreſſam; nuper enim ex compluio, in quo ſub dio in loculo quodam poſita erat, in interiorem aulam Nobilium Maffeiorum migravit: qua occaſione quum baſi a pariete remotae impoſita eſſet, facili negocio duae in fine Etruſcae inſcriptionis litterae poſt humerum eiuſdem Deae dextrum ſcriptae, quae antea cum pictori tum mihi ignotae fuerant, innotuere. Incipit inſcriptio Etruſca a ſummo manicae dextri brachii: inde ſurſum progrediens dextrum humerum verſus, poſt tergum continuatur: deſunt tamen, ibi deficiente marmore, quod teſſera marmorea ſuppletum eſt, aliquot litterae in hunc ferme modum: ∃>∴∴∴∴∴IM. Vt id certe adfirmarem, ipſam inſcriptionem tenuiſſima charta impreſſam ectypis litteris eduxi, quae plane rudes ſunt, & ſulcis profundioribus exaratae. Quia vero brachium ipſum curvatur, curvatur etiam litterarum linea: adeoque perperam eos feciſſe liquet, qui litteras omnes non obliqua, ut iacent, ſed recta forma rectiſque ductibus, & nimis elegantes, quum ita non ſint, nuper exhibuere (3). Illud notandum, ſtatuae humeros & collum gypſo: pedes vero & baſim inſecutis poſtea temporibus tophaceo lapide ſuppleta fuiſſe. Tum hoc ſimulacrum marmoreum anno CIↃ.CCCC.XCIV. inventum a Raphaële Volaterrano, tum alias Etruſci operis ſtatuas lit-

(1) In Appendice ad Dempſterian. Opus §. XXXVII. pag. 76. 77.

(2) De Re Aedificat. *Lib.* VII. Cap. VI.

(3) Tom. V. Obſerv. *Litt.* Veron. pag. 310.

litteratas eo loci erutas fuiſſe, circa Amphitheatrum, narrat Curtius Inghiramius (1).

XVIII. Senator Bonarrotius ſubſpicatus eſt (2), hanc ſtatuam referre Nortiam Deam, quae eadem ac Fortuna a doctis cenſetur: quam apud Athenienſes ſculptam cum Pluto infante in ſinu, non ſecus ac Pacem, diſcimus ex Pauſania (3): & apud Praeneſtinos cum Iove puero ita expreſſam, ex Cicerone compertum habemus (4). Aliis viſum eſt, referre Veſtam Deam (5), de qua haec ſcribit Albricus Philoſophus (6): *Hanc Iovis fuiſſe nutricem, & eum ſuo gremio ſubſtentaſſe, antiqui dicebant: quam etiam taliter figurat pictura.* Et paullo poſt: *Supra pinnaculum autem templi depicta erat ipſa Veſta, in formam virginis, infantem ipſum Iovem ſuo ſinu fovens.* Aliis forſitan Rheam Deam, quae Iovem peperit, partumque patri Saturno occultavit: vel etiam Iunonem Lucinam. Ex his, quae Cicero adnotat (7) de Dea, quam matronarum partubus praeeſſe Latini credidere, non diſſimile Numen fuiſſe apud Etruſcos coniicimus; & aliqua, ni fallor, in ipſo nomine tum Etruſco tum Latino adfinitas forte interceſſit. A Latinis *Natio*, ſive, ut aliis videtur, *Naſcio* adpellata eſt: *Quod ſi tales Dii ſunt, ut rebus humanis interſint, NATIO quoque Dea putanda eſt: cui, quum fana circuimus in agro Ardeate, rem divinam facere ſolemus: quae, quia partus matronarum tueatur, a naſcentibus NATIO nominata eſt.* Quod Etruſca epigraphe ita incipiat: IM: hoc eſt MI, quae formula frequens occurrit in ſacris Donariorum formulis, voto dedicatam hanc ſtatuam coniicit Cl. Paſſerius, amicus meus optimus, qui eam erudite illuſtrat & interpretatur (8). Quod autem Etruſci Deam hanc mulierum partubus praeeſſe, & his opem ferre crediderint, perſpicuo teſtimonio perlubet confirmare, nempe auctoritate Etruſci puerilis anuli aurei, in quo eadem Dea puerum ſinu fovens ſculpta eſt, quo auſpice refici & inſtaurari marmoreum hoc ſimulacrum poſſet. Hic anulus in ſepulcrali Vrna Etruſca inventus eſt anno CIƆ.IƆ.CC.XXXIX. quum Volaterris morarer, a Nobiliſſimis Guarnacciis, qui illum inter ſua Cimelia ſervant. Huius imaginem damus Tabula X. num. I.

XIX. Sequitur in eadem Tabula X. num. II. fragmentum marmoreae ſtatuae perelegantis operis Etruſci, quod effoſſum eſt anno CIƆ.IƆ.CC.XXXVIII. in praediis Ornatiſſimi Equitis Marii Maſ-

(1) Ad Oppoſit. in Antiq. Etr. Tract. I. pag. 58. Tract. VII. pag. 407. 408. 410. Tract. X. pag. 755. 756.
(2) In Append. ad Dempſter. Opus §. XIV. pag. 20.
(3) In Boeoticis Lib. IX. Cap. XVI.
(4) Lib. II. de Divinatione.
(5) Auctori Veronenſi Obſervat. Litter. quem Vide Tom. V. pag. 317.
(6) De Deorum Imagin. Cap. XVII.
(7) De Natura Deorum Lib. III.
(8) Epiſt. XI. inter Roncalienſes pag. 352. Opuſculor. Scientificor. Tom. XXIII.

Maffeii, Patricii Volaterrani, quod ante meos oculos delineandum curavi. Torque & armillis ornata eſt Dea, mihi plane incognita. Pauciſſimae ad nos pervenere veterum Tuſcorum ſtatuae, quae olim in opulentioribus urbibus paene innumerabiles fuere, teſte Plinio (1): qui propter duo millia ſtatuarum, Vulſinios a Romanis expugnatos memorat: laudatque ſigna Tuſcanica per terras diſperſa, quae in Etruria factitata non eſt dubium. Adcedit Caſſiodori teſtimonium, qui loquens de ſtatuis in Italiam invectis, haec ſcribit (2): *Has primum Tuſci in Italia inveniſſe referuntur, quas amplexata poſteritas paene parem populum Vrbi dedit*. Tertullianus idem antea his verbis expreſſerat (3): *Nondum enim tunc* (regnante Numa) *Graecorum atque Tuſcorum ingenia fingendis ſimulacris urbem inundaverant*.

XX. Balneorum, etſi tota ferme Etruria diligenter inveſtigarim, nulla hodie exſtant, quae antiquum referant Tuſcanicum opus, veſtigia ac rudera. Laudant tamen celebres Scriptores Dionyſius Halicarnaſſeus (4), Strabo (5), Varro (6), & alii (7) in Etruria medicatas ſaluberrimas aquas; ſed nec Homero calidos fontes ignotos fuiſſe compertum eſt (8). In re medica Etruſci ſecuti ſunt Pythagorae praecepta, & Aegyptios rei anatomicae omnium primos inventores atque inſtauratores, ut in multis, imitati ſunt. Sed Tuſcorum peritiam in aquis ſaluberrimis inveſtigandis derivandiſque, praecellentem fuiſſe, docet Varro in Quinquatribus, qui Tuſcos Aquilices, ob conlatam hominum ſanitati, inventis optimis aquis, & elicitis e fontibus, opem atque utilitatem, ita commendat:

An hoc praeſtas hero, fili Diogenis,
Quod illi ex utre aquam mittis? an hoc te
lactas? at hoc pacto utilior te Tuſcus Aquilex.

Nec ſolum ſalubres aquas explorare, inveſtigare, legere, & ex fontibus in rivos alio derivare, ad Tuſcorum artem pertinuit; verum etiam ad eorum Religionem, in qua praecipuam partem obtinuit; nam aquam in ſuffitionibus & luſtrationibus, in nuptiis, in funeribus, ac proinde in re ſacra a Tuſcis adhibitam, conſtat. Feſtus: *Aquaelicium dicitur, quum aqua pluvialis remediis quibuſdam elicitur: ut quondam, ſi creditur, manali lapide in Vrbem ducto* (9).

XXI.

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXXIV. Cap. VII.
(2) Lib. VII. Variar. num. 15.
(3) In Apologetico Cap. XXV.
(4) Hiſtor. Rom. Lib. I. pag. 29.
(5) Geograph. Lib. V. pag. 152. & 157.
(6) Lib. VIII. Ling. Lat.
(7) Vide Th. Dempſterum, qui fuſius de Etruriae aquis medicatis, & thermis celebrioribus.
(8) Iliad. Lib. XXVII. verſ. 148.
(9) Alia quae adnotat Feſtus in voce *Manalem lapidem*, & *Manalis fons*, vide.

XXI. Quod paullo ante adnotabam, teſtatur Piſcina admirando Tuſcanicae Architecturae exemplo exſtructa, quae adhuc integra Volaterris perennat, & ſpectatur in edito urbis loco, vulgo *Caſtello*. Quamvis fama iam pervulgaſſet in ea (nam ſubterranea eſt) latere ac cubare ſerpentes; ipſe tamen cupidine illectus obſervandi tam inſigne opus, per ſcalas primus omnium in eam deſcendi anno CIↃ.IↃ.CC.XXXIX. quod & alii poſtea eodem ſtudio excitati fecerunt. Ingreſſum praebuit foramen (nam antiquum obſtructum eſt) in fornice recenter excavatum (litt. D. in Tab. XII.) Nunc primum igitur in lucem prodit Volaterrana Etruſci operis Piſcina, tribus Tabulis nempe XI. XII. & XIII. accuratiſſime a Stephano Maffio, me rogante, delineata. Pavimento aliquantulum effoſſo, ſummo tamen labore, mihi conſtitit, inſtratum fuiſſe ab Etruſcis eo opere, quod Signinum veteres dixere (vulgo *calciſtruzzo*) quo ad aquas continendas ſervandaſque nil praeſtantius atque utilius excogitari poteſt: de quo, qui plura ſcire cupit, adeat Plinium (1) ac Vitruvium (2). A pavimento ad fornicem uſque altitudine adſurgit totum aedificium pedibus Romanis XXIV. ſupra dimidium: longitudine pedes LVI. latitudine vero XXXIX. circiter aequat. Quod vero aquis ſervandis ad publicam utilitatem & commoda Volaterranorum conditum fuerit, indicant foramina per fornicem diſpoſita, & tubi plumbei in iiſdem inventi. (litt. G. G. G.) Parum aquae in ea inveni. Puteum, quia recenter ſtructum, ſitumque prope parietem medianum, praetermittendum cenſui, quia recentiorum opus adparuit. Aquas per aquaeductus in hanc Piſcinam derivatas e finitimo fonte, vulgo *Docciolina*, cenſent cives Volaterrani. Parietes teſtudinis ſeu fornicis, itemque hi, qui totum ambiunt aedificium, quos litterae F. F. F. declarant, opere formaceo ſtructi, tribus materiarum adgeſtionibus & concretionibus (*di getto*) aedificati ſunt. Formaceum opus vetuſtiſſimis temporibus ita fieri conſueviſſe, hi parietes unico nunc exemplo oſtendunt. Super humo erigebantur lignea tabulata, tantum inter ſe diſtantia, quanta latitudo muri facienda erat. Spatium illud molliore terra cum lapillis & calce permixta implebatur ac infarciebatur: totumque opus, ſublatis poſtea tabulis, mirum in modum obfirmabatur, & obdureſcebat. Sex igitur columnae quadrato e lapide conſtant, qui vulgo *panchina* dicitur, egregie ad regulam expoliti, & conſtructi. (litt. B. B. B.) At praegrandes lapides, (litt. A. A. A.) qui in planitie arcus ſtatuti ſunt, ſunt tophacei. Ambit parietum calcem coronis, quam Itali Architecti *ovolo* dicunt, quam indicant in Tabulis litterae I. I. I.

CA-

(1) Hiſt. Nat. Lib. XV. Cap. XII.

(2) De Architect. Lib. VIII. Cap. ult.

CAPVT VII.

Corollarivm de antiquis Aegyptiorum & Graecorum, necnon Romanorum ſub Regum imperio publicis aedificiis.

I. ADdito hoc ad finem huius Diſſertationis Corollario, id oſtendere volo, Etruſcos in re aedificatoria cum Aegyptiis & Graecis conveniſſe; Romanos vero ſub Regum imperio imitatos eſſe Etruſcos in publicis aedificiis, quorum inſignes reliquiae adhuc perſtant. Has libuit in hoc Volumine proferre ex archetypis delineationibus, quas, dum haec ſcribo, eruditis viris dono dat, doctiſque ſuis obſervationibus illuſtrat Vir laudatiſſimus, & de antiquitate optime meritus, Franciſcus Ficoronius, qui eaſdem antea mecum humaniſſime communicavit.

II. Aegyptios quadratis ſaxis ad regulam expolitis exſtruxiſſe muros, perſpicue oſtendit exemplum adlatum in Tabula XIV. num. 1. Id ipſum Thebis Aegyptiis vidit, accurate delineavit, & primus omnium in lucem protulit Vir Clariſſimus Nordenus, a Magnificentiſſimo Daniae & Norvegiae Rege Chriſtiano VI. ad orbem luſtrandum, & admiranda, quae adhuc ignota durant, vetuſtiſſima ac nobiliſſima opera delineanda miſſus (1). Egregius hic vir, rei Architectonicae peritus, quum in Aegyptum penetraſſet, vidit Thebarum Aegyptiarum trans Nilum famoſiſſima rudera, delineavitque Coloſſos, & templi celeberrimi reliquias, in quo ſtatuam Memnonis, exoriente Sole, ut fabulati ſunt, vocalem, ſedentis habitu, eam eſſe ſubſpicatus eſt; dirutam tamen ac paene ſepultam obſervavit. Hanc littera G. in eadem Tabula oſtendit. Situs ipſe, in quo iacet idem Coloſſus ex Aegyptio lapide nigerrimo, vulgo *granito*, in templo poſitum fuiſſe oſtendit. Paraſtata & epiſtylium ex arenario lapide, quod iiſdem incumbit, ornata ſunt Aegyptiorum Hieroglyphicis, intermediis quibuſdam ad hiſtoriam pertinentibus figuris. Cum his iunctus eſt retro murus, quadratis lapidibus exſtructus, ut docet littera F. Epiſtylio iiſdemque paraſtatis aliae ſimillimae haud procul ſitae viſuntur, quas indicat littera D. Singulis adhaerent in antica parte ſimulacra Aegyptiorum Deorum, iniuria temporum acephala. Prope

(1) Librum edidit Londini cum Tab. IV. & hoc titulo: *Dravvings of Some Ruins And Coloſſal Statues at Thebes in Egypt vvith an account of the ſame in a Letter to The Royal Society.* MDCCXLI. Huius Operis notitia exhibetur in Tom. I. Par. I. *Giornale de' Letterati pubblicato in Firenze* an. MDCCXLII. Artic. I.

Prope everſus cernitur alius Coloſſus, quem littera H, & non longe alterius coloſſi caput, quod litt. I. deſignat. Qualem vero & quantam Thebani in templis ac ſepulcris condendis magnificentiam oſtenderint, Diodorus Siculus luculenter teſtatur (1). Dum haec ſcribo, audio, Virum doctiſſimum Eduardum Pococh Anglum (quem Florentiae vidi anno CIↃ.IↃ.CC.XLI. omnibuſque honoris officiis me inviſentem, & ſua Itinera narrantem humaniſſime complexus ſum) memoranda, quae ad hoc tempus exſtant, veterum Aegyptiorum aedificia, quae ipſe vidit obſervavitque, in lucem edidiſſe, inter quae multa exempla adferuntur, quae id quod adnotabam perſpicue confirmant.

III. Quod adtinet ad vetuſtiſſimam Graecorum in moeniis & portis urbium condendis Architecturam, duo tantum exempla proferre lubet in eadem Tabula XIV. quae Cyriacus Anconitanus in ſuo per Illyricum Itinere non ſolum obſervavit; ſed ipſe quoque Pictoriae artis & Architecturae peritus peraccurate delineavit: neque in his, ut in inſcriptionibus, quas ab amicis accepit, deceptum fuiſſe ſubſpicari poſſumus (2). Ad primum exemplum a me adlatum num. II. haec adnotavit: *Ad III. Kal. Februarias* (an. CIↃ.CCCC.XXXVI.) *venimus Argos Amphilochium in finibus Epiri iuxta Acheloum fluvium, quam incolae* Geroviliam *vocant: quae magna civitas habet ingentes muros in circuitu quadrangulari ad VIII. milliaria ſpatio: & per medium civitatis murum habentem tres aequales diſtantia portas. In parte meridionali civitatis moenia parvas habent XIIII. portas; magnas autem binas in angulo ad partem Occidentalem: columnas confractas innumeras habentes p. VI. diametri, idque vocant incolae* Pyrgon Achilleos. *Eſt ſita ad oſtia fluvii Acheloi circa milliaria LX.* Alterum exemplum, quod adfero, reſpicit Calydona urbem, ab Homero laudatam (3): cuius moenium cum porta ſpecimen ex Cyriaco depromtum exhibet eadem Tab. XIV. num. III. Ad VI. *Id. Febr. in Aetolia vidi urbem ingentem Calydona, quam hodie vulgus* Arton *vocat, ſitam ſecus mare ad III. miliaria in Corinthio ſinu, procul Naupactum ad mil. XXV. poſitam in alto monte, habentem in ſummitate turritam arcem, ingentes portas, moenia circum magnis edita lapidibus, & magnas per urbem hinc inde conlapſas & ſemidirutas domos, quas inter, Baſilicam nobiliſſimam vidi magnis lapidibus editam cum circulari aedificio diverſis ornato figuris. Continet ſpatio civitas omnis circiter mil. XII.* Lapidum menſuram in adlatis moenibus Cyriacus adnotavit. Publicorum aedificiorum longe vetuſtiſſimorum, quae in Sicilia occurrunt, Syntagma

(1) Biblioth. Hiſt. Lib. I. pag. 30. 31.

(2) Pag. V. Vide quae de hoc Cyriaci Itinere adnotavi in Praefat. pag. XVIII.

(3) Iliad. Lib. II.

tagma inſigne avide expectamus a Nobiliſſimo Doctiſſimoque Viro Iacobo Philippo D' Orville, mihi amicitia, flagrantique illuſtrandae eruditae antiquitatis ſtudio coniunctiſſimo. Ex his quoque conſtabit, quadratis magnis lapidibus Siculos cum moenia & portas, tum etiam baſilicas, templa, theatra, amphitheatra, nymphaea, balnea ac ſepulcra exſtruxiſſe.

IV. Ad aedificia publica, a priſcis Romanorum Regibus conſtructa, quorum rudera adhuc viſuntur, gradum facio. Mitto Aquaeductum Aquae Marciae, de quo conſulendus Fabrettus (1), & Ciampinius (2), qui totum conſtare Gabinis ſive Albanis quadratis lapidibus ſe obſervaſſe adfirmant. Ex iiſdem quadratis lapidibus exſtructa Cloaca maxima, cuius iconiſmum exhibet Tabula XV. num 1. depromtum ex archetypis delineationibus Ficoronianis. Portentum hoc artis, mirandum Tarquinii Priſci opus, ita deſcribit Plinius (3): *Sed tunc ſenes aggeris vaſtum ſpatium, & ſubſtructiones inſanas Capitolii mirabantur: praeterea cloacas, operum omnium dictu maximum, ſuffoſſis montibus, atque (ut paulo ante retulimus) urbe penſili, ſubterque navigata, a M. Agrippa in aedilitate poſt conſulatum, per meatus corrivati VII amnes, curſuque praecipiti, torrentium modo, rapere atque auferre omnia coacti, inſuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infuſi recipiunt fluctus, pugnantque diverſi aquarum impetus intus; & tamen obnixa firmitas reſiſtit: trahuntur moles internae tantae, non ſuccumbentibus cauſis operis: pulſant ruinae ſponte praecipites, aut impactae incendiis: quatitur ſolum terraemotibus: durant tamen a Tarquinio Priſco annis DCCC. prope inexpugnabiles: non omittendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omiſſum eſt. Quum id opus Tarquinius Priſcus plebis manibus faceret, eſſetque labor, incertum, longior an periculoſior, paſſim conſcita nece, Quiritibus taedium fugientibus, novum & inexcogitatum antea poſteaque remedium invenit ille Rex, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora ſpectanda civibus, ſimul & feris volucribuſque laceranda: quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui ſaepe res perditas ſervavit in proeliis, tunc quoque ſubvenit; ſed illo tempore impoſuit: tum erubeſcens quum puderet vivos tanquam puditurum eſſet exſtructos. Amplitudinem cavis eam feciſſe proditur, ut vehem foeni large onuſtam tranſmitteret.* Ingentes lapides triplicem arcum Cloacae maximae conſtituiſſe obſervavit Clariſſimus Ficoronius ex lapide *Gabino, qui vulgo *Peperino* dicitur: qui tamen, quum ad hoc tempus eruatur ex agro oppidi Mareni, *Marenus* adpellandus eſſet, ut Ciampinius obſervat (4). Hodie ta-

(1) De Aquis & Aquaeduct. Diſſert. II. * 326. 327. 328.

(2) Par. I. Vet. Monum. Cap. VIII. pag. 66.

(3) Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. Cap. XV.

(4) Veter. Monum. Par. I. Cap. I. pag. 5.

tamen interioris tantum arcus quadrati lapides ſuperſunt: reliquos indicandos cenſuit Ficoronius. Intus ad altitudinem palmorum Rom. XVIII. & ad parem latitudinem pertingit. Exhibet eadem Tabula XV. num. II. veſtigia mirae ſubſtructionis, & operis Templi Iovis Capitolini, de quo haec ſcribit Dionyſius (1): *Huic Templo Iovis Tarquinius Rex V. ſedem quum deſignaſſet tumulo, qui difficili aditu erat, nec in ſummo planus, ſed praeruptus & faſtigiatus; multis ex partibus amplexus eſt eum pluribus ſubſtructionibus, inter quas & verticem congeſto aggere planam effecit aream, ad excipiendam aedem ſacram aptiſſimam.* Diremta controverſia de ſitu eiuſdem Templi ſuborta, conſtat ex his, quae ſuperſunt reliquiis, ſitum fuiſſe poſt palatium & ſtabulum Excell. Ducis de Caffarellis, non procul a Tarpeia rupe. Murus ab uno latere angulum efficit, & latitudine palmos Rom. CXIV. altitudine vero XII. excedit. Integrum proſpectum protulit Fabrettus (2), quod & Ciampinius adnotavit (3).

V. Ad idem Templum Iovis Capitolini ſpectare creduntur porticus vetuſtiſſimi operis ac plane mirandi, ex Gabinis lapidibus extructae, ſupra quas aedificatum cernitur Palatium Senatoris & Conſervatorum Populi Romani, & carcer publicus. Superſtructum Palatium indicat littera B. in Tabula XVI. num. I. Sequiori autem aevo caementitio opere ſubfultae ſunt paraſtatae (ut oſtendunt litt. C. C. C.) quibus arcus innituntur. Sequuntur in eadem Tabula XVI. num. II. rudera muri e quadratis Gabinis ſaxis extructi, quibus inaedificatum eſt idem Palatium. Multa obſervatione digna in his priſcae Romanorum magnificentiae aedificiis illuſtrandis patefaciet egregius veterum monumentorum vindex Ficoronius, quem eruditi homines conſulent, praeſertim ubi aget de Carcere Tulliano, cuius ſitum declarabit, oſtendetque parietum e quadratis lapidibus miram ſtructuram, & alia multa, antea celeberrimis Antiquariis ignota, nec diligenter obſervata atque expenſa, optata luce donabit.

VI. Haec ad declarandam in aedificiis conſtruendis antiquorum Etruſcorum cum Aegyptiis, Graecis, & Latinis concordiam ſufficere poſſe arbitror. Ipſa quoque, naſcente Roma, inſigniora aedificia iam publici iuris facta, eamdem, quae in Etruſcis cernitur, indolem ac ſymmetriam retinuiſſe, adlatis exemplis, compertum eſt. Quod ſi tanti iure ac merito fecimus Volaterrarum Portam urbis principem, & Piſcinam (teſtante Ariſtotele (4)

Vo-

(1) Antiquit. Rom. Lib. III.
(2) In Addend. ad Syntag. de Columna Traiana in fine Indicis.
(3) Par. I. Vet. Monum. Cap. VIII. pag. 66.
(4) Lib. de admirand. Auſcultationibus, cuius locum ſupra pag. 30. 31. adtuli.


Volaterranos mirum in modum aquis ſaluberrimis abundaſſe) quia haec veterum Etruſcorum Architectorum magnifica opera integra adhuc poſt tot ſaecula durant ac perſtant : non minori ſane admiratione contemplandum nunc eſt opus inſigniſſimum , quod nunc primum meis curis in lucem prodit ; antea enim adeo incognitum, ut nec Cluverius , nec Cellarius , nec alii illuſtres Geographi meminerint. Huiuſmodi aedificium antiquitate , vaſtitate , firmitate, ac pulchritudine praeſtantiſſimum , quadratis item lapidibus exſtructum , eſt Caſtrum & Arx , ſita in edito monte Volaterrani agri, quem montem tres fluvii circumfluunt , *Pavo* , *Porſera* & *Caecina*, iuxta oram maritimam , tredecim aut fere quatuordecim paſſuum millibus diſtantem a Volaterris urbe. Ea adhuc auctoris ſui nomen retinet, nempe L. Cornelii Sullae, & vulgo etiam nunc dicitur *Rocca Sillana* . Hanc, quum apud Volaterranos eſſem, ut vidi, obſtupui; quare delineatam ab egregio Architecto Stephano Maffio, meis votis favente , & curante erudito Viro Antonio Philippo Pagninio Volaterrano Medicinae Profeſſore, ut accepi, ſtatui eam cum doctis eruditae Antiquitatis cultoribus communicare , quos inter vetera monumenta adſimile tam vetuſti operis ad rem Polyorceticam illuſtrandam exemplum nondum vidiſſe arbitror . Exagonam formam, uti Tabula XVII. quae eius Ichnographiam exhibet , retinere videmus. Vnicum huius Arcis proſpectum , quem in eadem Tab. XVII. indicat littera A. proferimus Tabula XVIII. reliquos tres, utpote huic ſimiles, his, ſi qui erunt, qui bono litterariae reipublicae in lucem dare voluerint, ultro offerimus. Ichnographiam, adiectis ad ſingulas litteras explicationibus, in eadem Tabula XVII. dilucidamus. Neque alicui mirum videbitur, talem ac tam firmam Arcem, in conſpectu Volaterrarum conſtitutam, qui legerit apud celebres Scriptores Strabonem (1) & Ciceronem (2), Volatarranos Sullanis temporibus valde conflictatos fuiſſe ; ſed quum in armis eſſent , civilem calamitatem & oppugnationem per biennium fortiſſimo animo ac viribus toleraſſe ac ſuperaſſe , civitatemque numquam iiſdem Sullam eripuiſſe , etſi agros ademiſſet : tanta dignitate, tantoque ſplendore fuerunt olim res Volaterranorum .

CLASS. I. TAB. I.

(1) Geograph. Lib. V. 223.

(2) In Orat. pro Domo ſua ad Pont.

CLASS.I. VRBIS VOLATERR. ETRVSCA MOENIA. post pag. 68. TAB.I.




S. Maſ. del.

V. F. S.

CLASS·I. TAB·II.


VRBIS CORTONAE ETRVSCA MOENIA.




Mensura Brach. Florentinor X.

VRBIS FAESVLARVM ETRVSCA MOENIA.

Mensura Brach. Flor. XII



CLASS I. T. IV.



Mensura Brach. X. Florentinor. 3 6 9 10

ICHNOGRAPHIA PORTAE VOLATERR. ETRVSCI OPERIS.

CLASS. I.

T. V.



Menſura Brachiorum trium Florentinorum

PORTA TVSCANICI OPERIS VOLATERRANAM VRBEM INTRORSVS RESPICIENS

Steph. Maſſius delin. *Franc. Bartolozzi ſculp.*

CLASS. I. T. VI.




Menſura Brachiorum trium Florent.

G.F. Scu.


PORTA TUSCANICI OPERIS VOLATERRANUM AGRUM RESPICIENS.

CLASS.I. TAB·VII.



SCENOGRAPHIAE AMPHITHEATRI ARRETINI ETRVSCI OPERIS RELIQVIAE QVAE SVPERSVNT.

Mensura Brachiorum XXV Florentinorum



AMPHITEATRI VOLATERRANI VESTIGIA ET RELIQVIAE



Huius statuae Etrusca Inscriptio calcatis formis eclypographica




Litterae post humerum deal



CLASS. I. T. X.

I.




IN MVSEO GVARNACCIO.



IN MVSEO D. EQ. MARII MAFFEII PATR. VOLAT.

CLASS. I.

T. XI.




ICHOGRAPHIA PISCINAE ETRVSCAE VOLATERRIS.

CLASS·I·

TAB·XII

SCENOGRAPHIA PISCINAE VOLATERRANAE OPERIS ETRVSCI.



Mensura Brach· X· Florentinor.

ſt·Maſſius Arch·delin·

V·F·Scul·


CLASS.I. TAB.XIII.

SCENOGRAPHIA INTEGRAM EXHIBENS PISCINAM VOLATERRANAM
OPERE ETRVSCO EXSTRVCTAM.




Menſura Brach. X. Florentinor.

ſte. Maſſius Arch. delin. *V.F. Scul.*


CLASS. I.
E T. XIV.
I.
D
I
H
G
II.
ΚΕΦΑΛΟΣ
ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ
ΤΕΛΩΝΟΣ
ΧΑΙΡΕ
P. 12.
P. 12.
18.
III.
P. 22.
P. 12
P. 15.
P. 20.
V. F. S.


I.



Menſura Palmor. 5 10 *Rom. Architect.*

VRBIS CLOACA MAXIMA.


II.



ARCIS CAPITOLIO PROXIMAE VESTIGIA.


RVDERA SVPER QVAE EXSTRVCTVM PALATIVM SENATORIS.

II.




Menſura Palmor. 3 6 6 *Roman. Architect.*

I.




TEMPLI CAPITOLINI QVAE SVPERSVNT.

ANTIQVAE ARCIS SVLLANAE EIVSQVE CASTRI ICHNOGRAPHIA.



CLASS. I. T. XVIII.



ARX SVLLANA ANTIQVO OPERE EXSTRVCTA.



MVSEI ETRVSCI

CLASSIS II.

DISSERTATIO II.

DE ETRVSCORVM ANTIQVIS PRIVATIS AEDIFICIIS.

PROOEMIVM.

DE Etruſcorum origine diſſerenti mihi , ea admodum placuit , ac veriſimilior viſa eſt opinio Ampliſſimi Senatoris Bonarrotii , qui eos in haec Italiae loca ex Aegypto profectos eſſe ſubſpicatus eſt (1) . Sed praeter alia non pauca , quae & ego quoque adtuli rationum momenta (2), ut hanc , quam ipſi quoque Graeci ſortiti ſunt , originem confirmarem , alia nunc ex eorumdem Etruſcorum Sepulcris, adhibitiſque in funere caerimoniis ac ritibus, depromere in promtu eſt.

I. Primum , poſtquam egi de eorum publicis aedificiis , nunc de privatis , hoc eſt de eorum domibus , de Regum & Lucumonum praeclaris aedibus pertractandum eſſet . Ea vero quam ſplendida & ma-

(1) In Appendice ad Opus Dempſterianum §. XLVII. pag. 103. & 104.

(2) In Tom. II. Muſei Etruſci Diſſert. I. de Tyrrhenorum origine.

magnifica fuerint, documento ſunt atria, non ſolum ad maieſtatem ac decus templorum, verum etiam ſplendidiorum domorum ab Etruſcis excogitata (1). Id quoque diſerte teſtatur Diodorus Siculus (2): *Εν τε ταῖς οἰκίαις τὰ περίστοα, πρὸς τὰς τῶν θεραπευόντων ὄχλων ταραχὰς ἐξεῦρον εὐχρηστίαν. Domorum quoque porticus, ad avertendum turbae ſervorum & clientium ſtrepitus & moleſtias, percommode invenerunt.* Idem Diodorus paullo poſt, laudata Etruſcorum ſcientia, ſtudiis & diſciplinis, prolixas eorum voluptates & delicias exponens, bis memorat in die ſolitos menſas inſtruere opiparas, ceteraque ad lautitiam & faſtum pertinentia adhibere: ſtragulis, & aulaeis uti ceu floribus inſperſis: argenteorum poculorum ingenti copia & varietate explendeſcere: ſervorum ac familiarium miniſtrorum numerum haud exiguum in parato habere: quorum alios formae decore excellentes, alios ſumtuoſiore, quam pro ſervili conditione, veſtitu exornatos fuiſſe teſtatur. Adnotat etiam, ſecretas ab aliis aedes habuiſſe, omni cultu inſtructas, cum ſervos, tum etiam ingenuorum pleroſque. Sed quoniam Etruſcarum domorum nulla poſt tot ſaeculorum viciſſitudines veſtigia hodie ſuperſunt; ſed quo opere, artificio, elegantia ac dignitate conſtrui conſueverint ex Vitruvio diſcendum eſt (3): poſthabitis his viventium hominum domibus, ad illas, quas veteres Tuſci, ſibi poſt mortem incolendas, omni ſtudio cultuque aedificarunt, ut ſecuri, & viventes & mortui, poſteritatis aeternique nominis eſſent, me convertam.

II. In Sepulcris potius, quam in aedibus aedificandis maiorem curam adhibuiſſe Aegyptios, obſervat Diodorus Siculus, cuius verba brevitatis gratia Latine reddita perlubet adferre (4): *Regionis huius incolae tempus vitae limitibus circumſcriptum minimi exiſtimant: & domicilia viventium, diverſoria nominant, quod exiguum ad tempus haec incolamus: defunctorum vero Sepulcra DOMOS AETERNAS adpellitant, quod infinitum apud Inferos aevum peragant. Quamobrem de ſtructura domorum minus ſunt ſoliciti; in adornandis vero SEPULCRIS eximie nihil ſtudii faciunt reliquum.* Etruſcos quoque Aegyptiorum filios, ac mirifice aemulos, in exſtruendis Sepulcris par ſtudium eximiamque diligentiam adhibuiſſe, ea, quae ad hoc tempus ſuperſunt Conditoria, perſpicue teſtantur; etſi longe inſigniora ac magnificentiora temporum ac barbarorum iniuriis & cladibus iam deleta fuiſſe, minime abſurdum ſit coniicere. Praeter ea, quae in lucem protulit immortalis Bonarrotius, alia complura nunc primum in hoc opere pervulganda curavi: nec ſumtibus, nec laboribus ullis peperci, ut Etru-

(1) De his vide ſupra Diſſert. I. pag. 52.
(2) Biblioth. Hiſtor. Lib. V. pag. 219.
(3) Lib. IV. Cap. VII. & Lib. VI. Cap. III.
(4) Biblioth. Hiſtor. Lib. I. pag. 33.

Etruriae antiquae Hiſtoriam locupletarem. Ea picturis, ſtatuis, urnis marmoreis, ad decus etiam variis coloribus exornatis, & fulgenti auro bracteatis, referta, pluribus in locis, praeſertim vero Volaterris, occurrunt. Non pauca adhuc exſtant Sepulcra concamerato opere, quadratis ingentibus lapidibus, miro Tuſcanicae Architecturae artificio ita exſtructa, ut qui mirantur neſciant, utrum prior oculis occurrere certet antiquitas, an plena decoris dignitatiſque elegantia.

III. Dum haec antiquorum Etruſcorum Sepulcra proferimus, habendam eſſe temporum, & hominum conditionis rationem monemus. Nam varia fuiſſe Tuſcanicorum Sepulcrorum genera compertum eſt. Vulgaria in agris effoſſa nullis ornamentis ſplendeſcebant: in ſcrobe ſiquidem rotunda vel quadrata, in terra excavata, collocatae erant urnae, ollaeque cinerariae vel tophaceae vel fictiles, quales pauperum admittebat conditio. Primi mortales pararunt ſibi ſpecus, ſive amplas cryptas in terrae viſceribus, vel ad radices montium effoſſas; ita tamen, ut earum aditus ad meridiem reſpiceret: quem morem in Hypogaeis Volaterranis ſervatum adnotavi. Hanc quoque condendorum Sepulcrorum conſuetudinem ſervaſſe Aegyptios & Hebraeos, qui ſpeluncas in rupibus magniſque in ſaxis ſibi ad humandum corpus exſciderunt, luculenter oſtendit Cl. Ciampinius (1). Benignioris lautioriſque fortunae per Etruriam homines paullo ampliora Sepulcra in ſinu terrae ſive in praediis conſtituebant, & urnis marmoreis ad condendos cineres utebantur: quas ſibi viventes parabant, thematibus illis, ac feralibus emblematis ornatas, quae magis eis adriſiſſent. De his emblematis infra diſſeram. Officinas Sculptorum in multis Etruriae urbibus fuiſſe facile crediderim, qui urnas vel marmoreas, vel tophaceas, vel fictiles ad rem funebrem paratas habebant, quas emere poterant, quando volebant hi, qui viventes de quiete & ſecuritate cinerum corporis ſui poſt mortem cogitabant. Apud Aegyptios in more poſitum narrat Herodotus (2), ut cadavere elato ad ſepulturam, ii, qui portabant, adirent artifices, ab his exemplaria cadaverum lignea pictura adſimilata petentes, quae accurate defuncti vultum referrent: quae quum emiſſent, in Sepulcro recondebant. Duo ex his exemplaribus, ut alibi dixi, e ligno ſicomoro caelata, variiſque coloribus picta, & quandoque etiam inaurata, inter mea Cimelia adſervantur. Vetuſtiſſimis vero temporibus, excavata ſecus publicas vias foſſa, humatoque integro corpore, columnas marmoreas ad defuncti caput ſtatuere conſueverunt, in quibus adnotatum eius nomen, & in-

(1) Part. I. Veter. Monum. Cap. XIX. (2) Euterpe Lib. I. 86.

interdum etiam officium legimus. Huiuſmodi columnas inferius adfero in Claſſe IV. pluribus in Tabulis, quas egregie interpretatus eſt doctiſſimus amicus meus Ioannes Baptiſta Paſſerius, eaſque ad Acherontica ſacra ſpectare oſtendit in ſua Diſſertatione mox adducēnda.

IV. Divites vero, & hi, qui civili vel militari officio aut dignitate fulgebant, ſumtuoſiora Sepulcra condiderunt vel in rupe exſciſa, vel ſub ingentibus ſaxis, quae cameram & crepidinem efficiebant, excavata, vel quadratis ingentibus lapidibus exſtructa. Inter haec alia ornata pluribus gradibus vel columnis, itemque loculis aut tribunalibus ſpectantur, ut ad Sepulcra Etruſcorum Volaterranorum mox dicam. Adceſſere his inſcriptionum tituli, qui nomen defuncti pro ſe ſuiſque Sepulcrum condentis continent, vel decretas in annuis inferiis ſolemnes funebres caerimonias in honorem Deorum Manium; quod etiam a priſcis Romanis factum eorum epitaphia oſtendunt. Id plane notatu dignum viſum eſt praeſtantiſſimo viro Leoni Baptiſtae Albertio (1), qui haec de Tuſcorum Sepulcris adfert: *Notas litterarum maiores aere inauratas marmoribus adfingebant. Aegyptii ſignis utebantur hunc in modum. Nam oculo Deum: vulture, naturam: ape, regem: circulo, tempus: bove, pacem & eiuſmodi ſignificabant, dicebantque quibuſque ſuas tantum litteras notas eſſe: & futurum olim, ut ea cognitio penitus pereat, ut apud Etruſcos evenit. Per Etruriam ex oppidorum ruinis & buſtuariis defoſſa vidimus Sepulcra litteris, uti omnes ſibi perſuadebant, inſcripta Etruſcis. Earum notae imitantur Graecas, imitantur etiam Latinas; ſed quid moneant intelligit nemo.* Noſtra vero aetate tantum ſtudii in his notis eruendis poſuimus, ut quid moneant, ſtatuto a me vero ac legitimo Etruſcorum Alphabeto, haud difficulter intelligāmus. Deorum quoque Inferorum ſimulacra, in Sepulcris Etruſcorum recondita, docent duo Hypogaea Conditoria, nuper Volaterris effoſſa: quae quidem ſimulacra in Muſeum Guarnaccianum migrarunt.

V. Quamquam voraciſſimae temporis fauces penitus deleverint atque everterint magnifica Etruſcorum Regum Sepulcra; memoriam tamen magnificentiſſimi Mauſolei Porſenae Regis Etruriae, quam Plinius, auctore Varrone, nobis patefecit, abolere non potuerunt. Igitur laudatis Labyrinthis Aegyptio, Cretico & Lemnio, Italicum ita deſcribit (2): *Namque & Italicum dici convenit, quem fecit ſibi Porſena Rex Etruriae Sepulcri cauſa, ſimul ut externorum Regum vanitas quoque ab Italis ſuperaretur. Sed quum excedat omnia fabuloſitas, utemur ipſius M. Varronis in expoſitione eius verbis: Sepultus eſt, inquit, ſub urbe Cluſio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: ſingula la-*

(1) De Re aedificatoria Lib. VIII. Cap. III. (2) Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. Cap. XIII.

latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm: inque baſi quadrata intus Labyrinthum inextricabilem: quo ſi quis improperet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides ſtant quinque, quatuor in angulis, in medio una, in imo latae pedum ſeptuagenumquinûm, altae centumquinquagenûm: ita faſtigatae, ut in ſummo orbis aeneus & petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quae vento agitata, longe ſonitus referant, ut Dodonae olim factum. Supra quem orbem quatuor pyramides inſuper ſingulae exſtant altae pedum centenûm. Supra quas uno ſolo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adiicere. Fabulae Etruſcae tradunt, eandem fuiſſe quam totius operis. Pauca haec ſi delibarem, antequam ſingula, quae hodie per Etruriam exſtant, Tuſcanica Sepulcra deſcribam, opere pretium me facturum cenſui.

CAPUT I.

Hypogaeum Sepulcrum apud Cortonenſes, quadratis ingentibus lapidibus exſtructum, deſcribitur, & nonnullis obſervationibus illuſtratur.

I. HErodotus inter admiranda, Lydorum, quos in Tyrrheniam colonos duxiſſe adfirmat (1), recenſet, ac magnis laudibus celebrat Alyattis Croeſi parentis Sepulcrum, cuius crepido grandioribus conſtabat lapidibus; reliquae vero Sepulcri partes terrae adgeſtione: adnotatque ad ſuam uſque aetatem in ſummo tumulo quinque exſtaſſe terminos, quibus litterae inſculptae indicabant, quae ſinguli homines forenſes atque operarii, & una cum his puellae ad quaeſtum proſtitutae elaboraſſent. Sepulcri huius ambitum ſtadiorum ſex fuiſſe, & duorum arpendiorum; latitudinem vero arpendiorum tredecim fuiſſe, narrat.

II. Nominis & gloriae propagandae cupiditate ac ſtudio adeo Etruſci Lydorum quoque, auctore eodem Herodoto (2), filii, flagrarunt, ut in magnificis operibus, & praeclaris inventis ab aliis nationibus ſuperari puduerit. Quod adtinet ad Sepulcra, de quibus ſermo, Cortonenſe longe vetuſtiſſimum, quod exhibent duae Tabulae I. & II. in hac Claſſe adlatae, tam perſpicue refert antiqui aevi intamina-

tum

(1) Clio Lib. I. 93. (2) Ibidem.

tum ac ſimplex decus ac magnificentiam, ut admiratione potius, quam ſummis laudibus artificioſiſſimam Tuſcanicam ſtructuram, & ſolertiſſimi Architecti ingenium proſequi poſſim. Tota Crypta, ſive Hypogaeum Sepulcrum, conſtat viginti tantum ſupra ſeptem ingentibus lapidibus, abſque calce, ſcitiſſima compagine invicem inter ſe conſertis conligatiſque, quemadmodum oſtendit Tabula I. litt. A. quae Ichnographiam huiuſce inſignis Sepulcri exhibet. Hodie ad Occaſum verſus duo tantum laterales lapides C. C. deſiderantur. Spectatu digni ſunt omnes lapides ſcalpro expoliti, & hi praeſertim adhuc integri, qui totam cameram, ſive fornicem admirando opere conſtituunt, quorum unum ſuperne eminentem, ſectum indicat littera F. In utroque angulo portae, quae Meridiem reſpectat (litt. B.) cum ſuperiore, tum inferiore, indicia adhuc adparent cardinum; quapropter oſtii fores aeratas fuiſſe coniicimus. Parietum lapides ita invicem colligati, ut quadratae formae ſex loculamenta, tria nimirum inferiora, & tria ſuperiora, intermedia menſa lapidea, conficiant, quae oſſuariis ſive cinerariis urnis recipiendis adſignata fuiſſe credibile eſt. Quod autem miror, tota Sepulcri interior area ſive religioſum terrenum (littera H.) imitari Chriſtianam Crucem videtur. Latitudine occupat brachia Florentina III. ſupra dimidium: longitudine vero IV. $\frac{3}{4}$. Ea loculamenta, ſeu mavis aediculas, indicant litterae D. D. D. His adcedunt alia duo ſingularia loculamenta ſuperne exſciſa in utriuſque lateris interiore pariete, atque in eo quod ad Orientem conſtitutum eſt, quod littera E declarat. Ea pariter recipiendis urnis cinerariis ſublimioris gradus hominum, quod ab humo honoris gratia adtollantur, dedicata fuiſſe, ſi placet doctis viris, non abſurde credam. Digniorem, proindeque principem locum obtinuiſſe crediderim loculamentum illud ſuperne arcuatum, quod Sepulcrum ingredientibus, & Deos Manes, ut mos erat, ſalutantibus, ſtatim in conſpectum occurrebat, ac ſe ſe offerebat, illudque littera G. indicatum a me eſt.

III. Huc uſque interiorem Hypogaei Sepulcri Cortonenſis ſtructuram contemplati ſumus: nunc exterior dilucidanda, quam exhibet Tabula II. Exteriorem Sepulcri huiuſce frontem, qua in illud per portam, Meridiem verſus poſitam, patet ingreſſus, denotat littera A. Subiecta in his Tabulis ſcala cum portae, tum lapidum menſuram offert. Lapides, qui longitudine ſua totum aequant, & cooperiunt Sepulcri fornicem, ſunt quinque, quos, perſpicuitatis gratia, Barbaricis numeralibus notis nempe 1. 2. 3. 4. 5. indicamus: qui vero tot punctis diſtincti ſunt, iniuria temporum labefactati ſpectantur. Num. 6. indicantur praegrandes item lapides

late-

laterales, qui ambiunt longitudine ſua totum Sepulcrum. Num. 7. & 8. ſtipites, oſtium conſtituentes, ſpectantur. Num. 9. epiſtylium, ex integro lapide totum conſtans, indicatur. Num. 10. lapis, diſci medietatem referens, claudens Sepulcri frontem, declaratur, cui quinque lapides fornicem componentes innituntur.

IV. In ſepulcralibus Romanorum titulis frequens mentio fit itus aditusque, introitus & ambitus monumenti. Aditum habuiſſe Sepulcra Etruſcorum oſtendit hoc Cortonenſe. Primum igitur occurrit oſtium, & ipſum ſubterreneum, quod indicat littera B. praeſtabatque introitum & aditum ad ipſum Sepulcrum, cuius oſtium valvis claudebatur. Ingreſſi per hoc oſtium, viam ſive aditum ingrediebantur, & hunc ipſum ſubterraneum, quem declarat littera E. Huic oſtio ſuperne incumbit epiſtylium ex integro ac ſolido lapide, cuius longitudinem indicat litt. C. nempe brachiorum Flor. IV. $\frac{1}{3}$ latitudinem brach. II. craſſitiem vero $\frac{3}{4}$. Hinc inde murus adhuc ſupereſt, quadratis ſaxis veterrimo opere Etruſco conſtructus, quem monſtrant litt. D. Primum igitur figura ipſa docet, veſtibulum conſtitutum fuiſſe ante introitum in Monumentum, quod & in Hypogaeo Etruſco Volaterranorum mox obſervabimus. Id ipſum & in Romanorum Sepulcris aedificatum, adnotavit doctiſſimus Reineſius (1). Littera F. deſignat foveam, non multis ab hinc annis factam, facilitatis commodique cauſa ab his, qui ſubterraneam viam ingredi voluerunt; nam oſtium, quod in eadem Tabula II. indicatur litt. B. aditus prohibendi cauſſa, recenti caementitio opere ſaxis obſtructum eſt.

V. Neque vero hoc dumtaxat Hypogaeum Sepulcrum apud Cortonenſes fuiſſe; ſed alia etiam eodem admirando opere exſtructa, conſtat ex Codice manu conſcripto Rinaldi Baldellii Cortonenſis, ſua tempeſtate celebris Antiquarii, qui nunc apud Nobiles Alticozios adſervatur. Is igitur, qui ſcripſit anno CIƆ.IƆ.LXX. haec, quae mecum communicavit omni cum laude a me nominandus Galeottus Coratius Eques D. Stephani, adnotavit, adlato Sepulcro alterum omnino ſimile ſua tempeſtate adhuc ſupereſſe ſecus viam, qua itur ad *Camuciam*: deinde alia duo enumerat, alterum infra Eccleſiam S. Vincentii conditum, cuius rudera adhuc ſpectantur in agro olivis conſito Nobilis Viri Franciſci Vagnuccii, Cornelii filii: alterum vero exſtare, ubi nunc condita cernitur Eccleſia S. Mariae Novae.

VI. Adnotat praelaudatus Baldellius (2), tria haec Hypogaea Sepulcra, opere Tuſcanico exſtructa, alteri a me adlato ſimillima fuiſſe; conſtaſſe vero haec quinque tantum ingentibus lapidibus egre-

(1) Syntagm. Inſcript. ant. Claſs. V. num. XIV. (2) In ſuo MS. Codice pag. *69.* a t.

egregia arte ad regulam expolitis, quorum unus fornicem, reliqui vero latera Sepulcrorum quadratae figurae conſtituebant. Sepulcrum illud prope aedem S. Vincentii, & alterum ad *Camuciam*, dolet ſua tempeſtate iacere dirutum, fuiſſeque paene deletum a quodam homine praeſtigiis dedito, qui in his theſauros ſe effoſſurum ſpoponderat: alterum vero tunc everſum eſt, quum a ſolo conderetur Eccleſia S. Mariae Novae; qua occaſione erutum narrat praegrande dolium fictile, in quo vas aheneum pulcherrimi operis reconditum egregie ſculptum, in quo item aliud vaſculum aheneum repoſitum cineribus defuncti oppletum. Memorat etiam ibidem effoſſa arma quaedam militaria, vaſcula item non pauca & ſepulcrales lucernas: quae omnia Magno Duci Etruriae dono miſſa fuere.

VII. Ex his igitur adlatis deſcriptionibus manifeſtum eſt, Cortonenſe hoc Hypogaeum perquaminſigne, quod adhuc perſtat extra Portam S. Vincentii, quarto ab urbe lapide, pro Sepulcro inſerviſſe: quod & aditus ſubterraneus, veſtibulum & interiora ipſa loculamenta exciſa in lapideis parietibus, urnis cinerariis ſervandis deſtinata, perſpicue declarant: idque clarius patebit ex ſchemate Etruſci Sepulcri Falarienſis, quod mox adducam. Sed apud Cortonenſes iamdiu ea invaluit vetus opinio, hanc Cryptam olim incoluiſſe Pythagoram, poſtquam in Italiam venit, ſaeculis quinque fere ultra dimidium ante Chriſti nativitatem, evitata Polycratis tyrannide; quare vulgus etiam nunc hanc Cryptam adpellat *la Tanella di Pittagora*: quod ſupra memoratus quoque Baldellius Cortonenſis ſilentio noluit praeterire; cenſet tamen rei antiquariae peritus, Sepulcrum fuiſſe, ita ſcribens: *Perciocchè quella Celletta di pietre antiche, chiamata ora dal volgo* Tanella di Pittagora, *doveva eſſere, come ancora oggi dimoſtra, una Sepoltura antica, di quelle, che ſi ſolevano fare avanti l' avvenimento del noſtro Redentore Gesù Criſto: et maſſime, che a Cortona ſi ſono trovate dell' altre ſimili*, &c. Qui Pythagorae, Italicae Philoſophiae parenti & praeceptori hanc ſubterraneam domum adſignant, ſecuti ſunt Hermippum, a quo haec hauſit Diogenes Laërtius (1): *Ait enim, illum, quum in Italiam veniſſet, ſubterraneam feciſſe domum, matrique mandaſſe, quae agerentur, tabulis inſcriberet, tempuſque adnotaret: deinde illum deſcendiſſe, ac dum rediret, acta matrem demiſiſſe. Exacto autem tempore, aſcendiſſe Pythagoram ex effoſſa domo ſqualidum ac macie confectum, advocataque concione dixiſſe, ex inferis ſe aſcendere, atque, ut ſibi fidem faceret, recitaſſe quidquid eveniſſet*. Sed Pythagorae hiſtoriae multis fabulis per-

(1) In Pythagorae Vita Lib. VIII. Cap. I. num. XXI.

perperam turbatae & corruptae, non ita facile adſentior. Nec vero conſtat, Pythagoram apud Cortonenſes manſiſſe; ſed apud Crotoniatas, apud quos fato functus eſt, teſte Diogene Laërtio (1). Veroſimilius igitur mihi quoque videtur, remotiſſimis temporibus hoc inſigne aedificium pro Sepulcro conditum fuiſſe; nam & cum aliis mox adferendis Etruſcorum Sepulcris probe convenit, uti adnotabimus.

CAPVT II.

Crypta ſepulcralis apud Falarim Etruriae urbem, compluribus loculis in rupe exſciſis, & Etruſcis litteris inſignis, adſertur. Adcedit alterius Etruſci Hypogaei Sepulcri Ichnographia & deſcriptio.

I. PRimaevos Chriſti fideles adſeclas ſanctiore ritu & inſtituto in rem ſuam tranſtuliſſe, imitandoque peculiaria ſibi effeciſſe complura, quae Ethnici uſurparunt, dum inter eos verſarentur, ſi quis eſt, qui non ita facile id ſibi perſuadeat, quod eſſe luce clarius adfirmare non dubitavit eximius Ciampinius (2), paullisper mecum Etruſcam Cryptam, a me adlatam in Tabula III. num. 1. quam Bonarrotius una cum eodem Ciampinio vidit, delinavitque anno CIƆ.IƆ.C.XCI. & in lucem protulit in Appendice ad Opus Dempſterianum (3), accurate contempletur: & cum vetuſtis Chriſtianorum Sepulcris ſubterraneis, apud egregios viros Boſium, Aringhium & Boldettium adlatis, conferat: deque eorum ſtructura perlegat Commentarium omnigena eruditione refertum Celeberrimi Praeſulis Ioannis Bottarii, Bibliothecae Vaticanae Praefecti, qui eorum originem, ſtructuram ac formam luculenter expendit atque illuſtravit (4).

II. En igitur & in hac Etruſca Crypta, quae cum aliis plurimis adhuc viſitur circa antiquam Falarim, nunc *Città Caſtellana*, quemadmodum & in Romanis ſanctorum hominum Coemeteriis, conſpicimus loculos ad recondenda integra mortuorum corpora in lapideis parietibus, ac proinde in ipſa rupe excavatos. Hunc pri-

(1) In loco ante memorato.

(2) Par. I. Veter. Monum. Cap. XIX. pag. 161.

(3) Tab. LXXXII. ad finem Tom. II.

(4) In Tom. I. *Sculture, e Pitture Sagre eſtratte da i Cimiteri di Roma ec.*


maevum tumulandi ritum Etruſci ab Aegyptiis didicerunt: quos ab antiquiſſimis uſque temporibus hunc morem ſervaſſe, complures Scriptores, qui Itinera ſua pervulgarunt, nobis teſtantur. Conſueverunt Etruſci huiuſmodi loculos, reconditis in his defunctorum cadaveribus, in extimo ore ac facie occludere tegulis, & in his defuncti nomen adnotare: de quo ritu & conſuetudine complura nobis patefecit amicus meus optimus Clariſſimus Paſſerius in Diſſertatione VI. *De Tegulis ſepulcralibus*, quam mox proferam.

III. Quamquam quae nunquam antea edita ſunt in lucem proferre mihi propoſuerim; huius tamen Falarienſis Cryptae iconiſmum nolui praetermittere, quod mirum in modum meam de Cortonenſi Hypogaeo Sepulcro opinionem confirmet: nimirum in eo, quemadmodum & in hoc, loculos ſepulcrales in lapideis parietibus exſciſos eſſe, more rituque longe omnium vetuſtiſſimo. In hac igitur Crypta, quae pariter Chriſtianae Crucis formam imitatur, ad recondenda integra defunctorum corpora in ſingulis parietibus, ſcalpro exſciſos loculos triplici ordine ſpectamus. Sarcophagum in eadem rupe excavatum cum adſcripta Etruſca epigraphe, indicat littera C. Novum in eam ingreſſum littera B. antiquum vero nunc occluſum littera A. deſignat.


IV. Quod ſequitur num. II. Hypogaeum Sepulcrum, & ipſum immanibus quadratis lapidibus aedificatum eleganti Tuſcanico opere, delineatum a me eſt ex ſchemate, quod affert Sanctes Marmocchinius ex illuſtri Praedicatorum Monachorum familia in ſuo Dialogo manuſcripto, quem fere integrum adfert Bonarrotius (1): ubi in agro inter Podium Bonizi & Caſtrum Caſtellinae ab agricolis, dum vineam plantarent, detectum fuiſſe ſcribit hoc Etruſcorum Sepulcrum anno CIↃ.IↃ.VII. die viceſimanona Ianuarii, cuius ex eo Ichnographiam adferimus. Longitudine aequabat brachia XX. latitudine tria, altitudine vero a ſolo ad crepidinem uſque brachia quinque. Aditum in oſtium Sepulcri ad Meridiem verſum, indicat littera A. Mos iſte conſtituendi oſtia Sepulcrorum Meridiem verſus, ab Etruſcis ac Latinis ad Romanos tranſiit, quod adnotavi ad Columbarium Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae (2). Quatuor loculamenta habet in rupe exciſa: quorum duo tantum inferiora anguſtum aditum litt. B. B. habent. Haec quoquoverſus longa, lata atque alta brachia quinque. In loculo laevorſum excavato, littera C. adnotat idem Marmocchinius repoſitas fuiſſe ollas fictiles, & urnas ſepulcrales cum marmoreas tum lapideas, in quibus reconditi defunctorum cineres, quorum nomina exhibent ſe-

(1) In Append. ad Opus Dempſter. §. XLIV. (2) Vide eius Deſcriptionem §. II. pag. 3.


ſequentes, quas inemendatas adfert, inſcriptiones Etruſcae. In ſecundo verſu forſitan litterae retrogradae. Pertinuiſſe ſubſpicor hoc Sepulcrum ad gentem *Meminiam*, ſeu forte *Memmiam*.



In baſe mulieris dextra pateram auratam tenentis, ita ſcriptum:



In baſe protomes mulieris ex alabaſtro, ita ſcriptum:



V. Deſcribit etiam muliebria, atque alia, quae inventa ſunt ſuper menſam quandam, pretioſa ornamenta, in loculo ſiniſteriore litt. c. nempe ſpeculum, inaures ex auro, diſcerniculum, monilia, aheneum vas cum anulis, lapillos pretioſos, & folia paene innumera ex argento. De hac Crypta loquitur etiam Petrus Franciſcus Giambullarius Florentinus (1), ex teſtimonio Petri Victorii.

CAPUT III.

Iguvinorum Sepulcrum, pereleganti Tuſcanico opere, quadratis lapidibus exſtructum, exhibetur, & deſcribitur.

I. QVi Idololatriae ortum ac progreſſum tribuunt ſuperſtitioſo defunctorum cultui, quem humana invexit ſnperbia, bene ac ſapienter opinari mihi videntur: nam, teſte Clemente Alexandrino (2), conſtat a primis mortalibus Sepulcra pro templis habita fuiſſe; defunctos vero, caelo Deorumque conſortio dignos creditos, divinis honoribus cultos ea de cauſa fuiſſe, quod rebus praeclare geſtis, defenſis ſervatiſque civibus, conditis urbibus, inventis auctiſque praeclaris artibus ac diſciplinis, de humano genere optime meriti fuiſſent.

L 2 II.

(1) In Lib. inſcripto: *Origine della Lingua Toſcana.* (2) In Protreptico pag. mihi 29.

II. Sepulcrum memoratu dignum, quod ad hanc uſque aetatem apud Iguvinos perſtat, in modum fani Tuſcanica ſymmetria conditum fuiſſe, cum exterior, tum interior ſtructura ſuadere videtur. Adcedit, quod in ſuperiore hac parte, quae proponitur, minime ſubterraneum fuiſſe, & vetuſtiſſimis quoque temporibus ita conditum tum feneſtra, tum alia ſunt, quae non obſcure nobis declarant. Quod adtinet ad exteriorem faciem, ea nunc refert rudem quodammodo ſcopulum, in unum coacervatis permixtiſque, nullo cum artificio, calce & perparvis lapidibus, opere, ut nunc Itali vocant, *calciſtruzzo*: quod licet tot ſaeculorum temporumque iniurias ſubierit; tamen firmiſſimum, & vix ferro tractabile adhuc perennat. Sepulcri huiuſce formam exhibet Tabula IV. num. I. Probabile eſt, extrinſecus ornatum fuiſſe quadratis ingentibus lapidibus, Tuſcanica Architectura; eius vero dimidiam partem inferiorem ſub humo latere, ſunt, qui non inanibus coniecturis cenſent. Exemplum ab Etruſcis accepiſſe Romanos credibile eſt; nam conſtat, hos ſplendida monumenta ſibi erexiſſe, quae ſuperne fani ſpeciem retinerent, tumulis & loculis in Hypogaeo abſconditis. Horum reliquiae adhuc adparent in Caeciliae Metellae Sepulcro, Via Appia: C. Ceſtii Epulonis, Via Oſtienſi: C. Poblicii Bibuli, ſub Capitolio: Plautiorum, Via Tiburtina, & gentis Ruſticelliae, ſub Doliolo monte reperto, ut adnotat Fabrettus (1).

III. Quamvis autem exteriorum ornamentorum nulla hoc tempore veſtigia in hoc Iguvinorum Sepulcro ſuperſint; interiora tamen tam ſolidam decoramque elegantiam ac dignitatem praeſeferunt, ut cultorum antiquitatis oculos animumque in admirationem rapiant. Tota interior Sepulcri ſtructura conſtat quadratis lapidibus, ſcalpro expolitis, ac faberrime ſimul abſque calce coniunctis, ut oſtendit eius Scenographia adlata in eadem Tabula IV. num. II. Lapidum menſuram declarat ſubiectus in eadem Tabula modulus, cui probe ipſi reſpondent. Conſtat quoque tota camera, ſive fornix lapidibus eodem opere coniunctis, qui eleganti coronidi innituntur. Sub coronide per ſpatium quoddam foramina quaedam antiquitus facta ſpectantur: in quibus probabile eſt fixos clavos fuiſſe, qui vittas, encarpos, coronas, ſeu faces, & alia huiuſmodi, in anniverſariis inferiis dedicari ſolita Diis Manibus, ſuſtinerent. Pavimentum ab his olim corruptum creditur, qui theſauros in eo invenire ſe poſſe putarunt.

IV. Quod nunc primum adnotare contigit, huic Sepulcro lumen contuliſſe feneſtram obſervamus, quam utraque figura num. I. &

(1) Inſcript. Domeſt. Cap. III. pag. 205.

& II. in ſubiecta Tabula, & lineae ipſae, quae punctis conſtant, littera A. oſtendunt. Hanc fuiſſe cernimus extrorſum anguſtam, introrſus vero & maiorem, & magis latam: quod neque a Fabretto, neque a Ciampinio, qui de antiquis aedium feneſtris erudite pertractant (1), adnotatum legi. Feneſtrarum Sepulcri apud Romanos peranguſtum fuiſſe hiatum oſtendi, quum marmora Muſei Medicei illuſtrarem (2). Hanc feneſtram in Sepulcro Eugubino utrum claudere conſueverint veteres, dicere minime auſim; quum in craſſitie parietis, qui supereſt, nec foramina, nec veſtigia cardinum adpareant; ea tamen in trabe, & in limine portae conſpiciuntur, ut in adlatis figuris littera B. adnotatum eſt: quae foramina, quum ſint his in locis duplicia, coniicimus utramque portam, exteriorem & interiorem, poſtibus duplici ordine claudi conſueviſſe. Tota interior Sepulcri area littera C. quadratam figuram perfectam refert, licet extrinſecus ſphaericam praeſeferat; quare hinc ortum nomen *il Mauſoleo*, quo ad hanc diem a civibus indicatur.

V. Quae hactenus expoſui, exſcripta a me ſunt ex accurata Italica deſcriptione Nobiliſſimi Comitis Antonii Franciſci Berardii, qui inter ceteras egregias animi ſui dotes, quibus eminet, ea pollet Architecturae peritia, ut ſumma diligentia in hac Tabula Eugubinum Sepulcrum delinearit, rogante Praeclariſſimo Viro Marcello Franciarinio, I. C. & Patricio Eugubino, qui Antiquitatis Etruſcae amplificandae, augendoque patriae ſuae ſplendori ſedulam navans operam, humaniſſime mecum communicavit.

C A P V T IV.

Peruſinorum Sepulcrum Hypogaeum, Tuſcanico opificio, & Etruſca praelonga inſcriptione inſigne, adſertur & deſcribitur.

I. INter ſplendidiſſimas Etruriae urbes, ſi qua eſt, quae antiquiſſimis temporibus Sepulcrorum ſummis viris dedicatorum decus & magnificentiam iactare potuerit, Peruſia profecto inter primas cenſenda eſt, quae multa habuit Tuſcanico inſigni opere exſtructa Conditoria, quae patriorum monumentorum Scriptores, praecipue Criſpoltius & Ciattius, diligenter deſcribunt.

II.

(1) Part. I. Veter. Monum. Cap. IX.

(2) Vide Part. I. Inſcr. ant. Etrur. Vrb. in principio ad Monumentum *Raciliae* gentis.

II. Vnum ex his integrum, mira profecto arte conſtructum, adhuc ſupereſt, quod in Tabula IV. nunc primum in lucem profero, egregie delineatum a peritiſſimo in rebus Geometricis & Architectonicis viro Antonio Gulinio Sacerdote Peruſino, qui etiam eiuſdem Etruſci Sepulcri parvum ſimulacrum ligneum manufactum, integrum aedificium egregie referens, humaniſſime ad me dono miſit. Id ipſum igitur Hypogaeum Sepulcrum, nulla temporum aut barbarorum iniuria labefactatum, cernitur ſecundo ab urbe lapide in ſuburbiis, verſus planitiem Maſſiani agri. Totum ingentibus Tiburtinis lapidibus conſtat, ſupra quod exſtructa olim fuit turris & Eccleſia, quae vulgo S. Manni (forte S. Hermanni) dicitur, hodie ſpectans ad Hieroſolymitanam Religionem.

III. Primum eiuſdem Sepulcri Ichnographia exhibetur num. I. quod longitudine Romanos pedes XVI. ſupra dimidium, latitudine pedes X. altitudine vero ab imo ad ſummum pedes X. ultra dimidium conficit. Dimenſus ſum ego ipſe hoc Sepulcrum, quod multa cum voluptate obſervavi anno CIↃ.IↃ.CC.XXXI. cui eximium decus & raritatem adiicit Etruſca inſcriptio, quae in tres lineas extenditur, cuius priores duae implent pedes fere Romanos XV. tertia vero brevior eſt, uti ſubiectum ſchema num. III. indicat. Haec inſcriptio in laevo pariete inciſa eſt perelegantibus litteris quadratis, & minio adhuc rubentibus, quae uncias quatuor Romani pedis altitudine ſua adaequant. Ex hac integra inſcriptione, ut iacet, ectypographicas formas, impreſſa humenti charta, longa pedes XV. diligenter, ſtudii ac voluptatis cauſa, excepi.

IV. Scenographiam a me adlatam num. II. ut deſcribam, littera A. oſtendit quatuor in ipſa linea praegrandes lapides, in quibus Etruſca inſcriptio inciſa eſt, ſpatio pedum XV. Romanorum. Littera B. oſtendit arcuatum loculamentum altum latumque pedes Romanos IV. quod licet aliquantulum terra oppletum ſit; tamen interiore craſſitie aequare pedes VI. perſpicue adparet. Littera C. indicat additum aedificium ſpatio pedes IX. recenti opere lateritio. Littera D. oſtendit craſſitiem lapidum Tiburtinorum, qui quum ſex pedes altitudine excedant, totam cameram miro nexu elegantique arcuato opere conficiunt. Parietis ſecti craſſitiem conſtare pedes VIII. & unc. VI. indicat littera E, ubi recenti opere facta eſt ſcala, quae commode ducit in Hypogaeum, quo hodie ruſticus cuſtos utitur pro cella vinaria. Littera F. indicat locum, cui recenti opere ſuperpoſiti ſunt clathri ferrei, per quos immiſſum lumen tranſit in Sepulcrum. Sed cubiculum hoc, ut ita dicam, quod cernimus, ſuperior pars eſt Hypogaei Sepulcri, quae ſummis viris ex eadem

no-

nobiliſſima familia dedicata erat : alteram vero inferiorem minoris ordinis & dignitatis hominibus relictam , adhuc latere ſub pavimento•, Latinorum ac Romanorum Hypogaeorum exemplo , probabile eſt .

V. Quidquid vides in hac Sepulcri parte ſiniſteriore , id ipſum , excepta *inſcriptione* , & *in dexteriore occurrit* : *nempe alterum loculamentum* , *adſimili ſymmetria in ipſo pariete ex variis lapidibus* exſtructum . In his loculis reconditos crediderim *marmoreos ſarcophagos* , ſive ſumtuoſiores urnas aut ollas , *defunctorum nominibus* inſcriptas ; quae cineribus defunctorum claudendis continendiſque deſtinatae erant .

VI. Quod adtinet ad Etruſcam inſcriptionem , omnium quodquot exſtant inſigniſſimam , quae vigintiquinque , ni etiam plures , continet ditiones ſeu voces , eam ex multis , ſi bene coniicio , dedicationem Sepulcri , & leges aliquas a conditore ſuo latas , poſteriſque demandatas continere crediderim : qui nimirum ſolemnes ritus funebres , & caerimoniae in annuis inferiis habendae , quae in ſacrificiis victimae immolandae : inter quas primum enumerat , ut in prima inſcriptionis linea legitur : MƎVO : *ovem* , deinde *taurum* : ƎqVHO . His adiiciendas preces iubet , quas , ut mihi videtur , in ſecunda linea ea vox indicat : MVƆƎq1 : *precum* .

VII. Supereſt explicatu facilis , ni fallor , alia vox in eadem ſecunda linea , nempe : VИA8 . *Fanu* : quae id quod dicebam , ſi docti viri adprobant , ſignificare videtur , nempe , Sepulcra haec & ab Etruſcis & a Latinis *Fana* adpellata fuiſſe . Pro Latinis teſtem adpello Ciceronem (1) , qui , ut ſumtuariam funerum legem eluderet , propoſuit Fanum ſibi aedificandum : *Fanum fieri volo ; neque hoc mihi erui poteſt : Sepulcri ſimilitudinem effugere non tam propter poenam legis ſtudeo , quam ut maxime adſequar* ἀποθέωσιν : *quod poteram* , *ſi in ipſa villa facerem* . *Fanum* plures a *fando* , quod inde *fata* petantur : vel a *Faunis* , ut apud Feſtum , dictum cenſent. Voſſio maxime placet *fanum* eſſe ex eo , quod id Graeci ſimiliter ναὸν vocent , nempe κατὰ μετάθεσιν fuerit ἀνὸν ; ſed ſpiritus abit ſaepius in F. Confirmant hanc ſententiam verba illa Feſti : *Hanula* , *parva delubra* , *quaſi famula* . Ergo ex obliquo ἀνὸν *fanum* , unde *hanulum* , & poſtea *famulum* , ut dixere *hoſtis* , *foſtis* ; *holus* , *folus* ; *habam* , *fabam* ; *hordeum* & *fordeum* ; *hordicalia* & *fordicalia* . Iam , quod ſaepenumero dixi , & hinc evincitur , quanta cum Graeca Etruſcae linguae , & quanta cum Etruſca veteris Latinae linguae adfinitas intercedat . Heic adferre volebam Interpretationem Paſſerianam Etruſcae Inſcriptionis ; ſed

(1) Lib. XII. Epiſt. VII. ad Atticum.

ſed dum haec ſcribo, avide expecto quae expiſcari potuit doctiſſimus vir Paſſerius, qui Epiſtolam, ſive Diſſertationem, quamprimum ad me miſſurum pollicitus eſt, quam mox in fine huius Claſſis ſubiungam.

CAPVT V.

Etruſcum Sepulcrum effoſſum prope Cluſium, quatuor cellis, lacunaribus, ſcamnis, ſtatuis, & picturis ornatum, deſcribitur, & obſervationibus illuſtratur.

I. ETruſcorum Sepulcra omnium vetuſtiſſima, quae ſimplicis Architecturae eximium decus, & dignam priſcis moribus maieſtatem, mira cum elegantia coniunctam, praeſeferunt, hactenus obſervavimus: alia nunc ſuperſunt, quae picturis variiſque ornamentis nobilitata, digna plane ſunt, ut nunc primum in conſpectum doctorum Etruſcae vetuſtatis cultorum veniant, deque his poſt me accuratius diſſerant, qui haec ſtudia amplificare, & magis magiſque illuſtrare voluerint.

II. Sepulcrum hoc valde elegans, quod exhibet Tabula VI. in topho ſcitiſſime excavatum, a ruſticis vinitoribus forte fortuna inventum eſt currente autumno anni CIↃ.IↃ.CC.XXXIV. milliario fere primo extra Cluſium, in quodam colle prope podium Montollium. Hi facto in lacunari foramine, Septentrionem verſus, cuius locus reſpondet litterae A. ingreſſi ſunt primum in Cellam, variis coloribus picturatam in parietibus, ſed ſine figuris, cui reliquae Cellae, litt. B. B. cultu ſimiles, ornatae ſcamnis, occurrerunt. Singulae Cellae per oſtia faberrime in topho excavata aditum praeſtabant in Cellam medianam, reliquis tum longitudine, tum latitudine maiorem, ac variis etiam ornamentis ſplendidiorem.

III. Cellam hanc medianam, quam littera C. deſignat, E. vero parietum craſſitiem, ambiebant ſedilia ſive ſcamna variis coloribus picta: parietes erant circumquaque variis figuris, lineari pictura exornati, quos in eadem Tabula indicant litt. H. I. K. L. M. de quibus infra nonnulla dicam. Duas ſtatuas in hac ipſa Cella pauperes ruſtici invenere, alteram e marmore, alteram e gypſo perpulcro opere perfectas, ſed abſque capitibus. Has, perciti ira ac rabie ruſtici illi, quod nihil pretioſae ſupellectilis inveniſſent (nam ſupe-

ſuperioribus ſaeculis hoc ipſum Sepulcrum iterum apertum, & depopulatum ſubſpicati ſunt) ligone effregerunt. Ornata igitur erat haec interior Cella non ſolum coronide, & ſcamnis variis coloribus inductis; ſed etiam pictis integris figuris in ſingulis parietum lateribus, quorum emblemata exhibet eadem Tabula VI. De his nonnulla inferius adnotabo.

IV. Circa has picturas cernebantur cardines ſeu clavi, qui indicant, ut ſupra dicebamus, in his encarpos, corollas & alia ſimilia donaria, Diis Manibus in annuis inferiis dedicata, ſuſpenſa fuiſſe. Hinc orta mihi ſubſpicio, medianam hanc Cellam non urnis aut ollis cinerariis continendis deſtinatam fuiſſe, ſed ſacris faciundis: adeoque probabile eſt in ea quotannis conventus habuiſſe defunctorum conſanguineos ac propinquos ad inferias de more Diis Manibus celebrandas.

V. Igitur ex hac Cella in alias quatuor minores, quas litterae B. B. B. B. indicant, patebat interior aditus per oſtia quatuor, quae deſignant litterae O. O. O. O. Quartam Cellam minorem hoc Sepulcrum habuiſſe, cuius aditum indicat litt. D. multa ſuadent; ſed praeteritis ſaeculis dilapſa, modo, cum totius terrae ambitu ac maſſa confuſa, non adparet. In hac parte, litt. P. nempe Occidentem verſus, fuiſſe oſtium, & ex eo introitum in Sepulcrum patuiſſe, coniicimus; quia in parietibus reliquarum Cellarum nulla eiuſdem oſtii veſtigia conſpiciuntur: adeoque ex hac in maiorem Cellam litt. C. & in ceteras aditum patuiſſe, veriſimillimum eſt. Id quoque indicant pictae figurae, quae hinc incipiunt, quae hodie paene deletae ſpectantur.

VI. Sed integrum Sepulcrum Crucis figuram referre, notatu dignum eſt: & mirum videtur, quum ipſa ſtructura Monumenti ſine dubio non paucis ſaeculis Chriſti Domini noſtri ſalutiferam Paſſionem praecedat. Quo accuratius Etruſcorum mores & inſtituta contemplor, & cum vetuſtiſſimis Aegyptiorum confero; eo maiora ſe ſe offerunt documenta, ut eos ſagaces imitatores & aemulos Aegyptiorum, atque ab his ortos cenſeam. Inter ſacros Aegyptiorum characteres illum fuiſſe conſtat, qui *Tauticus* dicitur (1), Crucis figuram referens, ut notat Suidas (2), Sozomenus (3) & Socrates (4), quem pro ſalutari ſigno ac typo habitum datumque in manibus Aegyptiorum Deorum, teſtatur Bembina Tabula, obeliſci, & alia eius gentis monumenta. Eo etiam compo-

 ſitum

(1) Vid. Laur. Pignorii Commentar. in Menſam Iſiacam pag. 17. edit. Amſtel. 1670.

(2) In Theod.

(3) Lib. VII. Eccleſiaſt. Hiſt. Cap. XV.

(4) Hiſtoriar. Lib. IX.

ſitum Dei nomen apud Aegyptios, obſervat doctiſſimus Athanaſius Kircherus (1). Ruffini dumtaxat ex eo adferam teſtimonium (2): *Signum Dominicae Crucis inter illas, quas dicunt* Ιερατικὰς, *ſeu* Sacerdotales *litteras, habere Aegyptii dicuntur, veluti unum ex iis, quae apud illos ſunt, litterarum elementis. Cuius litterae ſeu vocabuli hanc adſerunt eſſe interpretationem*, vita ventura.

VII. Sed mirum in modum ſpectantium oculos in admirationem rapiunt huius Sepulcri lacunaria, quibus ſingulae Cellae ornantur. Haec varia tamque eleganti ſymmetria, in ipſo topho faberrime excavata ſunt, ut nil pulchrius, abſolutius nihil videri poſſit. In maiore Cella, quae mediana eſt, maxima in medio trabs locata (litt. F.) hinc inde vero pectinatim minores trabes, ſeu tigilli alio ordine, partim introrſum excavati, partim exſtanti ſculptura perpoliti excurrunt. Cellae duae laterales ad Septentrionem, & ad Meridiem verſus lacunaribus ornantur, quae mira elegantia tholum referunt, ſenſimque ſurſum adſurgunt. Vbique & ipſa lacunaria variis coloribus illinita; nempe purpureo, viridi, flavo, pullo, caeruleo, albo, roſaceo, numquam antea obſervatae pulchritudinis iucundam ſpeciem magna cum voluptate intuentibus obtulerunt.

VIII. Iiſdem coloribus conſtat linearis pictura totam interiorem Cellam exornans. Figurae rudi quidem & inconcinno artificio pictae ſpectantur; ſed ut eas breviter deſcribam, hae ſpectacula & ludos in funere ſummorum virorum dari ſolitos ab Etruſcis, perſpicuo ordine repraeſentant. Primum in latere litt. H. ſpectatur homuncio quidam, puſillo corpore, immani cum capite, barbatus & laena amictus: facile ipſum Pantomimum dixeris. Laenam veſtimenti genus habitus duplicis, Feſto auctore, quidam adpellatam exiſtimant Tuſce, quidam Graece, quam χλαίνην dicunt. Primum nunc hac pictura huius Tuſcae veſtis exemplum indicamus. Huic iungitur Saltator, adſtante Tibicine induto laena, qui paribus canit tibiis. Sequuntur in altero latere litt. I. duo Pugiles toto corpore nudi, iuxta quos poſita eſt praealta menſa, in qua praemia ante certantium oculos poni ſolebant. Huic certamini praeeſt Agonotheta, virgam gerens, ornatus praealto tutulo. In curuli ſella ſtat ſpectans nudo capite vir, cuius dignitatem indicat inſigne, quod praefert, nempe vitis, Centurionum propria (3): in altero vero emblemate idem inſigne accepit, idem forſitan, Centurio a viro togato, uti

(1) Eccleſiaſt. Hiſtor. Lib. II. Cap. XXIX.
(2) In Prodromo Copto, ſive Aegyptiaco Cap. VI. de Nomine Dei *Phtha* pag. 164. & ſeqq.
(3) Vide Auctores, qui de Centurionum inſigni tractant apud Pitiſcum in Lexico V. *Vitis*.

uti littera K. oſtendit. Huiuſmodi Centurionis inſigne, quod ab Etruſcis Romanos accepiſſe credibile eſt, ex hac pictura diſcimus non fuiſſe vitem; ſed virgam, e cuius vertice intortum neſcio quid (lorum forſitan) pendebat, quare vitem referebat. Succedunt duo Luctatores ſive Athletae, quorum unus in terram ab adverſario deiectus, adſurgere nititur, adſurgenſque adverſarium ipſum, radiatam coronam iam conſecutum, deiicit ac proſternit. In altero latere litt. L. exhibetur Auriga in curru ad Circenſes ludos adcedens. Claudit agmen Curſor, qui palmam, victoriae indicem, ſiniſtra gerit. Vir ille pictus ſuper oſtium littera M. amictus caenatoria veſte, pateram dextra gerens, ni fallor defunctum ipſum, qui dum viveret Sepulcrum hoc ſibi condidit, eiuſque imaginem repraeſentat.

IX. Sed praeter has pictas figuras, alias quoque fuiſſe in pariete, qui Occaſum reſpicit, narrant periti ac digni fide homines, inter quos Ioannes Baptiſta Vagnolius, qui nobis huiuſce Sepulcri deſcriptionem dedere. Hae figurae aliquot menſes poſtquam Sepulcrum inventum eſt, paene evanuere. Nam in principio Cellae adparebant pictae arbores, ferae & cum canibus venatores non ſtantes, ſed iacentes: deinde arbuſta & flores: in fine vero ſegmenti a nobis adlati, ſequebantur alii duo currus tracti ab equis, cum ſuis aurigis, qui Centurionem verſus currentes, vel eo vivente dum hoc munus ſuſciperet, vel poſt obitum, in eius honorem funebria certamina celebrata fuiſſe declarabant.

X. Illud ſupereſt, ut menſuras totius Sepulcri exponam. Minores igitur Cellae longitudine brachia Cortonenſia quinque; latitudine vero brachia quatuor ½ complectuntur. Cella maior, ſive mediana, longitudine brachia novem: latitudine vero brachia ſex ½ adaequat. Altitudo Cellarum brachia quatuor non excedit. Praedium, in quo hoc Sepulcrum inventum eſt, pertinet ad Eccleſiaſticum Beneficium S. Laurentii, cuius Rector D. Octavianus Vbaldinius Canonicus, qui Romae moratur. Praeter deſcriptas ſtatuas, quatuor fere Romanis pedibus altas, nec urnae, nec ollae, nec aliquid ad funus pertinens, ſed tantum hominis defuncti caput, inventum eſt. Hoc Sepulcrum ante hoc tempus iterum apertum, & expilatum fuiſſe, credibile eſt. Aliam Cryptam prope Cluſium inventam, anno CIϽ.IϽ[redacted] memorat Bonarrotius, e qua adfert in Appendice ad Dempſterum in Tabulis LXXXVI. & LXXXVII. Vrnas fictiles inſcriptas, & anaglypho variis coloribus inducto omnium elegantiſſimas, in ſuo Muſeo reconditas.

CAPUT VI.

Cryptae Sepulcrales, inventae prope antiquum Cornetum, picturis, lacunaribus, ſcamnis, urnis, pictis vaſculis, Etruſciſque inſcriptionibus inſignes, deſcribuntur, atque in lucem proferuntur.

I. ANtiqua Etruſcae gentis Sepulcra, pictis Hiſtoriis inſignia, ſpectatuque digniſſima, quum in lucem in hoc Volumine proferamus; eſſet heic peropportunus diſſerendi locus de Picturae, & reliquarum artium, quas Graphice complectitur, origine ac progreſſu apud Etruſcos: quos, ſicut in Architectura, ita in his praeclaris artibus peritos fuiſſe, veteres Scriptores, & vetuſtiſſima, quae ad hoc tempus ſuperſunt monumenta, teſtantur (1). Sed nunc, quum alia non pauca, nunquam antea in lucem edita, ex Etruſcis theſauris expendenda atque illuſtranda ſuperſint, hanc curam in aliud tempus, Deo maius otium & tranquilliores annos optato munere donante, reiicimus: tunc nempe, quum omnem vaſculariam Tuſcorum ſupellectilem ſingulari Syntagmate publici iuris faciemus.

II. Quamvis paucis ab hinc annis reſurgente, ac mirifice florente Antiquitatum Etruſcarum ſtudio, non pauca monumenta in lucem a viris doctis prolata ſint, & multo plura adhuc evulganda ſuperſint; fatendum tamen eſt, ex his multa Barbarorum cladibus ac vaſtationibus, multa etiam, ac fortaſſis longe plura, eaque oppido illuſtria, incuria maiorum noſtrorum penitus deleta intercidiſſe. Miſerrimam hanc calamitatem hodie multis exemplis teſtatur Cornetum, perantiquum Etruriae oppidum (2), in quo tribus ab hinc ſaeculis, & multo etiam ante id tempus, paene innumera Etruſcorum Hypogaea Sepulcra inventa fuiſſe conſtat, & diſerte teſtatur V. C. Scipio Marchio Maffeius, qui complura adhuc inania, & a male feriatis hominibus, inveniendorum theſaurorum cupiditate fragrantibus, depopulata obſervavit (3). Harum Cryptarum in molliore terra excavatarum, ſi quis aditum, ſive introitum videre cupit, illum exhibemus in Tabula VII. num. 1. Sagaces Tuſci, miroque ingenio pollentes, ubi ad radices montium, vel

(1) Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXIV. Cap. VII. & Lib. XXXV. Cap. III. & XII. Tertullianus in Apol. Cap. XXV.

(2) Vide Dempſterum de Etr. Reg. Lib. VI. Cap. VII.

(3) Tom. V. Obſerv. Litter. pag. 511.

vel in terrae viſceribus, videbant naturam quoſdam integros latiſſimos lapides tranſverſim produxiſſe, ſub his Cryptas & Hypogaea Sepulcra exſcidebant, ut iidem immaniſſimi lapides fornicem hiſce Conditoriis praeberent. De eorum vero firmitate ac perpetuitate, ſi aliquando dubitarent, columnam cum ipſo fornice coniunctam in medio Cryptae conſtituebant, in eadem molliore terra exſculptam, qua fornix fulciretur. In hunc modum, & in agro quoque Volaterrano complura Sepulcra, antri ſpeciem in exteriore aditu referentia, obſervavimus. Igitur ex his Cornetanis Sepulcris unius tantum Ichnographiam & inſcriptiones Cl. Maffeius protulit. Hoc ipſum, utpote prolixiore inſcriptione longe inſigne ac memorandum, rurſum adferendum eſſe cenſui, & habes in Tabula VII. num. II. Illud tamen heic obiter notandum, hiſce inſcriptionibus, quae in parietibus in molli terra excavatis pictae ſunt, cautiſſime fidendum eſſe; nam niſi quis huius ſcientiae peritus, ſtatim ac Hypogaea inventa ſunt, eas accurate exſcripſerit, iiſdem Hypogaeis apertis, ingreſſo aëre, modicum intra tempus cum litterae tum picturae, quia inciſae non ſunt, ſed ſuperficiem tantum argillae occupant, in dies evaneſcunt: quare huiuſmodi epitaphia, ſi poſt longum tempus exſcripta ſint, parum auctoritatis habent: ea vero longe maximam obtinent, quae, ut Falarienſis & Peruſina, ingentes lapides Etruſcis litteris adhuc integris, & nulla labe corruptis, inſcriptos oſtentant. Illud vero monitum velim, has inſcriptiones Etruſcas Cryptarum Cornetanarum paucos poſt dies, quam inventae ſunt, diligenter exſcriptas fuiſſe: earumque apographa ab amicis, qui Romae verſantur, tranſmiſſa ad me ſtatim fuiſſe.

III. Adlata igitur Tabula VII. num. II. Ichnographiam exhibet huius Cryptae Sepulcralis quadratae formae, quae longitudine pedes viginti, latitudine vero duodecim habet, ad quam per anguſtum tramitem in lapide excavatum patet aditus, quem eadem Tabula VII. littera A. oſtendit. Sita eſt extra Cornetum quarto lapide, in quodam colle, ſimilibus Cryptis refertiſſimo, ex quibus innumerae urnae ſculpturis, & vaſa picturis inſignia, quibus illuſtria praeſertim Romae Muſea exornantur, iamdudum prodiere. Picta vaſcula in iiſdem Hypogaeis inventa, praeſertim quae apud Falgarios & Petrighios, Nobiles Viros Cornetanos adſervantur, alibi proferam. Huiuſce Cryptae fornicem complanatum conficit lapis magnitudine & craſſitie immaniſſimus, quem in medio columna ſubfulcit. Duo ad perpendiculum ſpiracula lumen deſuper ſuſceptum in Cryptam immittunt. Parietes egregie expoliti veſtigia quaedam pictarum figurarum praeſeferunt, quae iam evanuere.

IV.

IV. Binae inſcriptiones, quae heic adferuntur num. III. & IV. penicillo pictae ſunt nigro colore in parietibus, qui ibidem indicantur. Parietum imam partem tribus in lateribus ſcamna ſeu gradus duo circumdant. Super his locatas fuiſſe ollas & urnas cinerarias cenſet idem Obſervator Veronenſis (1). Sed, ut revertar ad inſcriptiones Etruſcas, ea quae longior eſt num. III. forſitan funebres ritus & inferias quotannis habendas indicit, quibus adſint ƧƎ<◇ƎM *Matronae*. In poſtrema linea ex his, quae in Roncalienſibus adnotavit V. C. Paſſerius, lego ƧᒧIꟻA . MV1Vᒧ. hoc eſt *Sepulcrum vivens* dedicavit *Larthes Caeiſinius*, cuius nomen in altera inſcriptione num. IV. in principio, ni fallor, ƧIИIƧIƎ> . ◇<Aᒧ adnotatur. In vetuſtis Romanis titulis ſepulcralibus frequenter memorantur familiae *Caeſiena* & *Caeſenia*, quae forſitan cum hac Etruſca gente nominis ſimilitudine conveniunt.

V. Quod vero ab anno CIↃ.IↃ.CC.XXXVI. uſque ad hoc tempus multarum huiuſmodi Cryptarum non perierit, ut antea, memoria, huiuſmodi beneficium debet litteraria Republica Etruſcarum Antiquitatum indagatori ſtudioſiſſimo P. Ioanni Nicolao Forliveſio Auguſtiniano, qui earumdem deſcriptionem, pictas figuras, item inſcriptos parietes, urnarum & vaſculorum emblemata delineata perhumaniter ad me miſit. Inter omnes ſpectatu digniſſima ea eſt, quam delineatam duabus in Tabulis VIII. & IX. nunc primum in lucem profero, quam tantum deſcribit Illuſtriſſimus Maffeius (2). Ea conſtat duabus Cellis ſubterraneis, quarum lacunaria concamerata num. VII. & VIII. eleganti Tuſcanico opere in molliore terra (vulgo *panchina*) exſcalpta, tignis varia optimaque ſymmetria diſpoſitis, iiſdemque pictis, partim rubro, partim caeruleo colore, non ſine voluptate ſpectantur. Coronis perelegans, rubro ſaturoque colore picta, Cellas circumambiebat. Indicat litt. C. lacunaris umbilicum acuminatum, ſurſum in tholi ſpeciem adſurgere, mira Etruſci Architecti inventione. In primam Cellam per ſcalam in planitie exſciſam deſcenditur: ex hac vero in ſecundam patet aditus, quem oſtendit ſchema adlatum in Tab. IX. num. V. & VI. litt. B. In aditu oſtii in parietum lateralium craſſitie ſculptae figurae, & variis coloribus pictae obſervantur. Exterior haec Cella, quae veſtibuli locum tenere videtur, in ſummo limbo pictis undique animalibus; in imo vero ſedilibus ſive ſcamnis ornatur. Interior Cella tres gradus, & parietes egregio opere pictos habet his emblematis, quae exhibet Tabula IX. num. I. III. IV. & V. Paries e regione oſtii exhibet defunctorum imagines, quaſi Deo-

rum

(1) Memorato in Tomo pag. 311.

(2) Ibidem pag. 311. & 312.

rum conſortio fruentes, hinc inde adſtantibus Geniis. Pendent ſuperne vittae ſeu vela, tanquam divinitatis inſignia, & circa eorum caput litterae Etruſcae pictae, quae eorum nomina deſignant, ſpectabantur; ſed aperto Sepulcro in dies magis magiſque evanuere. Viri nudo corpore, panno ſeu velo aërii coloris ex humeris pendente, aviculas manibus gerentes, aut citharam, aut vaſculum, quo arbuſculum irrigant, ita eo corporis motu inter arbuſcula ludunt, ut ſaltationem referre videantur. Elyſiorum forſitan ſolatia, ſtudia, ac voluptates, vel aliquid aliud nobis ignotum, repraeſentant. Hae picturae in parietibus vividum colorem diutius ſervarunt. Hiſce ſepulcralibus Cryptis aliae non paucae ſimiles praeteritis annis inventae ſunt, quas picta emblemata, & Etruſcae fabulae, portentoſa animalia, vetera inſtituta, ritus & ſacrificia, ac pluribus lineis valde longis conſtantes inſcriptiones Etruſcae in parietibus pictae viridi colore exornabant.

VII. Sepulcra picturis ornata antequam miſſa faciam, memorare lubet inſignem Cryptam ad Corneti moenia inventam anno CIↃ.IↃ.C.XCIX. in praedio C. M. Hannibalis Tartagliae, olim in Romana Curia Advocati, ſupra cuius pavimentum plures Sarcophagi erant in ſaxo excavati, & in parietibus picturae, referentes Genias & Genios, defunctorum animas ad Inferos ducentes & comitantes. Has in lucem protulit Cl. Bonarrotius (1): qui aliam quoque Cryptam, detectam anno CIↃ.IↃ.C.XCVIII. in via, quae ab urbe *Colle* Senas ducit, prope Abbatiam *all' Iſola* dictam, Etruſcis litteris pictis ornatam, deſcribit & adfert (2).

VIII. Praetereo fictiles Sarcophagos plaſtico opere anaglyphis ornatos, qui Etruſcorum hiſtorias, ritus, fabulas, & feralia emblemata, pictis figuris coloribus variis ac vividis, repraeſentant, de quibus alibi ſermo. In funerum ſupellectile adcenſentur etiam amphorae fictiles, quae in ſepulcralibus Cryptis recondi ſolebant, ſcrobe facto in ipſo Cryptae pavimento: quam Etruſcorum conſuetudinem oſtendit Peruſinus Sarcophagus, adlatus in Dempſteriano Opere (3).

CA-

(1) Tab. LXXXVIII. ad finem in Appendice ad Opus Dempſterianum, pag. 30.

(2) Ibidem Tabula XCII.

(3) Tab. LXXXV. ad finem Tom. II.

CAPVT VII.

Etruſca Sepulcreta apud Volaterranos inventa deſcribuntur atque exhibentur: ex his CAECINAE *gentis ſubterraneum Conditorium, porta, aditu, ſcamnis, urnis marmoreis, anaglypho opere ſculptis, iiſdemque pictis & inauratis, araque marmorea pereleganti ornatum, adſertur & illuſtratur.*

I. VOlaterrano in agro tam multa, ac tam frequenter ab anno CIↃ.IↃ.CC.XXX. ad hoc tempus, in quo ſcribimus, detecta ſunt Hypogaea veterum Etruſcorum Sepulcreta: totque ex his marmoreae urnae (fictiles numquam vidi, niſi amphoras, & vaſcula cineraria) erutae ſunt, Etruſcis litteris, & emblematis inſignes, ut Volaterrae iure ac merito totius Etruriae locupletiſſimum, omniumque ſplendidiſſimum Muſeum adpellari poſſint. Vtinam Volaterrani, qui anteactis tribus ſaeculis vixere, has Etruſcae Vetuſtatis delicias diligentius ſervaſſent, neque urnis ipſis marmoreis & tophaceis in aedibus conſtruendis nimia oſcitantia uſi eſſent! profecto eas, arbitror, paene aedium ipſarum, ut ita dicam, numerum facile nunc aequaturas.

II. Memorato anno, quum multa Etruſcorum Sepulcra in praediis Franceſchiniis, primo fere ab urbe miliario, quae *a Lecceto*, & *alla Caſa Marmi* dicuntur, extra Portam, quae Florentina adpellatur, perluſtraſſem, atque ex his erutas urnas, vel negligi, vel paſſim iacere, aut ubique in hortis aëris, & temporum iniuriis expoſitas vidiſſem, meiſque impenſis ante meos oculos delineandas curaſſem; ipſum Etruſcae Antiquitatis ſtudium ita me inflammavit excitavitque, ut mox, inſtituto per Etruriam itinere, Tuſcanica omnia monumenta, numquam antea edita in lucem proferre, & ſummi viri Senatoris Bonarrotii praeclara veſtigia ſequi mihi propoſuerim. Me igitur hortante, complura Volaterris tunc temporis Muſea condi coeperunt; quae nunc inclitae urbi eximiam gloriam & decus adferunt ſempiternum. Sed in his Muſeis deſcribendis diutius non morabor, quum de iiſdem mentio fiat in mea *Hiſtoria Antiquaria Etruſca* (1) (quam loco Praefationis adieci ad

(1) Prodiit Florentiae hoc anno, cum hoc titulo: *Difeſa dell' Alfabeto degli antichi Toſcani ec. diſapprovato dal Sig. Marcheſe Maffei nel Tomo V. delle Oſſerv. Letter.*

ad *Vindicias mei Etruſci Alphabeti*, quo ab anno CIↃ.IↃ.CC.XXXVII. in legendis Etruſcorum monumentis viri docti uſi ſunt, & ſine invidia probantes, nunc quoque utuntur) deque his inferius ſermo iterum habendus ſit. Quantum vero antiquae Etruſcorum linguae clareſcat & amplietur in dies cognitio atque intelligentia, & quam multa notatu digna in lucem proferantur a doctis viris, de litteris optime meritis, oſtendunt Epiſtolae Roncalienſes, & Diſquiſitiones, quae nunc in lucem mittuntur per ſingulas hebdomadas in Nunciis Litterariis Florentinis, ad ſummam patriae meae gloriam, in qua ampliſſimus hic eruditionis theſaurus primum publico bono apertus eſt, & illuſtratus.

III. Quod nunc propius ad rem noſtram pertinet, nobiliorum Etruſcarum Familiarum Sepulcra apud Volaterranos priſco aevo his in agris condita fuiſſe compertum eſt, in quibus Nobb. Franceſchinii praedia ſua poſſident: quae loca veteres Hiſtoriae memorant antiquitus *Campum nigrum*, ex defunctorum eorumque Sepulcrorum frequentia, nuncupatum fuiſſe. Ex his erutae ſunt urnae marmoreae paene innumerae, pereleganti artificio, & eruditis emblematis ſculptae, & bracteis ex fulgenti auro multis in locis, praeſertim vero in architectonicis ornamentis, intectae: quae partim iam a me editae ſunt, partim, Deo favente, in lucem mittentur.

IV. Harum ſepulcralium Volaterranarum Cryptarum ſtructura, atque etiam figura, ab aliis non parum differunt; adeoque dignae maxime ſunt, ut obſerventur. Sub humo nunc duodecim, nunc viginti Romanos pedes, & interdum etiam altius, in tophaceo lapide, qui vulgo *panchina* dicitur, excavata ſpectantur. Exterior Cryptae ſive Sepulcri forma, oſtium & aditus eam faciem praeſeferunt, quam ſupra propoſui in Tabula VII. num. I. vel alteram adlatam in Tabula X. num. I. Circa oſtium, ut plurimum quadratae formae, interdum hinc inde poſitas ad Sepulcri ornatum columnas inſpexi, quas indicat figura num. III. in Tabula X. Eadem Sepulcra ſub integro paene immenſae molis lapide exſtructa ſunt, qui iiſdem pro fornice inſervit, intrinſecus quidem probe perpolito: qui ſi latitudinis maximae ſit, columna in medio in eodem tophaceo lapide excavata ſubſtentatur, ut docet adlata Figura num. II. in Tab. X. Haec ipſa Hypogaea Sepulcra oſtium ſive introitum ad Meridiem exciſum in topho habent. Interior area quandoque orbicularis eſt: quandoque etiam, & frequentius quidem, quadrata: aliquando etiam triangularem figuram referre obſervavi. Sepulcra nobiliorum Familiarum vel uno vel duobus; ſplendidiora vero tribus gradibus ſeu ſcamnis exornantur, in quibus ſe-

pulcrales Vrnas, defunctorum cineribus plenas, pro dignitate locatas fuiſſe, eximius quoque Bonarrotius adnotavit (1). In his Sepulcris complures quoque cellulae ſive aediculae (vulgo *nicchie*) in tophaceis parietibus excavatae cernuntur. Sepulcra magis lata vel quinque, vel ſex, vel etiam ad Architecti arbitrium plures aediculas ſive tribunalia habent: quae vero anguſta ſunt, nec gradibus nec tribunis aut cellulis ornantur; ſed urnas in ſolo locatas continent, nullis exculta ornamentis: quare ad pauperiores defunctos ea ſpectaſſe coniicimus. Locupletiorum dumtaxat Sepulcrorum Ichnographicas ac Scenographicas figuras, quas ipſe, quum Volaterris eſſem, obſervavi ac delineavi, in Tabula X. num. I. II. III. & IV. adiungendas cenſui.

V. Sed inter haec ipſa Volaterrana ſubterranea Sepulcra, a nobis adlata ac deſcripta, illud prae ceteris eminet, ac principem locum ſibi vindicat, quod exhibent Tabulae IX. & X. num. V. Forte fortuna inventum eſt anno CIↃ.IↃ.CC.XXXIX. menſe Novembri in praediis Franceſchiniis. Effoſſo terreno, cuius altitudinem indicat litt. F. in Tabula X. ſpatio octo circiter Rom. pedum, inventa eſt porta arcuata, perpulcro Tuſcanico opere e quadratis lapidibus ſine calce compactis exſtructa, coniuncta cum adſimili lapideo muro, ut oſtendit Tabula IX. litt. A. Alteram portam huic ſimilem paullo ante inventam narrant in praediis *al Portone*, ubi Nobiles Viri Guarnaccii Sepulcreta Vrnis referta invenerunt. Hanc portam poſtes; oſtium vero Cryptae Tab. IX. litt. C. occludebat lapis ingens, quem ruſtici, ut in eam quantocius deſcenderent, effregerunt.

VI. Paene in limine eiuſdem Cryptae inventa eſt ara marmorea valde ſingularis, elegantiſſimo opere ſculpta, quae adfertur in Tabula XI. In ea litteris atramento pictis ſcriptum defuncti nomen, cui dedicata erat, nempe

A CAECINA CE:::: VLA
ANNOR LXX

Quae deſunt litterae, incuria ingredientium, deletae ſunt; ſed primi, qui totum hoc Sepulcrum obſervarunt ac deſcripſerunt, inter quos egregio ingenio & eruditione excultus Andreas Iulianellius, Sacerdos Florentinus, tunc Volaterrani Seminarii Moderator & Praeceptor, CESAVLA ſcriptum ſe legiſſe nunciarunt per litteras, quas ſtatim Florentini Auctores Nunciorum Litterariorum pervulgarunt (2). Nunc primum obſervanda occurrit ara Etruſco artificio inſignis, cum

(1) In Append. ad Opus Dempſt. §. XXVI. p. 36. (2) Tom. I. anni MDCCXL. num. 2.

cum qua ſimul arcula marmorea ad ſervandos defuncti cineres coniuncta eſt. Operculo clauſam, & ita obſignatam fuiſſe, minime dubitandum; licet vero illud haud inventum fuiſſe ſcripſerint; fractum tamen a ruſticis aviditate eruendarum divitiarum haud ſine ratione ſubſpicor. Aras ſepulcrales apud Romanos ſuperne excavatas, & in his crateres ſive cyathos factos ad fundenda in cineres mortuorum ſacra libamina, iam adnotavi & oſtendi ad monumenta ſuburbani Muſei Strozii. Bucrania, pendentibus coronamentis quaſi unionum lineis, inter pateras ſculpta, quibus ad ornatum quoque templorum veteres Tuſcos uſos fuiſſe iam adnotavimus (1), ornamentum & decus ſingulare mira cum elegantia coniunctum conferunt huic arae, quae altitudine Romanos pedes quatuor, latitudine fere duos aequat.

VII. Poſt portam, quae Meridiem reſpicit, & ita locata eſt, ut oſtendit Tab. X. litt. A. ſequitur aditus, lapidibus tophaceis hinc inde exſtructus, & ſuperne concameratus, uti litterae B. in utraque Tabula monent, e quo deſcenſus & introitus in oſtium Sepulcri, in ipſa terra excavatum, quod littera C. indicat. Sepulcrum ſphaericam formam praefert, cuius diametros Rom. ped. XL. aequat, tribus gradibus ſive ſcamnis circumquaque ornatum, ut exhibet Tabula X. litt. D. D. Ex his deiectas urnas ſepulcrales ſive ſarcophagos ſe inveniſſe teſtantur, qui omnium primi Hypogaeum ingreſſi ſunt, creduntque vel antiquos praedones hos expilaſſe, vel terraemotu everſos, uti docent litterae F. F. F. Columna in medio rotunda totam cameram in molliore lapide tophaceo excavatam ſubfulcit, quam in utraque Tabula IX. & X. litterae E. oſtendunt. Quadraginta Vrnae marmoreae, pulcherrimis emblematis ornatae, auri bracteis intectae, & variis coloribus pictae, e quibus inſigniores proferam, inventae ſunt: inter quas integrae vigintiquinque, reliquae fractae, quarum fragmenta mox ipſe conſociavi. Opercula, in quibus cum viri tum mulieres recumbentes ſculptae ſunt, epitaphia partim Etruſca, partim Latina praeferunt, quae manifeſte docent, Sepulcrum hoc fuiſſe CAECINAE gentis Volateranae. De hac illuſtri familia, de qua Hiſtoria concinnari poſſet, nihil dico, poſt Dempſterum (2), & Glandorpium in Onomaſtico, qui multa luculenter adnotarunt.

(1) Vide Philandrum in Vitruvii de Architect. Lib. III. Cap. II.

(2) De Etrur. Reg. Lib. II. Cap. LIX.

CAPVT VIII.

Hypogaeum Sepulcrum inventum in agro Senenſi deſcribitur ; eiuſque oſtium, cineraria & ollae Etruſcis litteris inſcriptae adferuntur, & breviter illuſtrantur.

I. EA Tuſcorum antiquorum monumenta, quae litteris Etruſcis inſcripta ſunt, prae ceteris plurimi facienda eſſe arbitror, quorum patria loca, e quibus effoſſa in lucem prodiere, adeo in comperto habentur, ut nullum dubium ac difficultas ulla oriri poſſit. His enim fulti rationum praeſidiis, quae multorum ſaeculorum curſu fuerit Etruſcae linguae indoles, qui populorum per Etruriam, cum interiorem tum exteriorem, ſcribendi genius, quodve inter reliquos a nobis diſſitos populos, & inter eos, qui Vmbriam incolunt, diſcrimen, & quae in litteris ſculpendis varietas ſenſim inoleverit, diligenter expendere atque obſervare poſſumus. In hac vero monumentorum Etruriae interioris ſerie ſunt recenſenda parva ſarcophaga e Tiburtino marmore exſciſa, & ollae fictiles variae perelegantis formae, operculis ornatae, litteriſque Etruſcis inſcriptae, quas nunc primum in lucem profero in ſex Tabulis, nempe XII. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. favente huic meo ſtudio, meiſque deliciis Eruditiſſimo Viro Ioanne Antonio Peccio, Equite D. Stephani, Patricio Senenſi, patriarum antiquitatum conſultiſſimo, qui totum hoc Sepulcrum & vidit, & accuratiſſime in his Tabulis delineavit.

II. Anno igitur CIↃ.IↃ.CC.XXVIII. quum Decembri menſe agricolae quidam foſſas ad vites conſerendas facerent, terramque altius egererent in agro Senenſi, quarto ab urbe lapide, in quodam parvo colle inter Montemapertum & Pancolem (quaſi Pan Deus cultus hoc praeſertim in colle fuerit, ſive delubrum habuerit) in praedio quodam Nobilium Tomaſiorum Senenſium Patricii generis, invenerunt anguſtum Hypogaeum Sepulcrum in tophaceo lapide excavatum, longitudine ac latitudine Romanos pedes circiter ſex vix excedens. Pavimentum arte complanatum, glarea cum calce permixta conſtabat. Ipſa tantum ſpectabilis eſt Sepulcri concinnitas ac ſymmetria, atque ipſa etiam ſimplicitas, priſcam Etruſcorum patrum ſeveritatem ſobrietatemque oſtentans, nullis adhuc fucatam

or-

ornamentorum lenociniis: nec ſcamnis, nec picturis, ſed parietibus tantum & fornice ad regulam perpolitis, atque urnis cinerariis & ollis fictilibus contentam.

III. Sepulcri huiuſce oſtium, quod exhibet Tabula XII. litt. A. ad meridiem ſpectabat, antiſque ad regulam dolatis e Tiburtino lapide, & limine etiam conſtabat: cuius os altitudine Romanos pedes & uncias quatuor, latitudine vero pedes duos, & uncias fere quatuor aequabat. Nulla heic adparuere cardinum veſtigia; quare ingenti lapide oſtium claudi conſueviſſe, uti factum in Sepulcro Chriſti Domini noſtri, haud inani coniectura arguimus. Ingentes duos lapides circa oſtium Sepulcrorum erutos adfero in Tabula XVII. num. I. & II. Claſſis IV. quos etiam notandum eſt, inſcribi conſueviſſe. Huiuſce oſtii figuram & Ichnographiam oſtendunt figurae littera A. & B. adlatae in Tabula XII. In utriſque oſtii antis inſcriptio Etruſca docet, hoc Sepulcrum ad CVELNIAM gentem ſpectaſſe; nam in principio haec habet: MƎꓶИƎᴙↃ ꓶOꟼAꓶ: hoc eſt: *Larth L Cuenlem:* qui Lucius Cuelnius hoc ipſum Conditorium ſibi ſuiſque aedificaſſe & condidiſſe videtur.

IV. Quod vero ad Etruſcam gentem *Cuelniam* hoc Sepulcrum pertineat, pluribus in locis in ſuis eruditiſſimis Epiſtolis Roncalienſibus adnotavit Celeberrimus Paſſerius: idque arculae marmoreae ſive cineraria, adlata in ſequentibus Tabulis, innuere videntur. Sed quum in aliquot ex his ƎИꓶƎↃ ſcriptum occurrat, & ƎꓶИʎƎↃ. A *A. Culnle*, hoc eſt *Aulo Culne*, & IИꓶƆƎ VИ: *Numerii Velni:* & ƎИꓶIIↃ: *Ciilne:* item ƎИꓶƎƎↃ: A *Aulo Cuulne;* etſi non raro litterae tranſponantur, vel aliquae ex his omittantur, ut in olla, quae habet ƎꓶƎƎↃ: VA *Aulus Cuele;* atque etiam ꓶƎИꓶƎƎ. IOꟼAꓶ: hoc eſt: *Larthi. Velnel:* quod mirum non eſt; nam id munus ſcribendi defunctorum tumulos ad ſervos, vel ſculptores facile imperitos ſpectabat; hinc mihi ſubſpicio orta eſt, hoc Sepulcrum pertinuiſſe ad CILNIAM potius gentem, tota Etruria longe clariſſimam ac nobiliſſimam, e qua prodiit C. Cilnius Maecenas, de quo Horatius (1):

Maecenas atavis edite Regibus:

& alibi (2):

Tyrrhena Regum progenies:

qui Reges ipſos & Imperatores ſupergreſſus patrocinio litterarum, tum liberalitate, tum munificentia in Litteratos, maximeque Poëtas bonoſque omnes viros, encomia Scriptorum complurium obtinuit, omnium

(1) Carm. Lib. I. Ode I.

(2) Carm. Lib. III. Ode XXIX.

omnium promeruit (1). De *Cilniorum* gente luculenter ſcripſit Bartholomaeus Macchionius Cluſinus : vitam vero Ioannes Henricus Meibomius, Iacobus Cennius, & alii, ad quos Lectorem mitto. Apud Arretinos, qui Maecenatem civem ſuum ſibi adſcribunt, exſtant non pauca *Cilniorum* epitaphia, quae in lucem protuli (2). Sed praeter Cluſinos, apud Senenſes quoque, hanc gentem clariſſimam floruiſſe, ex his longe omnium vetuſtiſſimis monumentis nunc primum colligi poſſe, ſi docti viri, meuſque Paſſerius probant, non invitus adfirmo.

V. Cinerariae Vrnae e Tiburtino marmore quindecim in hoc Conditorio repertae ſunt : undecim inſcriptae Etruſcis litteris, reliquae purae, ſine epigraphe aut titulo : omnes vero cineribus oppletae. Praeter has arculas marmoreas, vaſcula ſive ollae quatuordecim inſcriptae inventae ſunt, tres ſine titulo ; ſed praeter has aliae longe plures, incuria foſſorum in fruſta redactae, periere.

VI. In hoc Sepulcro non viri tantum ſepulti, ſed etiam mulieres, vel matres, vel uxores aut filiae Cilniorum, atque etiam adfines & adgnati, quod ex ipſis ſepulcralibus titulis eruitur ; nam praeter *Cilnias*, inter mulieres *Laucina* ſive *Lucinia*, item *Velia Teninia*, *Velia Anamia*, atque aliquot aliae cum mulieres, tum viri promiſcue in hoc Etruſco Sepulcro conditi nunc innoteſcunt. Illud vero moneo, vaſcula illa eleganti opere plaſtico efficta, ornataque variis circa labrum animalibus, ex hoc Sepulcro eruta minime fuiſſe ; ſed ne inane ſpatium in Tabula XV. relinqueretur, addita a me fuiſſe ; exſtant tamen Senis in Guagniorum Muſeo.

VII. Haec ſunt inſigniora, quae hac noſtra aetate patefacta ſunt, antiquorum Etruſcorum Sepulcra. Alia paene innumera ſuperioribus ſaeculis detecta, ſed poſtmodum diruta, perpetuiſque damnata tenebris fuiſſe obſervat, atque ex Sancte Marmocchinio, aliiſque Scriptoribus enumerat Cl. Senator Bonarrotius in §. XLIV. Appendicis ſuae ad Opus Dempſterianum, quae non vacat heic irrito labore iterum recenſere. Dum haec ſcribo, ecce amici mei optimi, doctiſſimi Praeſulis Paſſerii, Vicarii Piſaurenſis Dioeceſeos, Diatriba de inſignioribus aliquot Etruſcorum Sepulcris, quae ad hanc uſque aetatem perſtant : quam licet properanti calamo, ut mihi morem gereret, ſe ſcripſiſſe fateatur, adcedente hac turbulentiſſimorum temporum calamitate, armorum ac militum ſtrepitu ubique perſonante ; eximia tamen eruditionis fruge referta eſt, multiſque obſervationibus tanto viro, & publica luce dignis.

DE

(1) Vide Iacobum Gaddium Florent. de Scriptor. Par. II. litt. M. pag. 52.

(2) In Par. II. Inſcript. antiq. Etruriae Vrbium.

DE ETRVSCORVM SEPVLCRIS

PRAESERTIM

PERVSINO . IGVVINO . ET TARQVINIENSI

DIATRIBA

IOANNIS BAPTISTAE PASSERII

AD CLARISSIMVM VIRVM

ANTONIVM FRANCISCVM GORIVM.

I. VRges me, GORI CLARISSIME, frequentibus litteris tuis, ac paene compellis, ut de ETRVSCORVM SEPVLCRIS, praeſertim vero PERVSINO, IGVVINO, & TARQVINIENSI, quae inter cetera praeclara Etruſcorum aedificia principem locum facile obtinent, pauca ediſſeram, teſtis oculatus, illorumque admirator frequentiſſimus; praecipue vero priorum, quae inter ſtudiorum ferias adoleſcentulus mirabundus admodum frequenter adibam. Rem profecto minime difficilem, ab homine praeſertim ſtudiorum Architecturae penitus non ignaro petis, humaniſſimo, ut ſoles, litterarum officio, niſi una iuberes, ut Inſcriptionum Etruſcarum, quae in illis obſervantur, ſenſum aperirem. Quid vero proferam neſcio in re admodum obſcura, atque hactenus deſperata: praeſertim in tantis, quibus nunc undique opprimor, rerum anguſtiis; quum bello hinc inde patriam meam divexante publica iam, privataque vaſtatione laboret animus, ac paene fatiſcat. Parebo tamen mandatis Amici optimi; dummodo, ſi quid peccavero, imbellicitati meae, & tempori condonetur: & innoteſcat, opellam hanc meam ſcriptam eſſe tanto militarium tympanorum numero perſtrepente, quot iam nec militum videre conſueveram.

II. Saepius animadverti, OPTIME GORI, in Etruſcis urbibus unum plerumque Sepulcrum mole ſpectabile reperiri: quae quidem operis ſingularitas facile indicat privati iuris minime fuiſſe. Puto quidem Magiſtratus ac Collegia, quae in iis urbibus ſplendidiſſima erant, praecipua Monumenta ſibi comparaſſe, ne fortuna eadem, quae viventes evexerat, mortuos etiam a privata conditione ſeparaa ret: neque ambigo, Lucumones illos Sufetes, atque (ut veteri patriae meae lingua utar) Poemones, quorum imperio res Etruſco-

ſcorum regebantur, ſplendidioribus tumulis ac dignitati paribus, condi conſueviſſe. Quis vero prohibet, Peruſinum atque Iguvinum hac dignitate decorare? Si enim privatorum fuiſſent, [redacted] utique ſolitaria in totidem urbibus notarentur.

III. Horum primum, nempe Peruſinum, altero ab urbe lapide, maiore ſui parte Hypogaeum, Cellam continet, quae in longum ad pedes viginti protenditur, in latum vero vix ultra ſeptem. (*Vide Tab. V.*) In utroque vero latere gemina loculamenta recedunt, quorum abſides vix unum alterumque pedem in latum occupant, ſeptenum fere in longum, ut ad gratiam magis aedificio conciliandam, quam ad commodum amplificandum conſtituta eſſe videantur. Parietes ipſi, ac ſuperior fornix ex ingentibus lapidibus Tiburtinis ſcitiſſime compactis, quorum nonnulli ad ſenos ſeptenoſque pedes producuntur, conſtant: inter ſe ſe vero nullo caemento colligantur, lapidibus ipſa ſui mole & comiſſurae ratione conſiſtentibus. Id ſtructurae genus in alio Etruſco Sepulcro obſervatum eſſe teſtatur Sanctes Marmocchinius apud Bonarrotium in Appendice ad Dempſterum §. XLIV. *Era in volta ſenza calcina, cioè laſtroni grandi e groſſi, che dall' una banda all' altra, appoco appoco l' uno ſopra l' altro ſi accoſtavano al mezzo, e quivi ſi congiungevano.* Viſuntur Eugubii ex huiuſcemodi antiquiſſimis aedificiis detracta ſaxa ingentiſſima, quae nullum gluten firmaverat. Prominet tamen cuiuſvis in dorſo rotunda quaedam exſiliens ſuperficies palmari diametro, cui reſpondet in inferiore ſui latere par cavitas, quibus adminiculis ſimul conſerti, aeterna ſtabilitate ligabantur. Quum vero circa XII. ſaeculum Iguvinorum Reſpublica novo moenium ambitu, qui ſplendidiſſimus eſt, civitatem vallaret, publico huic operi inſeruit, atque ad Divi Franciſci portam, quae ſaeculum iam concluſa eſt, adhuc obſervantur. At quorſum, inquies, tanta iactura operis, & artificii iactantia, qualem nemo unquam viſurus eſſet, niſi poſtquam aedes tota eſſe deſiiſſet? Nonne calcis ſubſidium tanto ſupplicio ſcalptorum occurrebat, brevius atque indulgentius? Haec ego mecum olim meditabar, quum anno CIↃ.IↃ.CC.XVIII. Maſſae Tudertium Praeturam gererem. Quum vero forte contigiſſet vetus Sepulcrum in eius finibus intueri ad Sanctae Crucis in Buxeto, animadverti aedem totam, quae ſubterranea eſt, in coni modum exſtructam, ex ſicco lapide fluviatili, & paene rudi, ſed arctiſſime commiſſo conſurgere, quae adeo conſtanter ſubſiſtebat, ut ne lapis quidem unus loco motus eſſet. Huius ectypon exhibet Tabula XVIII. *Fig. VI.* Iam vero ex tunc dubitare coepi id ſtructurae genus minime ad parſimoniam pertinuiſſe; ſed ad quod-

dam

dam populi inſtitutum, qui veterem ſepeliendi rationem, in Cryptis ſuccreſcente luxu, etiam in manufactis retineret, nudis lapidibus, ſine calce admotis, quod veterem ſimplicitatem praeſeferebat.

IV. Cella Sepulcri Peruſini, ut in ſemitam redeam, anguſto aditu ac gradibus interne adpoſitis pervia eſt. Contra aditum feneſtrella lumen admittit: alterum vero Cellae latus ſuperne occupat inſcriptio optimae notae, in lapidibus inciſa, quorum duae primae lineae Cellae longitudinem fere aequant, litteris adhuc aliqua ſui parte minio rubentibus, quales frequentiſſime in Latinis, imo & in Chriſtianis monumentis obſervamus. At vero ſuper id aedificium Eccleſia adſurgit, quae vulgo audit *la Torre di S. Manno*, cuius plurima apud Scriptores mentio eſt, praeſertim vero apud Criſpoltum Rer. Peruſinar., Bonarrotium loc. cit., Maffeium in Obſervat. Litter. Tom. V. pag. 302. ſignanter vero apud Ciattium Peruſ. Etruſc. pag. 154. Quia vero is vir, alioqui meritiſſimus, ſtructuram hanc in uſum Ergaſtuli compactam eſſe tradidit (quod a veritate alienum mihi ſemper viſum eſt) peculiari Diſſertatione anno CIↃ.IↃ.CC.XIV. ad Cl. Ioannellium data, ſententiam illius confutavi. Ratio potiſſima fuit ipſa loci anguſtia, & operis magnificentia, quam nemo unquam perderet ad pauculos ſervos, atque hos otioſos continendos: ſiquidem Ergaſtula erant, in quibus aliquid operari hi cogebantur; inde enim nomen ſortita ſunt, ut docet Voſſius: praeſertim tam frequenti apud Etruſcos ſervorum numero, ut illorum labore terram colerent, ut oſtendit Lipſius in Elect. Lib. II. Cap. XV. & Martialis Lib. IX. ad Paſtorem:

Et ſonet inumera compeda Tuſcus ager.

Alterum vero argumentum, quod deſumit Ciattius ab inſcriptione pro Ergaſtulo ſuo, vix tanto viro dignum eſt. Ut enim probet Ergaſtula inſcribi conſueviſſe, detorquet illud Iuvenalis Sat. XIV. 24. ubi *inſcripta Ergaſtula* commemorat. At eo loco non de aedibus, ſed de ſervis ſtigmate praeſignatis, Poëtam loqui, Scholiaſtae quotquot ſunt conſentiunt. At contra inſcripta Sepulcra nemo ignorat, Etruſca praeſertim, de quibus *exempla exſtant apud Dempſterum* Tabula XCII. & *Maffeium loco citato, ubi plures Tarquinienſium* ſepulcrales Cryptas fugientibus litteris *conſignatas deſcribit*. Adde ſi placet alterum *Cueinorum* ſuperioribus annis apud Senas effoſſum, quorum quidem titulos in Roncalienſibus explicavi.

Ipſa quoque Cellae forma loculamentis decuſſata, Sepulcrum oſtendit. Huiuſmodi enim plerumque occurrunt, quorum ingen-

92858

tem vim in agro Romano anno cIↃ.IↃ.CC.XIII. delineavi, ut inde aliquod veluti additamentum ad Bartolii opus concinnarem. At Latina miſſa facio: unum omnino non tacebo, anno cIↃ.IↃ.CC.XLII. defoſſum Politiani in ſuburbio, vulgo *Boſſona*, Etruſca in urbe, omnino Etruſcum. Sepulcri navis aliâ tranſverſâ decuſſatâ patebat: abſis in circulum ſinuata ianuae obiiciebatur. Tophus in loculamenta cavatus erat, in quibus urnulae cuſtodiebantur, tegulis forinſecus adpoſitis, quae urnas ab hominum obtutu ſeponebant. In his defunctorum nomina ſtilo inſcripta erant: hae vero a ruſticorum inſolentia penitus diſfractae periiſſent omnino, niſi Genius elegans Cl. Petri Bucellii mei, qui totus eſt in vetere patria reſtituenda, labem illam reparaſſet: atque eae ſunt, quae Commentariolo, ad Cl. Aſtancollium dato, illuſtravi. In Peruſino vero Sepulcro columbaria iſta nulla ſunt: nulla praeterea in Iguvino. Qualem vero uſum hae Cellae obtinerent, quove in loco defunctorum cineres conderentur, ex iis, quae in Iguvino nuper obſervata ſunt, facile patebit.

V. Exſurgit huiuſmodi Iguvinorum Sepulcrum prope urbis moenia, non procul a Theatro ſub ingentis atque aſperae molis adſpectu, quae conſtat ex glarea calce compacta; ut patet ex eius imagine, quam profero in Tabula XVIII. *Fig. I.* tota quippe exterior facies, quae ex ingentibus lapidibus conſtabat, iam exſcidit, ſuperſtitibus immanibus priſtini cultus reliquiis, aliis non longe diſperſis. Supereſt adhuc, levi terra deſuper iniecta, quadrata ingens area, quae molem ambit, ex lapidibus affabre dolatis, & moli reſpondentibus ſtrata, unde aedem totam rotunda forma productam fuiſſe indicat ipſa aedificii ſpecies, nullis angulis diſtincta, qualem ex ingenio quidem, ſed non temere, reſtituendam curavimus in eadem Tabula *Fig. II.* Veteri tamen aedificio turricula deſuper exſtructa eſt, & ipſa teres, cuius nulla habenda eſt ratio. Hanc ab Septentrionali facie delineavi olim adoleſcentulus anno cIↃ.IↃ.CC.XI. Ab oppoſito vero meridionali Cellae aditus patet. Ipſa aditus latera ex maximis perpolitis lapidibus conſtant, quorum unicus, in toto aditu lacunaris loco eſt, maximus & firmiſſimus. Illi imminet feneſtrella, pari artificio ducta, inclinato in Cellam lumine. Haec viginti pedes in longum obtinet, in latum quindecim. Parietes ex lapidibus conſtant eiuſdem plane dignitatis, cui reſpondet fornix arcuatus pari opificio. Recurrit vero quoquoverſus coronis ſcitiſſime ducta Tuſcanice laſciviens, cuius ſchema delineatum propoſui in eadem Tabula, *Fig. III.* Sub illa vero prominent undequaque claviculi aerei in lineam diſpoſiti, unde laneae vittae, &

ſerta


ſerta Manibus ſacra ſuſpendebantur : cuius moris ſaepius in Roncalienſibus mentionem feci . Eius imaginem exhibeo *Fig. IV.* Deſcenſus in Cellam modicus duplici gradu eſt , ut figura monet ; illa vero nullo pavimento ſubſternitur . Superioribus tamen annis cum Cl. Oliverius noſter, Piſaurenſium non minus, quam Iguvinorum eximium decus , illius urbis Tribunicia Poteſtate fungeretur, ſcrobem totam evertendam curavit ex A. in B. ut vetus aedificii ſolum detegeret. Quum vero quaternis fere pedibus terra tota egeſta eſſet , ſubſequenti ad imam uſque partem eodem parietum ſplendore , ventum eſt ad rudem firmiſſimamque ſubſtructionem, quae Cellam totam firmabat ; pavimentum enim inde divulſum fuiſſe cognoſcebatur. Patebat vero in medio Cellae puticulus terra adgeſta confartus , cuius orificio lapis ingens rotundus ac perforatus, & in infundibuli morem leviter ſinuatus, repertus eſt , cuius beneficio puticulum olim operiri ſolitum idem Vir Clariſſimus coniecit . Vbi vero puteus aliquantulum tentatus eſſet , ſubſequente ſtructura , ab opere deſtitum eſt , non ſine magno noſtro moerore ; quippe inferioris Conditorii adceſſus , qui ea via adiri poterat , intentatus remanſit . Multa vero ex opere ſtructili , per ſepulcrales illas caecaſque ſemitas, undequaque Cellas diſpoſitas eſſe , manifeſte obſervavit idem Cl. Oliverius, adparentibus adhuc fornicum culminibus in ipſo ſolo perſpicuis : quae tamen diuturniorem in ea urbe tanti viri moram aliquando expectant , ut publica auctoritate monumenta haec revelata aliquid Etruſcae eruditioni addant, & patriae dignitati . Cineres etenim ſummorum virorum minime in aedibus ſolo imminentibus recondi conſueverunt oculis hominum expoſiti : animaſque tenebrarum accolas ſubterraneis, ſolique imperviis receſſibus gaudere credebantur ; praeſertim quum id aedificium loculamenta nulla contineat , nullaque ſcamna , in quibus urnae diſponerentur. Patentes hae aedes templa erant Deorum Manium publicorum privatorumque , in quibus parentationes fiebant , ac ſilicernia habebantur . In iis vero arae conſtitutae erant, quandoque foraminibus perviae , quarum exemplaria habemus apud Fabrettum , alioſ Antiquariae rei illuſtratores , quae infuſos latices, vinum , lac, ſanguinem , & alia huiuſcemodi per diſpoſitos canaliculos in intima Sepulcrorum penetralia inſtillarent . Huiuſmodi vero puticolos ex ſuperioribus Sepulcris in inferiora Conditoria excavare etiam Romanis moribus receptum eſt : illorumque exempla ex Sancte Bartolio plura expetenda ſunt . Ingentes vero ſubterraneos cuniculos circa id aedificium patere multos , difficiles ac periculoſos , vulgata res eſt : & fuere ii , qui ſemitas tentaverint , pavimentorumque veſtigia

deprehenderint. Deſcenſum vero Sepulcrum inter atque Theatrum, aſperum quidem, atque praecipitem, ego ipſe olim obſervavi. Hoc aedificium antiquiſſima apud noſtrates traditione vocatur il *Mauſoleo*: idque confirmat Conciolius in Prolegomenis, quae praefixit Notis ſuis in Ius Municipale Iguvinorum: eiuſque mentio habetur apud Cl. Steuchium in Diſſertatiuncula de Nomine Eugubii, & apud Greſſollinum in Chronico Eugubino.

VI. Sepulcra TARQVINIENSIVM plurima deſcripſit praecitato loco Cl. Maffeius. Vnum tamen, cuius Ichnographiam publicavit, gemina inſcriptione inſignitum eſt, picturiſque inſuper, quas aliquando tuo beneficio, PRAECLARISSIME GORI, publicatas iri ſperamus. Inſcriptionum altera contra aditum atramento depicta eſt in Cellae abſide: poſtrema vero e regione eſt ſupra aditum, quarum utramque delineatam idem pariter exhibuit. (*Vide & in hoc Volumine Tab. VII. num. III. & IV.*) Quid vero Inſcriptiones iſtae, & aliae huiuſcemodi contineant, ſubſpicatu facile eſt: Dominorum nempe, quorum iuſſu Sepulcra ſtructa ſunt, nomina & dignitates: aliquando & res geſtas: dedicationes praeterea Diis Manibus Laribuſque familiaribus factas: leges Sepulcrales de uſu & iure Sepulcri: monumenta coëmptionis aut adſignationis Sepulcri legitime factae: neque aliud praeterea; niſi velimus, Etruſcos addidiſſe etiam precem aliquam ad Manes conciliandos ex Acherontica diſciplina: cuius poſtremi argumenti nullum adhuc exemplum ſubodoramus. Quod ad ſcamna in his aliiſque Etruſcorum Sepulcris inventa adtinet, illud veritati non bene conſonum videtur, quod plerique tradunt, Etruſcos in Sepulcris ſcamna quaedam ſeu gradus circum Sepulcrorum Cellas duxiſſe ad urnas ibi conſtituendas. Scamna haec e naturali topho vel e ſtructili opere in longe alium uſum diſponebantur, ut nempe defunctorum propinqui in illis conſidentes, vel ſilicernia celebrarent, vel mortuis bona precarentur. Mortuos enim non ſtantes, ſed ſedentes venerabantur antiqui; ut in Additamentis ad Sanctis Bartolii Sepulcra, aliquando me oſtenſurum fore, non inaniter forſan, confido. Id ipſum quoque animadverti Romae in Via Appia ad quartum lapidem, ſub elegantiſſimo Columbario, quod miris loculamentis variatum, Cella alia, ſed pura & ſolida, ad precationes habendas conſtabat, huiuſmodi ſedilibus cincta. Neque turbet aliquando in ſedilibus his urnas fuiſſe inventas; nempe iampridem loco motas atque exturbatas, ad aurum, ſi quod forte continerent, perquirendum, conſtat: quod malae mentis homines fecerunt ſemper in eruditorum detrimentum.

VII. In priorem vero claſſem reponenda eſt inſcriptio depicta cir-

circa oſtium Sepulcri *Cuelniorum* (*quod heic habes Tab. XII.*) in qua dedicationem *Larthis Cuelnii* deprehendes . In priore vero Inſcriptione Cryptae Tarquinienſis (*habes in Tab. VII. num. III.*) quae ad *Ceiſinios* ſeu *Ceſinios* , ut Romano more loquar , pertinuiſſe cognoſcitur , dedicatio legitur facta Laribus ſeu Manibus eiuſdem familiae. Hanc Etruſcam, & Latinis notis redditam profero :




Larth . Ceiſinis . Velus . Clan . Cixi . Xilachnce
Meani . Municleth . Methlm . Nuptxi . Canthce . Calus .... Lupu

Larth Ceiſinis idem ſonat, ac Manibus *Ceiſinii*. Sequitur *Velus Clan*, hoc eſt *Velitis filii*. Velites iſti centies in inſcriptionibus occurrunt, atque dignitatem aliquam ſignificare ſaepius monuimus. *Clan* filium ſeu natum ſignificat. Id me nuper detexiſſe, atque, ut opinor, demonſtraſſe confido in Diſſertatione ad Tegulas Bucellianas , in quibus filiis , ut plurimum , qua matre nati eſſent , deſignatis , *Clan* reſpondet voci *Natus* , quae in Latinis Tegulis occurrit .

Reliqua inſcriptionis portio mihi omnino imperſpecta eſt, praeſertim , quum pleraeque voces haud pronunciabiles omnino ſint : ego collabentis picturae vitio referendum eſſe puto. Vltima tamen vox *Lupu* ſignificat *Sepulcrum* , ut demonſtravi in Roncalienſi II. pag. 383.

VIII. In oppoſita inſcriptione docemur, Sepulcrum hoc a *Ceiſiniis* in ius familiae *Matulniae* conceſſiſſe iure cognationis, ob Ceiſiniam Matulnio uxorem datam , ex qua filii duo progeniti ſunt, quorum nomina in hoc Monumento continentur. En tibi id etiam epitaphium Etruſcis & Latinis litteris expoſitum :



Ramtha . Matulnui . Sech . Marcus Matulm......
Puiam . Amce . Metres . Ceis:::ies . Ciſum . Tame......
Laſ....naſc . Matulna ſc . Clalum . Ce...s . ci clenar . m
a::::avence . Lupum . Avils....achs . Mealchlſc . Eituapia . Me..

Ram-

Ramtha officium ſeu dignitatem ſacram Matulnui deſignat: de qua voce fuſius egimus in Roncalienſi X. pag. 327.

Sech particula coniunctiva; non enim heic praenomen, aut quid aliud eſſe poteſt, ſubſequente nimirum praenomine *Marcus* Latiniſſime ſcripto: inter quae duo Fratrum nomina video coniunctionem fuiſſe neceſſariam, qua ſublata, nihil aliud intereſſe poterat: forte particula iſta *Sech* eſt a Graeco ΣΥΝ, quod importat *una cum:* & eadem particula *Sech* in Tabulis Eugubinis eſt *Sehmu*, adſpiratione levi interpoſita, quae in Tarquinienſi *Sech* paullo aſperior eſt. *Sehmu* vero Iguvinorum idem eſt ac *ſimul*, quae fuſius obſervata ſunt in novis illuſtrationibus in eaſdem Tabulas, quas praecedentibus uberiores atque caſtigatiores iterum publici iuris facere meditor.

Puiam amce, nempe *Puiam hanc*. Dicebant *ance* pro *hanc* libentius Antiqui, & in legibus XII. Tabul. ſaepius occurrit formula: *Sei quips advorſus ance legem* &c. ſicuti *arumce*, pro *harum*. *Cauſam dicito arumce unam:* quem locum explicans Gravina de Orig. Iur. Lib. II. §. XXIX. haec habet: *Quam etiam formulam frequenter uſurpamus in ſecundo, quarto, & ſexto caſu ſingularis, & in tertio, quarto, & ſexto pluralis:* cuius quidem dicendi formulae originem, ex Latinis fotibus perquirere fortaſſe vanum eſt, quum illam Etruſcis communem fuiſſe videamus. *Puiam* a ποιέω, *facio:* opus aliquod manu factum ſignificare indicavi in Roncalienſi *III. pag. 390.* Eadem vero notio optime recurrit in ſenſu praeſenti.

Metres Ceiſinies, Matris Ceiſiniae. In hac ſecunda voce duo intermediae litterae HI. fugientes in autographo ſuo punctis indicavit Cl. Maffeius. Quum vero pictura integrior foret, manifeſte dignoſcebantur, ut animadvertit in exemplo ad me pridem tranſmiſſo Cl. P. Magiſter Forliveſius Auguſtinianus, qui ſedulitatem maximam in his Monumentis conluſtrandis adhibuit. *Metres* pro *Matris*, eſt a Graeco ΜΗΤΗΡ. In dedicatione ſigilli Veſtae Matris, quam explicavi in Roncalienſium XII. pag. 371. *Iuu Mutur* adpellatur, *Iovis Mater*. Poſt nonnulla verba, quorum ſenſum proferre in promptu non eſt, recurrit *Matulnaſc*, quae fortaſſe eſt deſinentia pluralis, atque ii ſubindicantur, quibus materna ſucceſſione Sepulcrum hoc ceſſerat.


Avence lupum: intellige *hunc lupum*, nimirum *hoc Sepulcrum*.

Avils obvia vox in epitaphiis, quam a verbo *avere*, hoc eſt *bene ſe habere* pro *vivere*, explicavi in iiſdem Roncalienſibus, & praecedit notas numerales annorum. Hinc fortaſſe non verbum, ſed verbale eſt *viventes:* quaſi viventes amplificarunt, reſtaurarunt,

ambu-

ambulacra, quae interiora ſunt, addiderunt, picturis ornandum curarunt, aut quid huiuſmodi. Reliqua intentata praetermittimus, ſatius putantes nihil proferre, quam dubias ſignificationes, quas nemo probet, venditare. Quae tamen ſupra delibavimus, facile oſtendunt Tarquinienſium linguam, ob maximum cum Latio commercium, non parum latinizaſſe, inclinatis praeſertim Tuſcorum rebus, quo magis Romanae res ſuccreſcebant.

IX. Pari vero fortuna minime utimur, GORI OPTIME, in inſcriptione enucleanda Hypogaei Peruſini, quam profers, ut ais, in Tabula V. meque certiorem facis te in ea exſcribenda ex archetypo ſummam adhibuiſſe diligentiam, & impreſſa humida charta, ectypographicum ſchema tam inſignis epitaphii eduxiſſe, ut tuis curis longe emendatiſſimum in lucem nunc prodiret. Ita igitur ſe habet, cuius etiam Latinam lecturam ſubdimus: ſed illud notandum, heic ob paginae anguſtias e tribus lineis, in quinque diſpoſitum eſſe; ita tamen, ut duae priores primam lineam conficiant; alterae duae ſequentes ſecundam, tertiam quincta.




Ceben . Suthi . Hinthiu . thuem . Sianmetve Taure :
Lautnemcle . Careſri . Aulem . Larthial . Precuthurami
Larthialiſvle . Ceſtnal Crenaramleth . ſanu
Lautn . precum . ipa . murxua . Cerurumein :
Hecxri . Tunur . Clutiva . xeli .... r

Fateor me totam epigraphen auxilio Graecae linguae, Hebraea etiam ſuppetias ferente, effeciſſe Latinam, illamque tibi ſaepius ſpopondiſſe. Quum autem caſtigandam ad manus revocaſſem, animadverti, VIR CLARISSIME, minime pro tua dignitate me facturum, ſi rem paene ludicram, & ioco habendam proferrem. Quare ſupprimendam potius, ſi me amas, mecum putes, velim. Fateor Graecam & Hebraicam linguam multa in hoc genere revelaſſe: plura etiam auxilio Latinae ut intelligerem contigiſſe; multa enim, ut ſcis, ex Etruria in Latium demigrarunt; quae rurſus ex Latio ſenſim in Etruriam inlapſa, non parum luminis ad vocum ipſarum ſignificationem eruendam praebent. Omnium vero optimum auxilium, licet labore & ſtu-


ſtudio plenum, ad Etruſcam linguam intelligendam, praebet ipſa multiplex ſimilium monumentorum collatio, quae minime haberi poteſt in vocibus illis, quae ſemel tantum in tota Etruria perleguntur: quod potiſſimum adcidit in hac praeſenti inſcriptione. Ne vero hanc intentatam prorſus dimittam; obſervare lubet, Duumviros quoſdam in hac nominari in caſu obliquo: *Aulem Larthial*, *Precuturami*, & *Larthial Ceſtnal*, *Clenarami*. Deſinentia enim in *al*, & in *i* Etruſcis genitivum indicat. Coniunctio *et* ſemel atque iterum heic occurrit, quae in monumentis Eugubinis ſaepiſſime. Voces praeterea duae ſacrum aliquod indicant, *precum* & *cerurumein*. Vtraque in iiſdem monumentis Eugubinis modice variata obſervatur, nempe *praco pracatarum*, quod *precum precatarum* ſignificat: & reſpondet formulae Latinae *bonas preces precor*. De altera voce *cerus*, quae *ſacrum* ſignificat, pluribus inter Roncalienſes actum eſt: *cerurumein* vero eſt ipſa *ceremonia*, quae a voce *cerus* compoſita plane eſt. Quapropter ſubſpicatus ſum aliquid, quod ad ſacros ritus pertineret, ad dedicationem praecipue, in hac memoria contineri: quae quum minime incipiat a ſolita invocatione Manium, a ceteris omnibus differt. Auxilia igitur ad has inſcriptiones explicandas a ſimilibus inſcriptionibus expetenda ſunt. Hoc tamen fieri nequit, niſi eruditi viri omnes uno conſenſu ad haec monumenta colligenda, & ſimul iungenda adlaborent; ut ii, qui ſaeculo feliciore ſtudiis iſtis navabunt operam, cuncta veteris Etruriae veſtigia in ſuas quaſque claſſes diſtributa reperiant, altero nempe alteri opem ac lucem ferente.

X. Quia vero de Cryptarum inſcriptionibus verba fecimus, de poſtrema, quae occurrit apud Dempſterum Tabula XCII. aliquid adtingamus. Torſit ea multorum ingenia, quippe quae quum antiqua ſit, ac minime ſuſpectae veritatis, una omnium legi non poteſt. Angit praeterea multos linea illa litterarum, alphabetico ordine diſpoſitarum. Vis ne, GORI AMANTISSIME, ut ſenſum aperiam meum? Luſus eſt antiqui pueri Etruſci, de ſua diſciplina ſtudioque iocantis, qui in adparata picturae area, unum quod norat, litterulas rubricavit. Vide litteras Graeco more abeuntes A. B. G. D. E. Z. I. TH. TH. I. K. L. M. N. X. O. in quibus tamen primum TH. ⊟. ita efformatum obſervabis, itemque ⊟⊟. pro X. Proxima linea habet nexus ſyllabarum, quas pueri noſtrates computationes vocant: MA. MI. ME. MV. NA. NTA. In altera vero MI. LA. LA. LE. quae tamen non Latine, ſed Etruſce procedunt: reliquae vero lineae fortuitas litteras continent, verbum nullum producentes. Quis vero in his divinandis operam perdet ſuam? Vale, AMICORVM OPTIME: & quantocius profer alios Antiquitatum Etruſcarum theſauros, quorum luce ac praeſidio ſtudia noſtra augeantur.


CLASSIS II. TAB. I.




SCENOGRAPHIA ET ICHNOGRAPHIA SEPVLCRI ETRVSCI CORTONENSIS.




PROSPECTVS EXTERIOR ET ADITVS SEPVLCRI ETRVSCI CORTONENSIS.



PROSPECTVS CRYPTAE ETRVSCAE APVD FALARIM.




ICHNOGRAPHIA SEPVLCRI ETRVSCI PROPE CASTELLIN.




SEPVLCRVM ETRVSCVM IGVVINORVM.


CL. II. SEPVL. PERVSINI ICHNOGR. ET SCENOGRAPHIA. T. V.




CLASS. II. T. VI.



SEPVLCRVM ETRVSCVM PICTVRIS ORNATVM. INVENTVM PROPE CLVSIVM ANNO CIↃ.IↃ. CC.XXXIV.




CORNETANAE CRYPTAE PICTVRIS ET LITTERIS ETRVSCIS INSIGNES.


CLASS. II.
T. VIII.
I.
II.
PARIETVM INTERIORVM CORNET CRYPTAE PICTVRAE.
A.
III.
IV.
V.

CLASS.II.

TAB.IX.


ICHNOGRAPHIA CRYPTAE INVENTAE VOLATERRIS A. CIↃIↃ. CC.XXXIX. IN PRAEDIIS FRANCESCHINIIS.



CLASS. II.

TAB. X.

SCENORAPHIA CRIPTAE INVENTAE VOLATERRIS ANNO CIↃ.IↃCC XXIX IN PRAEDIIS FRANCESCHINIIS.



Menſura Brachior. Florent. XII.

ſt. Maſſius Arch. del.


V. F. Scul.



V. Franceschini Scul.

ARA MARM. INVENTA A. CIƆ. IƆ. CCXXXIX. IN SEPVL. ETR. VOLAT.


CLASS.II. T. XII.




Anton Boſs fc.

SEPVLCRVM ETRVSCVM CVELNIORVM IN AGRO SENENSI INVENTVM
A.CIƆIƆ.CCXXVIII. NVNC PRIMVM SEX TABVLIS EDITVM.

CLASS.II. T. XIII.




Ponton Bos f.




Anton Bosi sc.

CLASS. II. T.XV.




Anton Bosi sc.




Anton Boſi ſc.

CLASS.II. T. XVII



Anton. Bosi sc.



Io. Batta. Paſſerius del. SEPVLCRVM IGVVINORVM V. Fra. Scul.



MVSEI ETRVSCI
CLASSIS III.

DISSERTATIO III.

DE SEPVLCRORVM ETRVSCORVM ORNAMENTIS.

PROOEMIVM.

QVod Panvinius vir immortalis , de ſtudio Romanarum Antiquitatum a ſe inſtaurato amplificatoque , identidem adfirmabat (1) , nullam artem eodem tempore & inventam ſimul eſſe & abſolutam ; nam omnes humili tenuique ab initio profectae , paullatim, quaſi per gradus adſcendentes, ad id quod ſummum videtur pervenerunt : idipſum liceat & mihi de pulcherrima , atque utiliſſima Etruſcarum Antiquitatum inveſtigatione , in quam haſce ſymbolas contuli , auſpicato vaticinari : fore aliquod tempus , forſitan non longe remotum , in quo ea , quae adhuc nonnullis involuta tenebris deliteſcunt , accuratius limatiuſque expenſa a doctis hominibus , genuino in lumine ita conlocentur, ut nullae controverſiae , nullumque dubium ſuperſit :

(1) Vide Praefationem in Comment. Reip. Rom.

& ſi quae in antiqua Etruſcorum lingua intelligenda adhuc remanent offuſae nubes, poſt tot illuſtrium virorum, & meas quoque lucubrationes ac vigilias, penitus diſcutiantur.

II. Mirum autem in modum huiuſmodi ſtudia clareſcere atque amplificari poterunt, ſi alia Monumenta in lucem quantocius proferantur; nam illud perſpectum exploratumque eſt, in eorum collatione univerſos huius ſtudii & inveſtigationis progreſſus conſiſtere, atque huiuſmodi Vetuſtatis reliquias mutuam ſibi lucem conferre. Neceſſe igitur eſt, ut non ſolum viri docti in Antiquitatibus Etruſcis illuſtrandis egregiam navent operam; ſed cum his opus eſt, ut in ſingulis Etruriae urbibus certent, ſeque ſocios addant nobiles ac locupletes Viri, qui publico bono haec Monumenta undique conquirant, nec perire aliove diſtrahi patiantur; & hoc amplius in his colligendis conquirendiſque ſagacem diligentiam adhibentes, opes ſuas in effodiendis agris, atque eruendis e terrae viſceribus praeclaris hiſce maiorum noſtrorum eruditis reliquiis, liberaliter impendant. Crevit enim hac noſtra aetate amplificatumque ſummopere eſt Etruſcarum Antiquitatum ſtudium, ex quo praeſtantes genere ac virtute Viri, quos in mea *Hiſtoria Etruſca Antiquaria* eximiis laudibus recenſui, certatim antiqua haec Monumenta e tenebris eruerunt, atque ab interitu vindicarunt: iiſdemque ſummo labore collectis, maximiſque ſumtibus undique conquiſitis, Muſea ſua inſtruxerunt, viriſque doctis illuſtranda tradiderunt. Pretioſa hac Etruſcae Vetuſtatis ſupellectile in lucem cum a Bonarrotio, tum a me prolata, & quis non videt quantum ingenia Italorum in his explicandis ſtatim inclaruerint, quam felices progreſſus fecerint, & quantos deinceps facturi ſint? Illud plane compertum atque exploratum eſt, a maioribus noſtris, bellis domi foriſque diſtentis, ea vel neglecta, vel fracta, ac diſperſa, & in calcem etiam redacta fuiſſe, & per annos ferme trecentos, poſtquam inventae ſunt toto orbe celeberrimae Tabulae Eugubinae, turpiter deſides torpuiſſe cum Italos, tum etiam Tranſmarinos litteratos homines; quia aut nulla, aut quampauciſſima tunc prodierant Etruſcorum antiqua Monumenta: & quae inventa fuerant, quia deerant alia plura exemplaria quibus cum conferrentur, ſpuria & falſa iniquo iudicio habebantur; quare veluti deſperatum, nulliſque ingenii viribus adſequendum opus, Etruſcae antiquae linguae inveſtigationem reiecerunt, exemploque ſuo alios, ne hoc ipſum ſtudium deguſtarent, coëgerunt.

III. Eximium hoc beneficium, etſi non uno in loco litterariae Reipublicae factum praedicaverim a Doctiſſimo ac Praeſtantiſſimo

Ro-

Romanae Aulae Praeſule MARIO GVARNACCIO, Patricio Volaterrano, atque ab eius germanis Fratribus longe ornatiſſimis, IOANNE Praepoſito Volaterranae Eccleſiae, & Ordinis D. Stephani Equite, & a PETRO Equite Hieroſolymitano; hoc tamen in loco, in quo praeclara Etruſcorum Monumenta ab iiſdem collecta, nunc primum a me proferuntur atque illuſtrantur, praecipua certe cum laude memorandum eſt; quod nempe ab anno CIↃ.IↃ.CC.XXXVIII. ad hoc uſque tempus, ingentibus ſumtibus, ac perpetuis curis tot patrias Tuſcorum Volaterranorum memorias e terrae ſinu ac latebris proferendas curarint, ut perinſigne MVSEVM exſtruxerint: & quidem (quod omnem laudem ſupergreditur) non alia plane de cauſa, niſi ut patriam ſuam, quae Etruſcae gentis nomen, gloriam ac potentiam mirifice propagavit, hiſce ornamentis omnigenae eruditionis nobilitarent, ſuiſque impendiis dignitati atque utilitati litterarum proſpicerent: quod plane egregium voluntatis propoſitum in fronte ipſa nobiliſſimi Muſei ſui, ad perpetuam tam ſingularis beneficii memoriam, hac epigraphe candido marmori inſcripta, teſtari voluerunt.

ETRVSCA MONVMENTA
DIVTVRNO LABORE ET CVRA
E PLVRIMIS ERVTA VOLATERR. HYPOGAEIS
GVARNACCII FRATRES
MARIVS ROMANAE AVLAE PRAESVL
IOANNES D. STEPHANI EQVES
VOLATERRANAE ECCLESIAE PRAEPOSITVS
ET PETRVS EQVES HIEROSOLYMITANVS
EXCITATIS TVM CIVIVM TVM LITTERATORVM
HOMINVM STVDIIS. MVSEO EXSTRVCTO.
IN PATRIAE DECVS ET ORNAMENTVM
DEDICARVNT. ANNO CIↃ.IↃ.CC.XLII.

IV. Sed ea, quae in laudem tum MVSEI GVARNACCII, tum PVBLICI, quod exſtat in Palatio Priorum, adferri poſſunt, hoc ſincero quidem & pulcherrimo elogio honeſtavit cumulavitque Vir Illuſtriſſimus Marchio Maffeius, qui anno CIↃ.IↃ.CC.XXXIX. optatus Guarnacciorum hoſpes, per aliquot dies Volaterris moram ſumma cum voluptate trahens, Etruſcas Vrnas omnes vel opere anaglypho, vel epigraphe inſignes obſervavit ac deſcripſit, &, dum inte-

rim ex Hypogaeis Sepulcris eruerentur, impenſis Clariſſimi Praeſulis MARII GVARNACCII, interfuit, & vidit; quare haec praeclara Civium nobiliſſimorum ſtudia ſummis laudibus ita illuſtravit (1): *Ma non ſa, che ſia antichità Etruſca figurata, chi non è ſtato a Volterra. Queſta nuova applicazione alle coſe Etruſche ha fatto ſcoprire gran numero di reliquie non meno curioſe, e dalle comuni diverſe, di quelle che ſi vanno a cercare con lunghiſſimi viaggi in Oriente. Ben ſeſſanta Caſſette funerali, iſtoriate a rilevo, ſi veggon' ora nel ſolo Muſeo pubblico di quella Città, fra le quali non poche di bella maniera, e di buon diſegno. Molto vi ſi rappreſenta, che non viene da Storie o Favole conoſciute; ma di ciò non è queſto il luogo. E' particolare anche la materia; perchè la maggior parte ſon d' alabaſtro, pietra nobile di quel territorio nativa. Nè quella raccolta è ſola. Ammiraſi fra l' altre il bel Muſeo di Monſignor Mario Guarnacci: il quale, ſiccome tra i Prelati tanto ſi diſtingue in Roma, così ha voluto ſegnalarſi nella Patria, facendo ſcavare ſenza riſparmio ne' ſuoi beni, e favorendo nobilmente, inſieme co' degniſſimi ſuoi Fratelli, chiunque nell' erudizione Etruſca ſi adopera.*

V. Ad patriam veterum Etruſcorum Volaterranorum Hiſtoriam, Religionem, mores, & ritus illuſtrandos maxima profecto praeſidia ſuppeditant haec Monumenta: quae eo magis in pretio habenda ſunt, quia certo ſcimus non aliunde advecta, ſed in proximis eiuſdem urbis agris eruta, & cum his eximiis ingenuitatis ac ſinceritatis notis in lucem a me miſſa fuiſſe. Plurima dum eruerentur ex Etruſcis Cryptis, ipſe quoque non ſemel vidi & interfui: atque ex his non Vrnas tantum, ſed picta etiam Vaſcula, & pretioſam ſupellectilem effoſſam ſum contemplatus, & a peritis Pictoribus ante meos oculos diligenter delineandam curavi. Haec, quum iam diligenti ſtudio adnotaverim, uberem mihi praebent materiam, primum diſſerendi DE ETRVSCORVM SEPVLCRORVM ORNAMENTIS; quibus obſervationibus praemiſſis, mox ad ſingula elegantiſſima MVSEI GVARNACCII Cineraria emblematis, inſculpta variis, illuſtranda gradum faciam. Neque haec ſilentio praetereunda eſſe duxi, poſtquam de ipſis Hypogaeis Sepulcris Etruſcorum, deque eorum externa atque interna Architectura in ſuperiore Diſſertatione verba feci.

CA-

(1) Tom. V. Obſervat. Litter. pag. 315. & 316.

C A P V T I.

Vrnae cinerariae & Ollae, praecipua Sepulcrorum Etruſcorum ornamenta, obſervantur.

I. De Etruscorum sepulcrorum ſtructura, aditu, portis, oſtiis, valvis, lacunaribus, ſcamnis, ac parietibus pictis inſcriptiſque poſtquam diſſerui, Vrnae, cineribus mortuorum ſervandis dedicatae, religioſoque ritu conſecratae, obſervandae ſuperſunt. E cinerariis hiſce arculis, anaglypho opere ſculptis, omnem fere hauſimus ſcientiam rituum ac morum veterum Etruſcorum. Hae nobis patefecere, quae ad Religionem huiuſce inclitae gentis pertinent, quae opiniones, quique Dii & Heroës cum Graecis Latiniſque communes apud eos culti: quae peculiares Fabulae ſive Hiſtoriae, quae ſacrificia, quae anathemata ſive donaria, quae in funeribus habita ſacra & caerimoniae, qui luctus, quae lugubres veſtes, qui honores tributi mortuis, quae horum populorum opinio circa defunctos, quae artes & ſtudia, qui ludi in eorum honorem inſtituti, quae Magiſtratuum inſignia atque ornamenta, quae demum illuſtriores apud eos familiae fuerint.

II. Fuere Deorum Manium ſacra, ritus, atque honores, teſte Catone in Commentariis Iuris Civilis (1), occultae & abditae Religionis; adeo ut de Etruſca nihil prorſus hodie ſciremus, deperditis iam Acheronticis libris, & Pontificum voluminibus, quae ſacra iura docebant, ni ad hanc eruditionis partem profecto maximam, praeſidium & lucem Vrnae ſepulcrales, Hiſtoriis patriis ac peregrinis caelatae, quibus inſtar libris uſi ſumus, ſuppeditaſſent. Thomas Dempſterus, qui de Etruſcorum ritibus, inventis, ſtudiis, & artibus diſſeruit, ſeptemque Libros in his illuſtrandis copioſe ſcripſit, de Etruſcorum funere omnino ſiluit. Etruſcae eruditionis theſauros, horum Monumentorum ope, primus omnium aperuit, Florentini Senatorii Ordinis decus, Bonarrotius: mox Celeberrimi viri Bourguetius, Oliverius, & Maffeius: inde ego, qui Bonarrotii veſtigia ſecutus, plurima Etruſcorum monumenta nunquam antea edita trecentis Tabulis ad hoc uſque tempus, & totidem poſtmodum, Deo dante, in lucem protuli ac proferam: inde etiam ſpartam hanc optatiſſimam diuturnis vigiliis & lucubrationibus feliciter occupavit vir Praeclariſſimus Ioannes Baptiſta Paſſerius, qui tenebras

, pae-

(1) Vide Feſtum in v. *Mundus*.

paene omnes, quae hoc ſtudium occupabant, omnigenae eruditionis ſuae luce diſcuſſit, qua auſpice, me multum profeciſſe ingenue profiteor. Is Acherontica Tuſcorum ſacra, quae divinitatem defunctorum animabus, ut ſtulte credebant, largiebantur, egregio Commentario illuſtravit: de Genii Domeſtici cultu deque Laribus erudite diſſeruit: funebres ritus oſtendit: epitaphia, Etruſcis tumulis inſculpta, explicavit.

III. Nunc haud pauca in Etruſcorum Vrnis, quae praecipua ſunt Sepulcrorum ornamenta, elucidanda mihi ſuperſunt. Primum de qualitate, de varia earum figura, de Sculptoribus Tuſcis, denique de earum emblematis nonnulla praemittenda ſunt. Vrnae Etruſcae aliae ſunt marmoreae, aliae e Tiburtino lapide, aliae e topho, aliae fictiles: ex his item aliae purae, praeter inſcriptionem, nullis ornamentis inſignes: aliae ſculpturis variis, ad haec columnis & architectonico cultu, & imaginibus Defunctorum pereleganter ornatae. De Ollis cinerariis, deque Vaſculis pictis poſtmodum dicam. Quod ad earumdem Vrnarum ſive Arcularum figuram adtinet, quadratae hae ſunt, perparvae; adeout maiores vix pedes duos Romanos latitudine, altitudine vero ſimul cum operculo unum ſupra dimidium vix excedant.

IV. In ſingulis Cinerariis Vrnis titulus brevis eſt, ut facile unico obtutu legentibus declararet Defuncti nomen, cuius cineres in his ſervabantur. Iidem tituli vel in medio huiuſmodi Arcularum ſive Cinerariorum corpore, vel ſuperne in operculis, interdum in una tantum, interdum etiam in utraque tecti facie, & non raro etiam in labro ipſo operculi ſcripti ſunt, uti videre eſt in adlatis exemplis. Opercula in utroque latere trianguli figuram ſuperne referunt; adeoque ſi Vrnas hinc inde ſpectes, parvi, ut ita dicam, templi ſpeciem quamdam praeferre videntur. Proprium enim templorum, & aedium ſacrarum fuit faſtigium, quae pars utique nobilior in aciem deſinebat, cuius in tympano Deorum, quibus ea templa dedicata erant, nomina notari ſolebant. Huiuſmodi faſtigium divinitatis inſigne habitum eſt: quare haud mirum defunctorum Manibus, quos Deos cenſebant, tributum fuiſſe, quum huiuſmodi divini honoris teſtimonium Caeſari adhuc vivo a Senatu adſignatum ſit, qui primus habere coepit in domo ſua, in quo ſequentes Caeſares imitati ſunt, & poſtea etiam alii proceres uſurparunt: idque e *Statio conſtare Bernardinus Baldus Vrbinas adnotavit* (1). *Harum Vrnarum, ſive Cinerariorum, quae e Tiburtino marmore conſtant, exempla non pauca habes in Volumine I. Muſei Etruſci in Tabu*lis

(1) Vide in Lexico Vitruviano in v. *Faſtigium*.

lis CXCI. CXCII. CXCIII. CXCIV. & CXCV. e locupletiſſimo Muſeo Bucellio depromta. Ex his illud ſpectatu digniſſimum in Tabula CXCII. num. 11 I. quod tecti in morem utrinque declivis, eleganter tegulis opertum adparet, ſacramque aedem faſtigio ſuo refert. Alterum, quod viderim exemplum, exhibet marmoreum Etruſcum Cinerarium, templum referens, titulo tamen deſtitutum, quod Senis exſtat apud Nobiles Borgheſios, & opportuno in loco proferam. Sed vero propius templorum faſtigia in utroque latere repraeſentant Cineraria Cuelniae ſive Cilniae gentis, quae a me iam edita ſunt. Manavit inde hic mos ad Romanos, qui marmorea Cineraria tum quadrata, tum rotunda ad inſtar parvi templi in eum modum aedificarunt, uti me iam oſtendere memini ad Monumenta, quae exſtant in Muſeo ſuburbano Strozio, exemplis ex eo adlatis (1). Quod ſi quis eſt, qui huiuſmodi Etruſca Cineraria ſive Oſſuaria quadratae formae, quorum opercula in utroque latere Graecum Δ referunt, & tegulis operta repraeſentantur, non aedium ſacrarum aut aedicularum figuram, ſed potius in ſpeciem domeſticarum domorum exſtructa arbitretur, huic quoque opinioni non adverſabor; nam Sepulcrum DOMVS AETERNA dicitur in antiquis inſcriptionibus (2): & in quodam ſepulcrali titulo apud Fabrettum legitur (3): DOMO. MORT. SAC. *Domo Mortis ſeu Mortuorum ſacrum*: quo etiam nomine in divinis Litteris Sepulcrum deſignatur, uti praeſertim in Pſalmo XLVIII. verſ. 12. *Et Sepulcra eorum DOMVS illorum in aeternum*. Quod ad titulos Cinerariorum pertinet, nonnulla mox obſervanda proponam, & familiarum nomina, itemque hominum ac mulierum nomina ac praenomina, atque inſuper numerales notas breviter expendam.

V. Cinerariorum Etruſcorum ſimplex elegantia, nullis fucata Sculptorum lenociniis, primi aevi vetuſtatem perſpicue oſtendit. Arculis in hanc formam aedificatis uſi quoque ſunt Latini, & Romanorum antiquiſſimi, uti apud Sanctem Bartolium Cineraria Furiorum teſtantur. In arca ſitum fuiſſe in Ianiculo Numam, qui Romae regnavit poſt Romulum, memorat Plinius (4), auctoritate Caſſii Heminae vetuſtiſſimi Annalium auctoris. Secutis temporibus ſeverior illa patrum parſimonia, quae Cinerariis hiſce parvis ac minime ſumtuoſis contenta erat, ſenſim ad maiora ornamenta humana ambitione prolapſa eſt; quare ſi quis ſingula ſpectabit, temporum ordinem facile deprehendet. Frequentiora quorumdam Cinerariorum ornamenta, quae paſſim occurrunt, ſunt paterae ſacrificales, peltae, del-

(1) In Par. I. Inſcr. ant. Etr. Vrbium.
(2) Inſcript. Domeſt. Cap. x. num. 562.
(3) Ibidem Cap. IX. num. 166.
(4) Hiſtor. Natur. Lib. XIII. Cap. XIII.

delphines, gryphes: non raro quoque ſculpti ferales flores, ut in his Vrnis Muſei Guarnaccii videre eſt, & ſolutae coronae, ſive encarpi: aliquando etiam feralis menſa, & feretrum: frequenter Mortis imago in larvae ſpeciem: Gorgonis caput, ad Fati vim ac malignitatem declarandam: nonnumquam Deorum Infernalium arma, clava, ſecuris, malleus: item oſtium, quod mortuorum domum deſignat: interdum in his ſculptae lucernae adpenſae, ut in Cluſino Cinerario in Appendice ad Dempſterum Tabula LXXXIV. num. II. Nil vero frequentius roſis occurrit; nam, quod innumerae Romanorum inſcriptiones teſtantur, roſarum profuſiones factas iuſſaſque in parentalibus in honorem defunctorum, ex his Etruſcis Cinerariis uſum huiuſmodi roſarum longe antiquiſſimum fuiſſe comperimus. Teſtamento ſuo Romani cautum voluere, ne quis Sepulcra aperiret, quod in ſepulcralibus titulis frequenter exprimitur. Idcirco Sepulcra ſua ſi in aediculis, aut in tribunis, aut in ſoliis collocarentur; adeoque expoſita eſſent his, qui Conditoria ingrediebantur, laminulis ex aere, poſt inlatum corpus aut cineres, ita claudenda, ne aperiri poſſent, heredibus ac propinquis mandarunt. Exſtat in meo Muſeo praegrandis Sarcophagus & arcula marmorea, in quibus in utroque latere laminulae aereae, plumbo inſertae & conſtipatae fragmenta ſuperſunt, quae arculae labrum cum operculo coniungebat. Sed huiuſmodi tutamen contra Sepulcrorum violatores in Etruſcis Vrnis, in Cinerariis ſive Oſſuariis nondum obſervavi. Illud notandum ſupereſt, opercula latitudine maiora eſſe ſubiectis Arculis ſeu Cinerariis: nec ſemper eorum faſtigia in acumen ſive aciem deſinere; verum etiam ſuperne arcuata, fornicis ſpeciem referre, quae antiquior fuit Sepulcrorum exterior forma, ut in Cortonenſi Hypogaea Crypta obſervavimus.

VI. Nec ſilentio praetereundum ſingulare illud Cinerarium, a me ſupra adlatum in Tabula XV. num. I. inventum in Sepulcro Cuelniorum, quod intrinſecus duabus loculis ſeu cellulis exſciſum cernimus. Id factum intelligimus, ut defunctorum cineres quietis propinquitate, ſicuti viventes ſanguinis vinculo, fruerentur. Invaluit hic mos etiam apud Romanos, qui in una eademque arca plurium defunctorum cineres in puticulis condiderunt: & Sepulcro biſomo, triſomo, quadriſomo uſi ſunt, quod duorum, trium quatuorve corporum capax fuiſſe nemo ignorat.

VII. Expenſis Cinerariis Etruſcis, quae Tiburtino lapide vel tophaceo conſtant, ad Ollas fictiles, e pinguiori rubra argilla elaboratas, & ipſas ſervandis defunctorum cineribus a Tuſcis noſtris dedicatas, gradum facio. Harum quae fuerit figura, ex adlatis e

Se-

Sepulcro Cuelniae ſeu Cilniae gentis, aliiſque penes Dempſterum Tab. LXXXIII. intelligere poſſumus. Vtrinque interdum anſatae, interdum etiam ſine anſis Ollae occurrunt, plane omnes operculo munitae. Quod autem & in his Ollis conditi fuerint Defunctorum cineres, non ſolum evincunt ſemiuſtorum oſſiculorum fragmenta in iiſdem reperta; verum & Etruſci quoque tituli, in iiſdem vel ſtilo inciſi, vel atramento rubrove colore ſcripti, ſive in corpore, ſive in collo, tum etiam in operculis, qui nomen defuncti declarant. His priſci Tuſcorum, ut in vita, ita poſt mortem, contenti fuere fictilibus Vrnis Olliſque, quum Deos viderent fictiles effigies ſuas non reiicere, nec aſpernari fictilia ſigna, ſtatuas & ornamenta in templorum faſtigiis poſita: neque adhibitas in ſacrificiis ſuis fictiles pateras, nec ſimpuvia, nec capedines aliaque ſacrificalia vaſa ex argilla averſari; ſed tamquam gratiſſima habere. Tuſcis Vaſculis fictilibus egregia arte in Etruria, praeſertim Arretii, fabricatis, ab ipſis urbis incunabulis Romani Reges, Sacerdotes, Veſtales, & mox aliqui Conſulares viri cum in ſacris, tum in menſis publicis ac privatis uſi ſunt. Inſigne adferam Senecae de Tuberone Conſule teſtimonium (1): *Tubero paupertatem & ſe dignam, & Capitolio iudicavit, quum fictilibus in publica coena oſtendit, debere his hominem eſſe contentum, quibus Dii etiam uterentur*. Cum Seneca concordat Valerius Maximus (2). His quoque contenti priſco aevo Romani, teſte Plinio (3): *Quin & defunctos ſe ſe multi fictilibus doliis condi maluere, ſicuti M. Varro, Pythagorico modo, in myrti & oleae atque populi nigrae foliis. Maior quoque pars hominum terrenis* (forte *Tyrrhenis*) *utitur vaſis*. Mitto alia Scriptorum loca, ne Dempſteri ſcrinia, ut nonnulli taciti faciunt, expilare videar. Illud adnotare lubet, miram ac plane ſingularem in fingendis ex argilla vel tenuiore terra Vaſculis, & in igne excoquendis, fuiſſe Tuſcorum ſolertiam ac peritiam: quam in Italia, & maxime in Etruria, elaboratam ac perfectam fuiſſe, docet Plinius (4); ſed de Etruſcorum Plaſtice infra rurſus ſermo.

VIII. Reperiuntur frequenter in Sepulcris Etruſcorum non Cineraria tantum, ut diximus, pura, nullo nempe titulo inſcripta; verum etiam Ollae: quod praeſertim nobis innotuit, effoſſo paucis abhinc annis integro Cuelniorum Sepulcro in agro Senenſi. Erit fortaſſe qui ſcire cupiat, cui nam uſui haec inania Vaſcula fuerint deſtinata. Ea idcirco pura, quia nondum conſecrata, & cineribus Defunctorum cuſtodiendis addicta oppletaque, crediderim: quod ex ipſis Romanorum Monumentis, licet ſequiore aevo conſtructis, colligi

(1) Epiſt. XCVIII.
(2) Lib. IV. Cap. III.
(3) Hiſt. Nat. XXXV. Cap. XII.
(4) Ibidem.

poteſt; in quibus tum ipſum Monumentum, ſi mortuorum cadavera in illud inlata non fuiſſent, *virginem*; tum Ollas, ſi nondum ſuſcepiſſent Defunctorum cineres, adeoque vacuae eſſent, & ipſas *virgines* adpellarunt. Huiuſmodi fuit Sepulcrum Chriſti Domini Servatoris noſtri in petra exſciſum, in quo nondum quiſpiam poſitus fuerat, ut Sancti Evangeliſtae teſtantur. Apud Fabrettum (1) haec in Romanorum Religione exempla occurrunt: HOC MONVMENTVM VYRGINEM SE VIVI COMPARAVERVNT. & in alio titulo: SE VIVVS EMIT. ET. COMPARAVIT. LOCVM. VIRGINEM. item in alio: COLVMBARIA. XII. IN. QVIBVS. OLLAE. VIRGINES. N. XXIIII. Haec Oſſuariorum exempla, & ipſa etiam Tuſcanica Conditoria inſcriptione ornata, perſpicue docent, Etruſcos, dum viverent, ea ſibi aedificare conſueviſſe; adeoque, tum Cineraria tum Ollaria, iam praeparata, tunc inſcripta fuiſſe intelligimus, quum cineres Defunctorum in his reconderentur: quo facto, Pontificum auctoritate, ea conſecrabantur & dedicabantur. Id etiam in more poſitum apud Romanos, docent tum Monumenta ipſa, tum epitaphia, quae viventes ſibi poſteriſque ſuis Sepulcra exſtruxiſſe teſtantur. Cur vero id facerent, indicat Plinius in Epiſtola ad Albinum (2): *Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipſi nobis debeamus etiam Conditoria exſtruere, omniaque heredum officia praeſumere.*

IX. Deſcriptis hiſce Cinerariis Vrnis & Ollis adde amphoras fictiles, quae, excavatis in ſolo Sepulcri, ſive in maſſa, ſive in ſoliis quibuſdam ſcrobibus aut puticulis, defodiebantur obruebanturque, adnotato in operculis nomine Defunctorum, quorum cineres in his occludebantur. Id coniicimus ex anaglypho Etruſcae Vrnulae marmoreae Peruſinae penes Dempſterum Tabula LXXXV. num. 1.

CAPVT II.

Nobiliores Etruſcorum Vrnae Ollaeque ſepulcrales, & nonnulla de antiquitate Plaſtices, Sculpturae & Picturae Etruſcorum obſervantur.

I. DE Etruſcorum Vrnis, anaglyphis variis inſculptis, proindeque nobilioribus, in quibus reconditi Defunctorum cineres, nonnullas obſervationes adlaturus, a fictilibus exordium ſumam; nam Plaſticen artem, omnium

(1) Inſcript. Domeſt. Cap. I. n. 308. 309. & 307. (2) Lib. VI. Epiſt. x.

omnium eſſe antiquiſſimam , nemo ignorat ; quin matrem Statuariae , Scalpturaeque & Caelaturae , teſte Plinio (1) , laudabat Praſiteles , qui quum eſſet in omnibus his ſummus , nihil unquam fecit, quod antea non finxiſſet. Hanc artem a Tuſcis excogitatam, aliqui Scriptores apud Clementem Alexandrinum adfirmant (2). Plinius , poſtquam varias veterum Auctorum opiniones adtulit, qui vel apud Corinthios a Dibutade Sicyonio primo figulo ; vel in Samo a Rhoeco & Theodoro inventam tradunt , mox per quos in Italiam invecta ſit , his verbis memorat (3) : *Demaratum vero ex eadem urbe* (Corintho) *profugum , qui in Etruria Tarquinium Priſcum Regem populi Romani genuit , comitatos fictores Euchira & Eugrammum : ab iis Italiae traditam Plaſticen* . Sed Plinius eam laudem, quam Graecis dederat, moderans, mox ab Italis, & maxime ab Etruſcis , Plaſticen ad eximiae perfectionis decus evectam , & quidem paullo poſt Romam conditam , ita ſcribit : *Praeterea elaboratam hanc artem Italiae , & maxime Etruriae : Turianumque a Fregellis adcitum , cui locaret Tarquinius Priſcus effigiem Iovis in Capitolio dicandam ; fictilem eum fuiſſe , & ideo miniari ſolitum : fictiles in faſtigio templi eius quadrigas , de quibus ſaepe diximus . Ab hoc eodem factum Herculem , qui hodieque materiae nomen in urbe retinet . Hae enim tum effigies Deûm erant laudatiſſimae* . His adde Veientes Etruſcos , in figlinae artis operibus effingendis praeſtantes , quibus uſos fuiſſe Romanos , teſtatur Feſtus (4) : adde M. Varronis inſigne teſtimonium , qui auctor eſt , fictilia omnia opera apud Romanos ad ornatum ſacrarum aedium dicata, Tuſcanica fuiſſe, & longe antiquiora his, quae Graeci Plaſtae laudatiſſimi Damophilus & Gorgaſus, iidemque Pictores in Cereris aede Romae ad Circum maximum perfecerunt. Sed quod Graeci, ſua ſemper extollentes, hanc quoque laudem ſibi tribuant, frequens inclitae nationis omnem ſtudiorum & artium gloriam , & praeclara quaeque aliorum inventa ad ſe trahentis , invidia eſt : illud mirandum , Romanos , potius Graecis longe poſitis , quam vicinis Etruſcis , multorum ſcite excogitatorum gloriam tribuere maluiſſe : quod iam antea Bonarrotius obſervavit (5).

II. Fictiles Vrnae , quae a nobis proferuntur , Plaſtices virilitatem , quam Etruſci diuturno uſu ſequutis temporibus acquiſiverunt, nobis oſtendunt. Harum Vrnarum anaglypha, non prototypa, ſed ectypa ſunt , & ita ea adpellat Plinius (6) , quae fictiliarii Etruſci artifices, forma ad id parata , in ipſa argilla pura imprimebant, & inde in fornace igne excoquebant. Conſueverunt etiam ea anaglypha

(1) Hiſt. Natur. Lib. XXXV. Cap. XII.
(2) Stromat. Lib. I.
(3) Ibidem.
(4) In voce *Ratumena Porta* .
(5) In Append. ad Dempſt. §. XXXVII.
(6) In loco ſupra memorato.

adhuc cruda variis coloribus obducere, & ita picta igne excoquere: quod etiam ab Aegyptiis factum, complura parva ſimulacra nobis teſtantur: qua in re tanta artis ſolertia peritiaque Tuſci uſi ſunt, ut Vrnae non paucae, quae ſuperſunt, poſt bis mille & amplius annos, colores tam floridos hodie ſervent, ut recenter pictae videantur. Colores, qui in hiſce picturis Etruſcorum occurrunt, hi praecipue ſunt: albus, niger, rubrus, purpureus, roſaceus, amaranthynus, violaceus, amethyſtinus, flavus, pullus, caſtaneus, viridis. Sed colorum ſymmetriam, quibus fictiles Vrnas ornarunt Etruſci, ſi quis accurate obſervare cupit, adeat Bonarrotium ad Tabulam LXXXVI. in Appendice ad Dempſterum, qui colores omnes ab Etruſcis adhibitos in his picturis oſtendit. Idem vir ſagaciſſimus ſubſpicatur, fictilia haec anaglypha prima picturae fundamenta ieciſſe, vel ſaltem quaſi lumen primis picturae artificibus praetuliſſe. Emblema illud, quod frequenter exhibent Vrnae Etruſcae, nempe animarum Defunctorum ad Elyſios profectionem, praeeuntibus duobus Geniis, Volaterris expreſſum vidi in antiquiſſima Vrna tophacea, lineari pictura in plano, quae conſtabat quinque coloribus, rubro, pullo, flavo, ac viridi, adſervata in Hortis ſuburbanis Franceſchiniis: quae ſtatimac inventa eſt, ob nimiam oſcitantiam, aëris, aeſtus, ac pluviarum iniuriis expoſita, omnino intercidiſſet, ni, dum colores adhuc aliquantulum vigebant, delineandam curaſſem. Singulare hoc exemplum, Bonarrotii opinionem confirmat (1), quod anaglypha iſta fictilium Vrnarum variis coloribus picta viam picturae in plano, & colorum diſpoſitioni & harmoniae, quod valde probabile eſt, facile aperuerint.

III. Exſtant etiam in multis Muſeis, quae paucis ab hinc annis ſibi inſtruxere illuſtres Viri, aliae Vrnae fictiles, ſed rudioribus ſculpturis impreſſae: quae licet variis coloribus ornatae obductǎeque hodie non adpareant; tamen antiquitus pictas fuiſſe, non eſt dubium: & ſubſpicor, colores, quia craſſiores, nec adhibitos perita Artificum manu, vel vitio ſuo, vel temporum labe evanuiſſe. Tanta porro peritia in operibus ex argilla perficiendis, pingendiſque, & igne excoquendis praecelluere antiqui Tuſci, ut ea etiam auri bracteis inducere calluerint: quod egregium opificium obſervavi non ſemel in pluribus monumentis, & in quibuſdam Baccharum, Satyrorum, & Faunorum capitibus, ex argilla effictis, inventis in Sepulcro Cuelniae gentis in Agro Senenſi, quae protuli in Muſei Etruſci Tom. I. Tabula LXVII. & obſervationes nonnullas adieci in eiuſdem Tabulae explicatione (2). Alia etiam exempla heic adferre

(1) In Append. ad Dempſt. §. xxxvii. (2) Tom. II. pag. 155.

ferre poſſem de inaurandi arte veterum Etruſcorum, niſi me alia, mox producenda & explicanda, ad ſe vocarent.

IV. Figlinis Etruſcorum operibus adcenſendae ſunt Tegulae fictiles, interdum ornatae imaginibus Defunctorum, ut in Tabula LXXXIII. num. x. in Appendice ad Opus Dempſteri; frequenter vero eorum nominibus, litteris Etruſcis, ſcriptae, quarum in Tuſcorum Sepulcris frequentior uſus, praeſertim apud Politianos & Cluſinos: qui nobis innotuit, egregiis in haec ſtudia amplificanda curis Nobiliſſimi Viri Petri Bucellii, qui iiſdem magna copia Muſeum ſuum refeiſit inſtruxitque: eximium quoque nactae Interpretem Ioannem Baptiſtam Paſſerium, qui eas, me rogante, Diſſertatione illuſtravit. Plurimi faciendi ſunt harum Tegularum tituli, Etruſca lingua ſenſim in Latinam abeunte ſcripti; quare hinc arguimus, Tegularum huiuſmodi uſum apud Etruſcos ſequiore praeſertim aevo invaluiſſe, quem Romani amplexati ſunt, ut oſtendi ad Monumentum ſive Columbarium Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae (1).

V. His Tuſcanicis operibus ex argilla effictis ſocianda videntur Cineraria quaedam e lapide plaſtico compoſita, quae adfert Bonarrotius in Tabula LXXXIII. num. vi. & vii. quod opus in antiquis officinis apud Cluſinos & Politianos quammaxime inclaruit. Adde caput Perſephones ſive Furiae alatum, ex albo lapide, Peruſiae inventum, quod adfert idem Bonarrotius in Tab. LXXXIV. num. viii. quae plaſtica opera igne indurata fuiſſe videntur.

VI. Suſcepto operi conſentaneum videtur, ut deſcriptis fictilibus Etruſcorum Arculis Olliſque, ad ſumtuoſiores eorum e marmore ſculptas Vrnas gradum faciam. Hae magna copia erutae ſunt, & frequenter eruuntur, ubi marmor vel innaſcitur, vel ubi e proximis locis veteres Tuſci Sculptores commode ad ſe advectum adhibere potuerunt. Fictiles Vrnae ſive Arculae, anaglyphis ornatae, frequenter eruuntur prope Politianum, perraro ibidem marmoreae: prope Cluſium & Senas marmoreae & fictiles crebro effoſſae: Cortonae autem omnes fictiles; Peruſiae marmoreae paene innumerae exſtant, fictiles quampauciſſimae. Vtroque genere non paucae apud Piſaurenſes, Iguvinos, & Tudertes inveniuntur; illudque adnotandum cum Cl. Paſſerio, Piſaurenſes in operibus ex argilla fingendis valde praeſtantes fuiſſe. Volaterris innumerae Vrnae ex nativo eius loci marmore, nempe ex albo alabaſtro, quo mirum in modum Volaterranae lautumiae abundant, ab antiquis Sculptoribus elaboratae; fictiles vero heic nullae exſtant, aut perraro inveniuntur: etſi ad figlina opera conficienda, & in fornace excoquenda, integrae offici-

nae

(1) §. vi. pag. 40. & 41.

nae antiquae inventae ſint , ac nuper duae prope Caecinam, in ditione Ampliſſimi Senatoris Equitis Caroli Ginorii , Patricii Florentini, Marchionis Riparbellae & Caecinae, patuere, quarum rudera adhuc monſtrantur , e quibus antiqua Vaſcula plura & amphorae, earumque immenſae molis fragmenta prodiere . Exſtat in Muſeo Guarnaccio, & in aliis Volaterranis, praegrandis propemodum copia Vaſculorum , quorum varia ingenioſaque figura , ſymmetria , elegantia, tenuitas , nitor, colores, in admirationem & in laudes ſpectatores adliciunt. His Volaterrana Hypogaea Sepulcra referta inveniuntur . Faeſulis , quia mons ipſe non alium lapidem quam arenarium & ſiliceum producit , ex hoc tantum monumenta ſua Faeſulani ſibi & finitimis incolis dederunt . Cineraria e topho ſuperſunt , quibus Etruriae urbes, Volaterrae, Cluſium, Senae, Politianum abundant; ſed e Tiburtino lapide quae ſculpta ſunt Cineraria , frequentiora occurrunt apud Piſaurenſes , Iguvinos , Tudertes , Senenſes, Cluſinos , Arretinos, Politianos , rarius apud Cortonenſes, & apud Viterbienſes ex lapide, quem *ninfro* dicunt .

VII. E Plaſtice , quum ortae ſint artes Statuaria , Scalptura & Caelatura , expenſis Vrnis fictilibus, ad marmoreas gradum facio. Has non raro referre Graecas Hiſtorias, praeſertim Homericas, non eſt dubium : quam meam opinionem nuper contra eos , qui aliter ſentiunt , egregie tutatus eſt C. V. Paſſerius in ſuis Epiſtolis Roncalienſibus . Is vir eruditiſſimus Tudertem Vrnam , a me editam in Tom. I. Muſei Etruſci Tabula CXXXV. Pario marmori inſculptam eſſe adfirmat (1). Hinc non levis ſubſpicio orta eſt, Vrnas haſce vel tunc ſculptas fuiſſe, quum Etruſcorum commercium cum Graecis maxime florebat: vel e Graecia tranſvectas variis hiſce emblematis inſculptas , & per Etruriam ab Artificibus in officinis expoſitas, hiſque venditas, qui dum viverent Sepulcrum ſibi condere & ornare curabant. Priorem opinionem admitto; ſed alteri de tranſvectione huiuſmodi Vrnarum e Graecia, quo minus admittere poſſim, obſtare videntur complura Scriptorum antiquorum teſtimonia , quae Plaſticen, Sculpturam, maxime vero Picturam in Italia viguiſſe, non florente tantum Romanorum Republica , ſed etiam multo ante Romam conditam, ac valde perfectam imperantibus Regibus, perſpicue, ni fallor, evincunt . De Plaſtice, quum ſupra eius antiquiſſimam originem & uſum apud Tuſcos adnotarim , nihil heic dicam; etſi alii non deſint Auctores , qui laudant Tuſcanica opera plaſtica, qui heic addi poſſunt . Nihil etiam de Architectura dicam , poſtquam

(1) Vide Tom. XXII. Opuſculor. Scientif. Epiſt. I. pag. 366. Sed , me latet , hanc ipſam Vrnam inſcalptam eſse Pario marmori.

quam de hac quoque non pauca alibi adtuli. De Sculpturae apud Etruſcos antiquiſſima origine & uſu, Plinii teſtimonium (1) ſilentio minime praeteribo: *Tuſcanica ſigna per terras diſperſa, quae in Etruria factitata non eſt dubium, Deorum tantum putarem ea fuiſſe, ni Metrodorus Scepſius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum eſt, propter duo millia ſtatuarum Vulſinios expugnatos obiiceret. Mirumque mihi videtur, quum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potius aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dedicata uſque ad devictam Aſiam, unde luxuria.* Caſſiodorus laudat Tuſcos Statuarum inventores (2): *Statuas primum Tuſci in Italia inveniſſe referuntur; quas amplexata poſteritas paene parem populum Vrbi dedit, quam natura procreavit.* Sed & Picturam remotis maxime temporibus, ante adventum Demarati Corinthii, qui Tarquiniis Etruſca urbe conſtitit, abſolutam fuiſſe, diſerte docet laudatus Plinius (3): *Picturam linearem inventam dicunt a Philocle Aegyptio, vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardius Corinthius & Telephanes Sicyonius, ſine ullo etiamnum colore, iam tamen ſpargentes lineas intus. Ideo &, quos pingerent, adſcribere inſtitutum.* (Id & ab Etruſcis factum paterae figuris & Etruſcis litteris ornatae lineari caelatura docent) *Primus invenit eas colorare, teſta (ut ferunt) trita, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium, fuiſſe, quem tradit Cornelius Nepos, ſecutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Priſci Romani patrem, fugientem a Corintho iniurias Cypſeli tyranni, mox docebimus.* Poſt haec ita concludit Plinius: *IAM ENIM ABSOLVTA ERAT PICTVRA ETIAM IN ITALIA.* Sed, ne quis dicat, me nimiam Etruſcis laudem tribuere, quod aliqui Cenſores non aequo certe iudicio nuper ſcriptitarunt, Latinos Pictores, qui Hiſtorias admiratione, laudibus ac praemiis dignas pinxere ante Romam a Romulo, ut aiunt, conditam vel renovatam, operae pretium eſt recenſere, ne Latium quoque hac eximia laude fraudetur. Memorat Plinius, Marcum Ludium Elotam, Aetolia oriundum, primum omnium artem pariete pictura conveſtiendi in Italiam invexiſſe, adeoque pinxiſſe Ardeae templum antiquiſſimum, Iunoni Reginae dedicatum, ut obſervat V. C. Ioſephus Roccus Vlpius Soc. Ieſu Presbyter (4). Igitur poſt adlatum ſuperius teſtimonium, quod eſt adnotandum, haec ſubiungit idem Plinius (5): *Exſtant certe hodieque ANTIQVIORES VRBE PICTVRAE Ardeae in aedibus ſacris, quibus equidem nullas aeque demiror tam longo aevo durantes in orbitate tecti, veluti recentes.* Lanuvium quoque, celeberrimam ac vetuſtiſſimam

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXXIV. Cap. VII.
(2) Variar. Lect. Lib. VII. Form. 15.
(3) Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. III.
(4) Tom. V. Vet. Lat. Prof. Lib. X. Cap. IV.
(5) Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. III.

mam Latii urbem, picturas pari antiquitate & dignitate ſpectabiles iactare ait, quae etiam ſua aetate adhuc durarent, & ita deſcribit (1): *Similiter Lanuvii, ubi Atalanta & Helena cominus pictae ſunt nudae ab eodem artifice* (nempe M. Ludio Elota) *utraque excellentiſſima forma; ſed altera ut virgo, ne ruinis quidem templi concuſſae. Pontius Legatus Caii principis eas tollere conatus eſt, libidine accenſus, ſi tectorii natura permiſiſſet.* Hac quoque laude mox Caerem condecorat: *Durant &* *Caere*, *antiquiores* (urbe) *& ipſae:* nempe picturae: *fatebiturque quiſquis eas diligenter aeſtimaverit, nullam artium celerius conſummatam, quum Iliacis temporibus non fuiße eam adpareat.* Ex his igitur colligigimus, Picturae in Italia, & maxime in Etruria, vetuſtiſſimam eſſe originem atque uſum: eam tamen redditam magis magiſque conſummatam ac perpolitam credibile eſt, poſt adventum Demarati, aliorumque eximiorum artificum Corinthiorum, quorum commercio Tuſci multa artibus, quas Graphice complectitur, feraci cultoque ingenio ſuo addiderunt, & ſingulas mirum in modum perfecerunt.

CAPVT III.

De Architectura, ceteriſque Etruſcarum Vrnarum ſepulcralium ornamentis.

I. SVmtuoſiorum Vrnarum ſepulcralium Etruſcarum Architectura, aliaque iiſdem adiecta ornamenta, haud peregrina ſunt, ſed plane Tuſcanica, quae Sculptorum huiuſce nationis mirum ingenium ac ſolertiam oſtendunt. Sed antequam ea deſcribam, illud adnotare lubet, non omnes Vrnas aequalem peritiam, & elaboratum opificium praeferre. Siquidem aliae ſunt eximio ac praecellenti opere anaglypho ſculptae: aliae eleganti: aliae pariter, quae plane rudi & inconcinna caelatura inſcalptas figuras exhibent. Siquidem in celebrioribus Etruriae urbibus plures forſitan Sculptorum officinas fuiſſe coniicio, in quibus Vrnae iam paratae oſtendebantur, ut emerentur ab his, qui Sepulcrum ſibi ſuiſque condere volebant: quod & apud Aegyptios in uſu fuiſſe, ex Herodoto paullo ſuperius adnotavi. In his Tuſcorum officinis ad lubitum emtorum, prout eorum genius, luxus, opes, tenuitaſque exigebant, ſervabantur atque offerebantur Vrnae, vel a peritiſſimis, vel

(1) In eodem Lib. XXXV. Cap. 11.

vel a mediocribus Sculptoribus, vel etiam ab eorum diſcipulis & tironibus caelatae; adeo ut ſingulae Vrnae vel maiore, vel minore, vel tenui etiam pretio venderentur, obſervata opificii, ſeu maioris ſeu minoris, praeſtantia, ſive etiam mediocritate operis, quod in anaglyphis inſumtum erat. Diſcipuli ac tirones praeſtantium Sculptorum eas Vrnas, exquiſitiore artificio elaboratas, & ipſi exprimebant, &, prout ipſi periti erant, ornatas variis emblematis eas perficiebant. Id etiam manifeſte evincitur ex iiſdem Etruſcarum Vrnarum emblematis ac typis; nam thema hoc vel illud, quod in hac vel illa Vrna ſculptum ſpectabis, in aliis compluribus repetitum inaequali ſculptura & opificio tibi occurret. Variant etiam in ſingulis Etruriae Vrbibus Vrnarum themata; nam alia, exempli gratia, peculiaria ſunt Peruſinorum, alia Cluſinorum, alia Volaterranorum, & frequentiora apud hos, quam apud illos obſervantur: & ſic de ſingulis Etruriae populis, quod facilius clariuſque tum ex editis, tum ex his quae mox proferam, intelligetur.

II. Sed docti illi homines, qui marmoreas Vrnas, in Conditoriis Etruſcis inventas, in Graecia ſculptas, & hoc modo elaboratas in Etruriam tranſvectas, & in Etruſcis officinis venditas ſubſpicantur; primum illud oſtendere debent, Graecos, aliquo ſaltem tempore, Vrnas defunctorum ſuorum hiſce cum ornamentis caelare conſueviſſe. Quod ſi dixerint, ſaltem Vrnas Graecorum archetypas primum in Etruriam advectas fuiſſe, ut tanquam prototypa eſſent, e quibus reliquarum Vrnarum caelandarum exempla mox peterentur, multo magis, ut id exemplis oſtendant, opus erit. Sed apud Homerum longe diverſa Elpenoris, Patrocli, Achillis, aliorumque Sepulcra deſcribuntur; nam ad tumulum Defunctorum columella defigebatur (1), in qua vel nomen, vel cum nomine laudes defuncti ſcribebantur. In amphoris reconditos Heroum cineres docet idem Homerus, Patrocli funus deſcribens. Philoſtratus, Achillis Sepulcro ſtatuam, quae eius imaginem referret, adiectam ſcribit, de qua tamen ſilent Homerus & Herodianus (2). Hectoris Sepulcrum ornavit columella, ſuper qua impoſitus eius clypeus cum leonis ſymbolo: cuius ſchema exhibet Homerica Tabula ex Steſichoro Arctino & Leſche, edita a Fabretto num. 110. Eiuſdem Hectoris Sepulcrum duo gradus ſive ſcamna externe ambiunt, in quibus eius mater & ſorores & conſanguinei ſedentes eum plorant: quo conſpecto ſchemate, ſubſpicatus ſum, in Sepulcris Etruſcis, in quibus duo aut tria ſcamna exſciſa ſunt, in ſuperiore atque eminentiore ex his Vrnas Defunctorum collocatas fuiſſe: in imo vero propinquos Defunctorum ſedentes

(1) Iliad. Lib. XVII.

(2) In Caracalla Lib. IV. Cap. VIII.

luxiſſe, & forte ſilicernium celebraſſe. Paſſim apud veteres Scriptores monumenta illuſtrium virorum variis ornamentis & parergis ornata legimus, quae defunctorum vitam, artes, ſtudia, & praeclara inventa denotarent. Interdum etiam impoſita arma & inſtrumenta, quibus in vita uſus quis fuerat, ut in Sepulcris Erethriorum, in quibus Philoſtratus (1) ait ſcripta Graecis litteris mortuorum nomina, & naves inſculptas: quae ἐπιτηδεύματα unus poſt alium hi omnes repetunt, qui de funeribus antiquorum ſcribunt, nec aliquid nobis antea ignotum in lucem proferunt (2). Sed haec ipſa inſignia, itemque artium ac ſtudiorum inſtrumenta, in Vrnis Tuſcorum deſiderantur. Evolvi etiam Pauſaniam, Diodorum Siculum, & Apollodorum, alioſque veteres Scriptores, apud quos vetuſtiſſima, quae deſcribuntur, Sepulcra cum Etruſcis iam a me adlatis ac deinceps adferendis haud convenire didici. Sed haec & alia, quae docti viri, obiectis nonnullis difficultatibus, ſcripſere, ſi otium poſthac erit iucundius ac tranquillius, Deo dante, peraccurate expendam in meis Quaeſtionibus Etruſcis.

III. Cum Graecis ſane in multis conveniunt Etruſci; ſed ea, quae cum iiſdem communia habent, ita ornant, variiſque additamentis, miro ingenio ac ſolertia excogitatis, nobilitant, ut in omnibus elegantioris cultus eos ſtudioſos fuiſſe intelligamus. Achillis Sepulcrum, nempe praealtam marmoream columellam, cum urna eidem impoſita, iuxta quam Polyxena flexis genibus, manibus poſt terga revinctis, a Pyrrho Neoptolemo mactatur, exhibet ſingularis Etruſca Vrna marmorea, quae in meo Muſeo exſtat (3). Graecorum more, Etruſci columellas marmoreas tumulis impoſuere, & quidem Defunctorum nomine inſcriptas; ſed eas longe diverſa figura effinxerunt, & quidem interdum ſuperne corona redimitas, ut exhibent Tabulae XI. & XVI. in Claſſe IV. a me adlatae. Etruſci quoque leones integros, vel capita leonum in ſuis Sepulcris ſequiore aevo expreſſerunt. Verum hoc unico ornamento minime contenti fuere; ſed praeterea peltas & parerga, aliaque Defunctorum propria, adiecere, uti mox dicam, de Vrnis ſymbolicis verba facturus. Adde, interdum Etruſcos Defunctorum Vrnas marmoreas ita ornari iuſſiſſe, ut nec latera ipſa elegantibus anaglyphis ſculpturis vacarent: quod etiam Romani, eorum exemplo, operoſiora Sepulcra ſibi parantes, mox fecerunt.

IV. Peruſinas, Tudertes, Cluſinas, ceteriſque in urbibus Etruriae

(1) Lib. I.
(2) Vide Kirchmannum de Funer. Rom. Lib. III. Cap. XVIII.
(3) Vide Vol. I. Muſ. Etr. Tab. CXLI. num. 1. ſed adverte male a Pictore capitulum pro Vrna fuiſse delineatum.

riae exſtantes Vrnas, ſtatim ac erutae ſunt, non vidi; at Volaterranas, in praediis Franceſchiniis inventas, & non paucas ex his, quae exſtant in nobiliſſimo Muſeo Guarnaccio, ipſemet ſtatim erutas vidi, & dum eruerentur aliquando adfui. Sed has multis ornamentis honeſtatas vidi, quae neſcio, an apud ceterarum Etruriae urbium populos in uſu fuerint. Siquidem marmorea anaglypha adſpexi variis coloribus picta: oculos tum hominum tum equorum nigro colore illinitos, vel gemmatos: togas pictas, & cingula purpureo colore inducta: arborum ramos viridi colore infectos: ornamenta equorum, curruum & carpentorum rotas, arma militum, phaleras, chlamides, partim coloris rubri, & ad purpuram adcedentibus lineis diſtinctas, partim inauratas. Inauratae ſunt ac pictae aediculae: item ſellae curules, pugillaria & volumina, quae homines gerunt. Specula, flabella, & vaſcula, quae tenent mulieres ſculptae in operculis Vrnarum decumbentes, inaurata ſunt: adde ornamenta pulvinarium, quibus innituntur: itemque pocula, in caput animalium deſinentia, quae praeferunt. Auri bracteis intecta ſunt vaſa, quibus ſervi in tricliniis miniſtrant: inaurati torques, armillae, periſcelides, dextrariola, inaures & flabella feminarum: haec & alia tanquam unionibus ornata: pictae corollae laneae, quae e collo ad pectus pendent hominum, qui in Sepulcris tanquam convivantes expreſſi viſuntur. Superfuſi auri bracteas obſervavi non ita leves, ut hodie apud noſtros Pictores in uſu ſunt; ſed paullo craſſiores, & quidem tanta cum liberalitate, ut ſi quis Sepulcrum aliquod Hypogaeum e ſumtuoſioribus ſtatimac inventum eſt, ingrediatur, & admotis facibus Vrnas ſpectare velit, prae auri fulgore, caligantibus oculis, figuras vix internoſcere poſſit. Haec cum nimio luxu coniuncta ornamenta, ſequuta tempora, quibus Vrnae ſculptae ſunt, declarare videntur; nempe quum Tuſci valde deliciis & luxu diffluerent: quo factum eſt, ut degeneres, & ab antiquis moribus remoti, victori gentium populo Romano victi ſubiicerentur: quod anno Vrbis conditae CCCCXLIV. contigiſſe, nemo eſt, qui ignoret. Sed de his ſatis; alia non pauca de hiſce ornamentis in ſequenti Capite obſervaturus, in quo de cultu Defunctorum, eorumque imaginibus erit ſermo.

V. Vrnarum ſepulcralium, praeſertim Volaterranarum, ornamenta, ad Architecturae rationem ſpectantia, etſi non omnia, multa tamen pecularia ſunt, proindeque Tuſcanica. Coronides, quae Vrnarum labra nobilitant, ſi per ſingulas partes ſpectare velimus, multa ornamenta Tuſcorum propria continent: multa etiam, quae propria cenſentur aliorum Architecturae ordinum, ſcilicet denticulos, echinos, aſtragalos. Sed cymatia Tuſci ingenioſis variiſque

ornamentis nobilitarunt. Vrnarum elegantiſſimarum exempla habes in Volumine I. Muſei Etruſci in Tabulis CXXXII. CXXXVIII. CXXXIX. CXL. CXLII. CXLVII. CLIII. CLIV. CLXX. CLXXI. & CLXXV. Alia ornamenta ſpectabimus in Vrnis Muſei Guarnaccii, mox explicandis. De columnis nil dico poſt Bonarrotium, ad quem Lectorem mitto (1). Sed de Etruſca Vrnarum aliquot Architectura, quum egregie diſſeruerit V. C. Ioannes Bapuſta Paſſerius, mihique eximia ingenii ſui monumenta, ut in hoc Volumine publici iuris facerem, dono dederit, haud opus eſt, ut in his dilucidandis diutius morer.

CAPVT IV.

Imagines Defunctorum virorum & mulierum, qui recumbentes vel dormientes ſculpti ſunt in operculis Sepulcralium Vrnarum Etruſcarum, obſervantur.

I. VEterum Etruſcorum Sepulcra, & cinerarias Vrnas marmoreas quoties contemplor, nullam nationem in colendis Defunctis hac effuſiorem ac liberaliorem fuiſſe, ut credam, multa ſuadent. Simplex ille & ſeverioris parſimoniae dignitate plenus honor Defunctis habitus primoribus ſaeculis, quibus plus minuſve ſublimes pro conditione ac meritis columellae marmoreae, & pauperes ollae fictiles, ac lapidea Cineraria in anguſtis ſepulturis recondita cum eorum inſcripto nomine dedicabantur, in inſanum aliquando tranſiit magnificentiae luxum, atque in eam amentiae ac ſuperſtitionis plenam ambitionem abiit, ut excitatis operoſioribus Sepulcris ex immanium lapidum molibus, ea omni cultu, picturis, ſumtuoſioribus urnis & ſtatuis, vaſculorumque immenſa ſupellectile exornare ſtuduerint.

II. Quo magis Etruſcorum crevit luxus, eo magis crevere etiam Sepulcrorum atque Vrnarum ornamenta. Sed profecto peculiaris eſt ille huius nationis mos, Defunctorum imagines in operculis ſculptas imponere Sepulcris, eoſque exprimere tanquam viventes, genio ſuo & hilaritati in conviviis indulgentes, ſpecie illa & habitu corporis, quo dum viverent, diſcumbere atque epulari ſole-

(1) In Append. ad Dempſt. §. XXXVII. p. 76. 77.

ſolebant : & licet ſcirent eos mortuos eſſe ; tamen , ut oſtenderent gratiſſimam eorum apud vivos ſupereſſe memoriam , quaſi feralium epularum , quibus donabantur, participes, recumbentium more expreſſerunt . Quod vero Ethnici dapes & epulas defunctis offerrent, tum in ipſo funere , tum etiam in annuis inferiis , penes tirunculos ipſos Philologos eſt exploratiſſimum , & nil opus eſt, ut adlatis Scriptorum locis id probem . Illud , utpote curioſum , adnotare lubet ex Diario Clariſſimi Praeſulis Marii Guarnaccii , qui Volaterrana Hypogaea Sepulcra paene omnia , quae ſuis impenſis effodienda curavit , diligenter deſcripſit : & , ſi quae occurrerent obſervatione digna , peraccurate adnotavit : anno nempe CIↃ.IↃ.CC.XXXVIII. pridie Kal. Septembres in praediis *del Portone*, effoſſam fuiſſe Cryptam quadratae ſtructurae , latam ac longam Rom. ped. VIII. in quam per ſcalam pedum XIV. patebat deſcenſus , in qua quidem Crypta tres tantum Vrnae cinerariae , ſed inferioris ordinis, inventae : praeterea hac illac diſpoſita erant , immenſa propemodum copia, vaſcula fictilia, quorum forma, quia cum noſtris probe conveniebat, ſubſcipio orta eſt , ad culinae uſum inſerviiſſe. Erutae ſunt aliquot arculae ligneae, quas iam humor & aetas corruperat . Inter haec inſtrumenta e ferro atque ex aere non pauca paene corrupta ; item ollulae fictiles ἀνῶ7αι , lances varii generis, catini , pollubria , cyathi , patellae, inter quas una ex aere inventa eſt . Praeterea in aliquot patinis inventa ſunt oſſicula integra , vel ovium vel hedorum , itemque oſſei articuli, quibus etiamnum pueri ludentes pro talis utuntur : & hoc amplius oſſicula gallinacea multiplicia , & haec inter cuiuſdam volucris oſſeum thorax , & pone vas quoddam aquarium praegrande.

III. Quemadmodum vero in aedibus ſacra erat culina Penatibus Diis , atque hinc Servius culinam dictam cenſet , quod illic ignis colatur (1) , nec liceret vel privata vel publica ſacra ſine foco fieri : ita Diis Manibus prope Sepulcra , vel in aliqua parte iiſdem Sepulcris adnexa , ſacras culinas in uſum parandarum feralium epularum pro Mortuis, fuiſſe coniicio ; quare & in Romanis ſepulcralibus titulis monumenta exſtructa cum ADPARATORIO legimus , de quo vide Fabrettum (2) . Vetuſta marmora a Romanis ſcripta inter iura & partes Sepulcri memorant TABERNAM ET CENACVLVM ; nam in his Defunctorum propinqui epulas iiſdem donandas parabant , & eſcis ipſi quoque parentalium die veſcebantur (3) . Suddit eo loci Servius : Focorum *commemoratione* , *inſtantium* *ſa-*

(1) In Lib. Aeneid. verſ. 469. & Lib. III. verſ. 134. *Hortor amare focos .* ——

(2) Inſcr. Domeſt. Cap. III. num. 609. 610.

(3) Vide Gudianas Inſcript. pag. CCCXXXVI. 13. & CCVII. 3. 8. & paſſim ut in Indice ad Gruteri Theſaurum.

ſacrificiorum mentio inducitur ; quod ita eſſe multis docetur . Quidam aras *Superorum Deorum volunt eſſe :* Medioximorum , *id eſt* , *Marinorum* , focos : *Inferorum vero* mundos . In ea opinione fuiſſe Tuſcos compertum ex dictis eſt , Inferos eſſe in imis terrae partibus ſeu viſceribus , veluti in ima mundi parte , quam Diis Inferorum adſcripſerunt , eamque *mundum* vocarunt . Hinc peti poteſt ratio , cur Etruſci & Latini aliaeque gentes Sepulcra ſua Hypogaea eſſe voluerint ; nam , ſicut Deos Superos ſuperiorem mundi partem colere crediderunt , cui caelum pro fornice eſt : ita & alteram inferiorem, quam *mundos*, & *mundum* dixere , Diis Inferis , ac Diis Manibus conſecrarunt , eumque ter in anno patere putarunt , uti ex Capitone Ateio , Libro VI. Pontificali , adnotat Feſtus (1).

IV. Non pauca exſtant in Muſeis , uti Florentiae in Mediceo & in Riccardiano, Graecorum a me iam edita Sepulcra, ſculpturis & adiunctis inſcriptionibus ornata , quae Defunctos , tanquam prandentes vel coenantes , & cum uxoribus in ſcamnis ſedentes , repraeſentant ; ſed Tuſci non ſolum in ipſis urnis cippiſque pro emblemate Defunctos in lectis tamquam diſcumbentes alio modo expreſſerunt (2), verum etiam (quod a Graecis nunquam factum obſervavi) in ipſis Vrnarum operculis tamquam epulantes Defunctos ſuos inſculpſerunt. Id nemo ibit inficias , ſi imagines cum virorum tum mulierum ſuper urnas iacentium accurate contemplari & obſervare voluerit . Nam viri , quia Tuſci in conviviis , ut obſervat Bonarrotius, ita diſcumbebant , caput corona redimitum habent , geſtantque corollas e collo pendentes , interdum quidem laneas , interdum etiam variis floribus intertextas , & ad modum torquis ante pectus demiſſas ; quae corollae pectorales , raro aut forte numquam , in anaglyphis ac ſignis aliarum gentium occurrunt ; quamvis eas communiter in conviviis adhibitas teſtentur Clemens Alexandrinus (3) , & Athenaeus (4). Hae corollae unguentis aliquando inſpergebantur , & , ut plurimum , convivis diſtribuebantur . Viri tunica & pallio interdum amicti exhibentur , vel nudi cum ſola ſindone ac veſte convivali . Pedes cum virorum tum mulierum nudi ſunt ; quia ante cibum eos lavare & unguentis inungere ſolebant : quos etiam reclinatis genibus colligunt , & in dextram lecti partem extendunt . Iidem pulvillos ſiniſtro premunt brachio , eiſdemque innixi , caput & corpus ſubſulciunt . Viri dextra manu pateras & pocula , ſive cornua in caput animalium deſinentia geſtant ; quia libationes & propinationes in honorem Domeſtici Genii & Larium an-

(1) Voce *Mundus* , & *Mundum* .
(2) Dempſt. Tab. LXXIX. Muſ. E. Tab. CXC.
(3) Paedag. Lib. II. Cap. 1I.
(4) Deipnoſoph. Lib. XV. Cap. v.

antequam diſcumberent faciebant. Frequenter volumina & pugillaria tenent; quia in poſtrema menſa, dum compotationes fierent, aures quoque acroamatum, carminum, aut rerum a viris illuſtribus geſtarum lectione recreabant: quem morem in convivio Didonis ſervatum Virgilius memorat. Mulieres vero ſeu ſpecula ſeu flabella tenent, ſive ampullas & vaſcula unguentaria & alia, quae ad muliebrem mundum pertinent ornatoria inſtrumenta.

V. Cenſet Bonarrotius, Defunctos ita ſculptos in Etruſcis Vrnis, quaſi feralium epularum participes eſſent, vel tamquam deliciis & beatitate Elyſiorum fruerentur. Sed dum eximium Defunctorum cultum, & capitis ornamenta conſidero; nam matronae caput non ſolum velo, ſed etiam nunc diademate, nunc mitra, nunc tutulo, & quidem in vertice ornato quibuſdam tamquam radiis, more Dearum, ut videre eſt in Tabula CXXXII. & in aliis mei Muſei Etruſci Vol. I. ad haec monilia, inaures, torques, ſtroppos, armillas, anulos, adeoque ſummum corporis cultum: homines vero non ſemper convivali veſte amictos, ſed plerumque tunica & pallio indutos; ſubſpicor tamquam Deos expreſſos eo modo, quo Dii in caelo epulari credebantur: vel forſitan, ut in ſolemnibus feſtis, ſplendidiore cultu ornati ſedentes in thenſis cum pompa duci ſolebant: vel in eum modum uti in fanis ac templis adpoſitis pulvinaribus ſacriſque epulis coenantes Dii repraeſentabantur: in eam opinionem facile deſcenderem, Tuſcos, tamquam Deos, eorum cum habitu ac ſpecie, Defunctos ſuos ita conſecrare voluiſſe. Vtramque coniecturam, dummodo probent viri docti, haud reiciendam eſſe arbitror.

C A P V T V.

Etruſcos credidiſſe hominum animas eſſe immortales, iiſdemque divinitatem a Diis impetraſſe, multa evincunt, quae recenſentur

I. HAec & alia, quae ad cultum Defunctorum, eorumque imaginum in Sepulcris dedicationem pertinent, non obſcure, ni fallor, oſtendunt, Etruſcos animarum immortalitatem credidiſſe. Hanc opinionem omnium gentium primi Aegyptii a maioribus acceptam tradiderunt, ac

ac docuerunt: ab his Pythagoras, qui Italos docuit, aliique celeberrimi Philoſophi hauſerunt, & hanc ipſam tenuere Etruſci, uti eorum monumenta teſtantur. Profecto ſi animas a terrenis vinculis ſolutas poſt mortem evaneſcere, exſtingui, atque interire credidiſſent, nec Sepulcra maximis impendiis, nec ſacrificia, nec parentalia, nec ſacra libamina, nec invocationes, nec expiationes, nullum denique cultum in eorum honorem poſt fata Etruſci Pontifices inſtituiſſent. Sed, quod homines vita functos, tamquam Deos ſempiterno beatoque aevo fruentes coluerint, iiſdemque divinitatem tribuerint, ſi monumenta ipſa Etruſcorum ſpectare velis, atque ex his tantum argumenta colligere, id evincunt vittae ſacrae, taeniae, lemniſci & coronae, quae primum Deorum tantum fuere decus, mox & ad cultum Defunctorum augendum translatae. De his haec adnotat Plinius (1): *Et iam tunc coronae Deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque, ac Sepulcrorum & Manium: ſummaque auctoritas pactili coronae. Sutiles aliorum ſacris invenimus, & ſolemnes coenis.* Haec quoque coronarum genera apud Etruſcos in uſu fuerunt, ut iam alibi adnotatum a me eſt. Alterum coronarum decus ab Etruſcis additum, ita memorat idem Plinius (2): *Adceſſeruntque & lemniſci, quos adiici ipſarum coronarum honos erat, propter Etruſcas, quibus iungi niſi aurei debebant.* Sed de his aliiſque notis divinitatis defunctis communicatae, alia inferius adnotanda ſuperſunt, quum de donariis & oblationibus, in honorem Defunctorum fieri ſolitis ab Etruſcis, ſermo inſtituetur.

II. Praeter coronas & diademata obſervandae ſunt bullae, quae muliebribus ſculptis in operculis Vrnarum aliquando tribuuntur: quod inſigne divinitatis apud Etruſcos fuit. Dixi aliquando, quia frequentius mulieres pectoralibus faſciis ſeu potius inſtitis aut vittis decuſſatis, cum fibula ſeu bulla in medio eas adſtringente, ornantur, ea prorſus ſpecie & cultu, quo Furiae ſeu Geniae, quocumque nomine eas adpellare volueris, ſculptae in Etruſcis Vrnarum emblematis, praeſertim Volaterranis, ſpectantur. Haec muliebris mundi ornamenta aurea fuiſſe, & maxime tunc plane in uſu, perditis nimio luxu Etruſcorum moribus, praeſertim in opulentioribus Etruriae urbibus, inter quas principem locum Volaterrae tenuere, ex eo coniicio, quod in ſumtuoſioribus Sepulcris Volaterris erutis, auri bracteis eas mirifice fulgentes obſervavi. Quod vero haec decora & honeſtamenta indicium praebeant traditae cum viris tum mulieribus divinitatis, ex eo manifeſte adparet, quod bullae decus Diis ac Deabus praecipue ſacrarunt Etruſci, uti ſimulacra ac ſigna iam a me

(1) Hiſtor. Nat. Lib. XXI. Cap. III. (2) Ibidem.

a me edita oſtendunt. Frequenter etiam mulieres, ſi bullae inſigne non praeferunt, eius loco pereleganti torque circa collum, more Dearum, quarum ſimulacra adtuli, perbelle ornantur; adeoque ſemper cum aliquo divinitatis charactere ab Etruſcis repraeſentantur. Neque, ut opinor, erit aliquis, qui obiiciet, haec fuiſſe Etruſcarum mulierum communia & uſitata ornamenta; nam matronae Etruſcae, ac praeſertim ſponſae ſculptae in anaglyphis Etruſcarum Vrnarum iiſdem carent; at in operculis, quia Defunctorum imagines ſpecie habituque Deorum inducuntur, ea de cauſa in his tantum omni cultu, qui Diis convenit, ornatae repraeſentantur.

III. Obſervatione digna eſt altera communicatae Defunctis divinitatis nota, nempe eorum vultus minio tincti, quos non raro adnotavi in Defunctorum imaginibus ſculptis in Vrnarum marmorearum, ſed praeſertim tophacearum operculis Volaterranis, & in aliquot etiam in Muſeo Guarnaccio reconditis. Proprius hic fuit mos Etruſcorum, qui teſte Plinio (1) ad Romanos manavit, qui effigiem Iovis fictilem, a Turiano Tuſco Plaſta factam iuſſu Tarquinii Priſci, & ab eo in Capitolio dedicatam, miniari ſolitam docet; quapropter IVPITER MINIANVS adpellatus (2). Eodem colore tinctae frequenter Vrnae pluribus in locis inveniuntur; nam rubrum colorem Deorum proprium eſſe putarunt, ut auctor eſt Servius (3). Legimus etiam apud veteres in more poſitum, feſtis diebus imagines Deorum unguentis illinire, & floribus & coronis complere: eumdem honorem tributum ſubſpicor etiam Defunctis.

IV. Opinionem impetratae divinitatis his, qui mortalem hanc lucem reliquiſſent, comprobant etiam Ludi funebres, Scaenici, Circenſes, Curules, & certamina pugilum, & athletarum, quae in Etruſcis Vrnis ſculpta, & in Sepulcris (proculdubio ad lumen candelae) picta cernimus. Primum enim in honorem Deorum Heroumque ſacra certamina inſtituta fuiſſe conſtat; ſed poſtea, mortalium humaniſſima ambitione, & ad Defunctos omnibus honoribus honeſtandos & colendos tranſlata legimus. His divinis honoribus adde pulvinaria interdum duplicia, aulaea & ſtragula eximio opere elaborata, quae Etruſci Defunctis dedicarunt, & in his eos more Deorum recumbentes locarunt, ut videre eſt in Vol. I. Muſei Etruſci in Tabulis CXXXV. CXXXVI. & CLXXV. Deorum imagines in lectiſterniis repoſitas profert, & egregiis obſervationibus illuſtrat amicus meus optimus Ioannes Baptiſta Paſſerius Tom. II. Lucernarum fictilium ſui Muſei (4).

 V. In-

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. XII.
(2) Vide P. Lupium in Epitaph. S. Severae.
(3) In Virgilium Eclog. VI. verſ. 22.
(4) Pag. 5.

V. Inter has notas, ſi non repugnant viri docti, adcenſeri poteſt & ipſa cadaveris combuſtio: qua peracta, Pontificum auctoritate atque adprobatione, Defunctorum cineres in Vrnis condebantur & conſecrabantur. Quamvis autem antiquiſſimum fuiſſe conſtet apud Aegyptios & Perſas integri cadaveris humandi ritum, & iam inde a Cecropis apud Athenienſes temporibus uſitatum, uti Cicero oſtendit (1): ſero vero apud Romanos receptam cremandi conſuetudinem tradat Plinius; tamen apud Homerum omnia Graecorum & Troianorum cadavera combuſta legimus (2). Siquidem comburendi morem Heroas maxime decere Graeci opinati ſunt: cuius inſtituti originem Euſtathius deducit ab Hercule, qui igne expiatus ad Deos tranſiit; nam ignem eſſe immortalem, eumque purgare, & expiare omnes ſordes mortalis contagionis, veteres putarunt. Sed in funere, Etruſcos utrumque inſtitutum tenuiſſe, docent effoſſa in Sepulcris paſſim per Etruriam integrorum cadaverum oſſa, & Cineraria oſſiculis ſemiuſtis referta. Sed, uti exploratum eſt, mos integra corpora in Cryptis tumulandi uſurpatus eſt antiquiſſimis temporibus: ſequentibus vero obtinuit conſuetudo cremandi cadavera, & cineres in parvis Vrnis recondendi: quae, ut obſervat Ampliſſimus Bonarrotius, ita invaluit, ut paene a primaevo tumulandi ritu receſſum videatur. Sed quia, ut ſupra monebam, erutos conſtat Sarcophagos in terra obrutos, & ſuperne tegulis opertos in iiſdem Etruſcis Cryptis, & pariter Vrnas & Ollas cinerarias in ſcamnis ibidem diſpoſitas; idcirco crediderim ſecutis temporibus utramque conſuetudinem tumulandi integra corpora, & comburendi, in uſu apud Etruſcos fuiſſe. Vtrumque ſepulturae genus promiſcue eodem tempore & apud Romanos viguit: quod ex antiquis inſcriptionibus oſtendi ad Monumentum ſive Columbarium Libertorum ac Servorum Liviae Auguſtae (3).

VI. Sed hanc impetratam communicatamque Defunctorum animabus divinitatem videntur etiam innuere emblemata quaedam, quae praeferunt Etruſcorum tum Vrnae, tum paterae, quas credibile eſt in ſacris mortuorum inferiis adhibitas fuiſſe. Inter has ea memoranda eſt, quae Romae exſtat in inſigni Muſeo Marchionis Alexandri Gregorii Capponii, Palatii Apoſtolici Forerii Maioris, & Muſei Capitolini Curatoris Perpetui, in qua ſedens ſculpta eſt Minerva, & coram ea, ut ſubſpicatur vir Clariſſimus Paſſerius (4), ſtans filia Pallantis, quam, communicata ei divinitate, *Victoriam* adpellavit. Hanc de-

(1) De Legibus Lib. II.
(2) Iliad. Lib. VII. XXII. & XXIV.
(3) Vide §. VI. a pag. 38. ad 42.
(4) Inter Roncalienſes Epiſt. VII. inter Opuſc. Scientif. pag. 454.

denotat ipſum nomen circa eius imaginem ſcriptum : V>Ǝꟻꟻ : ꓯƧꓯ⅃ : hoc eſt *Laſa* , pro *Lara* ; nam veteres dixere *Laſes* & *aſa* , pro *Lares* & *ara* : *Veku* (nam *Veku* apud Etruſcos idem valebat ac *Veca*) & *Vica* apud Romanos , hoc eſt *Victoria* , auctore Iſidoro (1) : *Antiqui enim Vicam dicebant , quam nos Victoriam : credo quod inde dicatur herba Vicia , ideſt Victorialis* . Idem & Papias adfirmat : *Herba Victorialis , & Vica eſt Victoria antiquitus* . Hanc inſignem pateram protuli in Vol. I. Muſei Etruſci Tabula LXXXVI. quam , ſi otium eſt , vide . In altera patera , Etruſcis litteris inſcripta , quae exſtat in Muſeo Mediceo , adlata in Dempſteriano Opere Tabula XXXVIII. Alceſtis fabula , eodem Paſſerio interprete (2) , proponitur , quae , quum pro Admeto neque pater neque mater mori voluiſſent , ultro pro coniuge ſuo ſe obtulit , & pro eo vicaria morte interiit , quam poſtea Hercules ab inferis revocavit (3) . Hanc quoque pateram in ſacris inferiis adhibitam fabula ipſa ſuadet , & Mortis imago , quae cucullo adopertum habet caput . Demum , paucis his contentus exemplis , ad apotheoſin Defunctorum declarandam ſacris expiationibus procuratam , ſubſpicor pertinere pateram illam pereximiam depromtam in Dempſteriano Opere Tab. II. e Muſeo Comitum e Gherardeſca , in qua exhibetur conſecratio Herculis in Deorum numerum recepti , adſtante Iunone & Aeternitate , quae eum ducit & comitatur . Qui vero culpis obnoxii erant , non poſſe effici beati , nec divinitate donari credebantur , niſi ſacris expiationibus luſtrarentur : de quibus , quum alibi fuſius pertractaverim , eadem rurſus adferre ſupervacaneum eſſe arbitror .

VII. Sed quomodo Defunctorum animae divinae evaderent , Deorumque conſortio dignae redderentur , peculiarem hanc abditae & occultae Religionis caerimoniam apud Etruſcos , Acherontici Libri docebant , quorum auctorem fuiſſe Tagetem traditum eſt . De his haec ex Arnobio delibamus (4) : *Etruria Libris in Acheronticis pollicetur , certorum animalium ſanguine Numinibus certis dato , divinas animas fieri , & ab legibus mortalitatis educi* . Animalia pro expiatione obnoxiorum ac ſontium hominum immolari ſolita ab Etruſcis in ſacris Acheronticis , prorſus ignoraremus , niſi verveces eſſe nobis oſtenderent emblemata ſepulcralium Vrnarum , quae in Peruſinis Muſeis adſervantur , & in ea tantum urbe vidi . Ex his una a me adlata in Tab. XXXVI. Tom. I. nobis exhibet ſolemnem hanc a delictis expiationem , quae fiebat , ad aram ſacro igne calentem , & feſta fronde coronatam , admoto vervece ſeu ariete , iuxta quam ſtabat is , qui de-

 functi

(1) Lib. X.
(2) Vide inter Roncal. Epiſt. IX. pag. 302.
(3) Ex Hygini Fab. LI.
(4) Lib. II. adverſus Gentes .

functi perſonam gerebat, & ſacro cruore victimae reſpergi debebat: circumſtantibus his, qui interim piaculari ſacro adſtantes, muſicis inſtrumentis adcinebant. Ad ignitam aram adcedit alter ex Miniſtris, qui ovem adfert poſt maiorem victimam immolandam. Hunc ritum ab Etruſcis adhibitum, iuxta Acherontica ſacra, perſpicue inſuper nobis oſtendunt aliae Peruſinorum Vrnae, quas vide in Vol. I. mei Muſei Etruſci in Tabula CLXXII. num. 1. & II. Nam in priore, is, qui Defunctum repraeſentat, a Myſta adtollitur, & ad aram admovetur, quem Pontifex ſeu Rex ſacrorum, admota ſuper caput eius patera, ſacris laticibus eum perfundit ac luſtrat, circumſtantibus aliquot Miniſtris, & aliis, qui piaculare ſacrum muſicis modulationibus proſecuntur, nimirum Fidicine, Tibicine, & Praecentore, ſive altero huic ſimili, qui preces & ſacra verba e tabula, quam manibus praefert, praefatur. In altera vero Vrna non adſunt Muſici Cantores; ſed is, qui animae defuncti ſimulacrum tenet, Pontifici ſeu Regi ſacrorum expiandum offert, qui ſuper caput eius pateram dextra manu effundit: adcedente ad aram alio Miniſtro, qui ovem adfert pro Defuncti culpis obnoxii expiatione. Sed de his ſatis: quum de ſacris Acheronticis praelaudatus Vir Praeſtantiſſimus Ioannes Baptiſta Paſſerius, & de impetrata Defunctis divinitate, luculenter diſſeruerit.

CAPVT VI.

Cultos Defunctorum Manes ab Etruſcis, evincunt ſacrificia, oblationes & donaria iiſdem facta.

I. ETruſcorum ea fuit opinio, Defunctos eſſe divinos, ſacros, omni honore colendos, quos *Manes*, hoc eſt *Bonos*, & Deos etiam adpellarunt. Feſtus: *Manes Dii ab Auguribus vocabantur* (alii *invocabantur*) *quod eos per omnia manare credebant: eoſque Deos ſuperos, atque inferos dicebant*. Inferos quidem; quia eorum umbras apud Inferos degere: ſuperos; quia eorum animam vivere inter Superos, vel in Elyſiis campis tranquillam ac beatam vitam degere exiſtimabant. Cur vero Deos Manes dixerint *Bonos*, docet idem Feſtus: *Dii* Manes *pro* Bonis *dicuntur a ſuppliciter eos venerantibus propter metum mortis; ut immanes*

quoque pro valde non bonis dicuntur. Memini etiam, ſcripſiſſe veteres Auctores, primum in orbe Deos a timore factos fuiſſe. Hinc ortam & propagatam apud Gentes Idololatriam teſtatur divinus Auctor Libri Sapientiae (1): *Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere coepit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tamquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Hunc locum ita interpretatur Lactantius (2): *Homines eorum ſimulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatium: progreſſique longius per amorem, memoriam Defunctorum colere coeperunt, ut & gratiam referre bene meritis viderentur, & ſucceſſores eorum adlicerent ad bene imperandi cupiditatem.* Et paullo poſt: *Sic paullatim Religiones eſſe coepere, dum illi primum, qui eos noverant, eo ritu ſuos liberos ac nepotes, deinde omnes poſteros imbuerunt.*

II. Sed huius cultus improba ſuperſtitio in amentiam adeo degeneravit, ut primi mortales Deum unum ac verum ignorantes, Defunctorum memoriam non ſolum laudibus honeſtarint; verum tamquam Deos eos cenſentes, in eorumdem honorem ſacras preces, hymnos, ſupplicationes, adorationes, lumina, faces, coronas, ſacras inferias, annuas epulas, parentalia ſacrificia, ludos funebres, & victimas immolandas, ad haec etiam oblationes, donaria & anathemata inſtituerint: quae omnia, ſi per ſingulas partes explicare vellem, exitum non ita facile invenirent hae meae lucubrationes, quas extemporaneo opere profero; ea tantum ſcribens, quae menti meae, quam ſatis imbecillem eſſe ſentio, haec revolventi occurrunt: non, ut expilatis aliorum ſcriniis (quod non pauci veriti potius famam, quam conſcientiam faciunt) inutilem eruditionem oſtentem; ſed ut ea, quae iam diuturno labore ac ſtudio obſervavi, collatis non ſemel Etruſcorum monumentis, breviter exponam.

III. Sacra Defunctis facienda Etruſcae nationi praeſcribebantur ab Iure Pontificio: evocationes vero animarum, luſtrationes, expiationes & preces, quarum, ut vidimus, fit mentio in Inſcriptione Peruſini Sepulcri, & ritus communicandae divinitatis in Tuſcis libris Acheronticis continebantur; quorum nullum ad nos veſtigium aut fragmentum pervenit. Arnobius, qui de his, ut ſupra dictum eſt, meminit, quorumdam animalium fuſo ſanguine animas divinas ab Etruſcis fieri ſolitas, docet. Iam ex priſcis Tuſcanicis Sculpturis vidimus, immolatas in inferiis Defunctorum victimas, fuiſſe vervecem ſive arietem & ovem, quam fuiſſe ſubſpicor nigram: quas etiam

Grae-

(1) Cap. XIV. verſ. 15. & 16.

(2) Divinar. Inſtitut. Cap. XV.

Graeci adhibuere (1), apud quos vacca quoque ſterilis acceſſit. Sed & vitulum mactatum in exequiis Etruſcorum, innuere videntur arae & urnae a me adlatae, in quibus bubula victimarum capita in fronte earum ſculpta ſunt. Ne quis vero miretur, me Etruſcorum ritus cum Graecis componere, & Graeciam fere totam in Etruria ſtatuere, ad perinſignem Columellam marmoream amicos Cenſores duco, quae Peruſiae exſtat apud Nobiliſſimos Comites Alfanios. Haec litteris Etruſcis, & anaglyphis ſculpturis ornata, omnem adparatum & ritus Etruſci funeris vetuſtiſſimo ac plane ſingulari emblemate exprimit, quam doctis obſervationibus V. C. Paſſerius explicavit. Primum in eadem Columella exprimitur domeſticus luctus circa corpus defuncti: mox externus circa pyram, & quae fuerit funeris pompa exhibetur. Iam igitur, auſpice hoc perinſigni monumento, conſtat, Etruſcos pyra exſtructa, quae & apud Graecos in uſu fuit, defunctorum corpora cremaſſe, & cineres in urnis condidiſſe, adeoque in exequiis (his exceptis, quae a patriis inſtitutis ac caerimoniis, nempe ab Acheronticis abditae & occultae Religionis ſacris pendebant, quos penitus ignoraremus, ni antiquae Tuſcorum ſculpturae nos erudirent) cum Graecorum ritibus conveniſſe.

IV. Neque id mirum, quum Latinos quoque a Graecorum funerum ritu inſtitutiſque non diſcrepaſſe legamus penes Ovidium: cuius deſcriptio, quia oblationes & donaria Defunctis facta in feralibus ſacris memorat, ſi repetatur, non ingratum fore arbitror (2):

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in exſtructas munera ferre pyras.
Parva petunt Manes: pietas pro divite grata eſt
Munere, non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſae fruges, parvaque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violaeque ſolutae:
Haec habeat media teſta relicta via.
Nec maiora veto; ſed & his placabilis umbra eſt:
Adde preces poſitis & ſua verba focis.
Hunc morem Aeneas, pietatis idoneus auctor,
Adtulit in terras, iuſte Latine, tuas.
Ille patris Genio ſollemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicere pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deſeruere dies.

Non

(1) Vide apud Euripidem in Hecuba. (2) Faſtorum Lib. II. verſ. 541.

Non impune fuit ; nam dicitur omine ab iſto
Roma ſuburbanis incaluiſſe rogis.
Vix equidem credo : buſtis exiſſe feruntur ,
Et tacitae queſti tempore noctis avi.
Perque vias Vrbis , Latioſque ululaſſe per agros
Deformes animas , vulgus inane , ferunt.
Poſt ea praeteriti tumulis redduntur honores ;
Prodigiiſque venit funeribuſque modus.

V. Graecorum mos fuit , ut ab Homero traditum , captivos mactare in funere magnorum virorum : quod inſtitutum docet etiam Tabella anaglypha , Ilii exſcidium exhibens , adlata a Fabretto , qua auſpice , non pauca Etruſcarum Vrnarum feralia emblemata facilius me intellexiſſe fateor . Etruſcos vero in honorem ſuorum Defunctorum , qui virtute & dignitate ceteros antecellerent , inſtituiſſe Gladiatorum certamina , quae Romani amplexati ſunt , plures auctores a Dempſtero citati docent (1) . Sed Vrnae Etruſcae, ad quas, ut id confirmet , provocat Cl. Bonarrotius (2) , praeſertim fictiles, ex Hiſtoriis Graecorum, pugnantes Heroas, adeoque non Gladiatorum certamina, ſed Eteoclis Oëdipi filii cum Polynice pugnam repraeſentant: quod emblema primum obſervavi expreſſum in Vrna, quae in meo Muſeo exſtat (3) .

VI. Libationes oblationeſque factas Diis Manibus ab Etruſcis, adlatis inferius monumentis , oſtendam : de epulis vero feralibus iiſdem donatis nonnulla iam adnotavi. Vnguenta etiam oblata, quibus coronae iiſdem donari ſolitae , perfunderentur , teſtantur Etruſcorum monumenta , quae in hoc Volumine proferuntur . Adcedunt acerrae ad ſuffitus ; nam in Volaterranis Cyptis frequenter vaſcula ſuperne perforata eruuntur , quae odoramenta continuiſſe coniicimus. Inter donaria principem locum ſibi vindicant ſolutae coronae , quae ad ianuam Sepulcri , & introrſum in parietibus ſuſpendebantur : quod ab Etruſcis factum docet Sepulcrum Iguvinorum. His adde picta vaſcula , quae paſſim in Sepulcris per Etruriam effodiuntur : adde candelabra , quae in Volaterranis Cryptis eruta vidi. Lucernas in Sepulcris Etruſcorum inventas adnotavit Bonarrotius. De pretioſa ſupellectile Defunctis dono data ab Etruſcis, mox dicam , adlatis Tabulis monumentorum , quibus Muſeum Guarnaccium mirifice refertum eſt.

(1) De Etrur. Reg. Lib. III. Cap. XLII. Tom. I. pag. 341.

(2) In Append. ad Dempſterum §. XXVI. pag. 39. & 40. & in Notis ad Dempſt.

(3) Vide Muſei Etruſci Tom. I. & II. Tab. CXXV. pag. 249. & 250.

VII. Demum communis fuit, ut his capitibus finem imponam, cum Etruſcorum, tum Latinorum opinio, animas Defunctorum, qui dum viverent, res bene ac praeclare geſſerant, in Deorum coetum duci a Genio, qui iiſdem naſcentibus obtigerat. Ita credidiſſe Latinorum vetuſtiſſimos, memorat Dionyſius (1), ubi Romuli poſt fata conſecrationem deſcribit: apud Etruſcos vero eandem opinionem obtinuiſſe, vel eos potius Italis ac Latinis eam tradidiſſe, non obſcure docent Sepulcrorum huius gentis picta vel ſculpta emblemata, in quibus Defunctorum animae, ſive earum imagines vel equo inſidentes repraeſentantur, vel manu exceptae deducuntur, ut ſtulte credebant, ad coetum Deorum, ſive ad beatorum ſedes, non ab unico ſolum Genio, verum etiam a pluribus, vel, ſi vis, a Furiis, & quidem praelucentibus facibus, quas geſtant, ut deſignati quodammodo Dii credantur; adeoque ut ab his, quos viventes reliquerant, omni honore & cultu adficerentur: quae quum animadverteret Arnobius, merito Etruriam omnium ſuperſtitionum parentem adpellavit. Sed de Diis Defunctorum comitibus, deque Inferis Numinibus, in quorum tutela eſſe piorum Manes ab Etruſcis credebantur, & cum his verſari, inferius redibit ſermo: interim pauca haec de eorum cultu delibaſſe ſufficiat.

CAPVT VII.

Vrnarum ſepulcralium, quibus Etruſci uſi ſunt, tituli, & varia emblemata, nunc primum in ordinem digeſta, expenduntur ac proponuntur.

I. EA fuit viri docti opinio, quum erudita Etruſcae linguae inveſtigatio paucis ab hinc annis infantiae ſuae crepundiis oblectaretur, Vrnarum ſepulcralium titulos cum ſubiectis emblematis convenire; adeoque eos nil aliud prorſus nobis proponere, quam vel monita quaedam moralia, vel rerum geſtarum ab Etruſcis compendia, quae a ſculptis Hiſtoriis non diſcreparent: ſed poſtmodum, in accuratiorem ordinem a me digeſto propoſitoque Etruſcarum litterarum Alphabeto, quum in legendis Eugubinis Tabulis & Sepulcrorum titulis nullae ut antea obreperent difficultates, compertum eſt, hoſce titulos, nomina dum-

(1) Antiquit. Roman. Lib. II.

dumtaxat defunctorum nobis proponere , quorum cineres in iiſdem Vrnis reconditi fuerunt.

II. Sed antequam de titulis , praeſertim ſumtuoſiorum Vrnarum Etruſcarum , diſſeram , illud praemonere operae pretium eſt , hos titulos in baſi tantum operculorum, quibus Vrnae clauduntur, Tuſcos incidere conſueviſſe: & quidem non raro litteris rubricatis , quod decus Defunctos, tanquam Deos, maxime decere arbitrati ſunt. In operculis, ut diximus, ſculptae Defunctorum imagines ſpectantur, converſo in Orientalem plagam capite ac corpore, ut dextra commodior eſſet , dum adcumberent. Rariſſime igitur aut numquam ſculpta epitaphia obſervantur in ſuperiore Arcularum cinerariarum labro: unicum tamen exemplum mihi occurrit in Vrna Volaterris effoſſa, in qua litterae non inciſae ſtilo aut graphio , ſed atramento pictae erant . Illud etiam notandum, opercula , utpote frequenter inventa in Sepulcris , diſſipata & ab Vrnis ſeiuncta, non ea ipſa eſſe , quae primum in ipſo funere Vrnis iiſdem ſociata ſunt ; adeoque emblemata, quae mulieribus conveniunt, facile eſt, aptata recenter fuiſſe iis Vrnis , quae virorum cineres continebant , & e contra ; quare haec errata parvi facienda eſſe omnes vident.

III. Quanta vero fuerit antiquorum Tuſcorum in Sepulcris inſcribendis, & quam ſevera ac primaevi moris tenax ſobrietas, ex eo elucet, quod praeter praenomen , nomen & cognomen Defuncti , & aetatis annos, nil plane aliud adnotarunt . In his Defunctorum nullae laudes exponuntur , quas poſtea apud Romanos , totaque paſſim in Italia, regnantibus Imperatoribus Auguſtis , effuſiore liberalitate , veluti flumina, parvis in principio orta rivulis, mox exundarunt. Nulla in Etruſcis titulis elogia : nullae contra Sepulcrorum violatores dirae leguntur : nulla artium ſculpta inſtrumenta : nulla hominum , qui dignitate fulgebant , inſignia ſpectantur.

IV. Cenſent aliqui de hoc Etruſcarum Antiquitatum ſtudio optime meriti homines, Defunctorum munera, dignitates & officia nempe Tribunos, Centuriones, Velites ceteroſque, ſeu perceptas ſacris myſteriis initiationes expiationeſque , interdum in titulis recenſeri : quod aliis obſervationibus peraccurate erit expendendum ; necnon in his Sepulcris num Etruſci Tribus ſuae nomen inſcripſerint : nam ſecutis temporibus eas non reticuiſſe Tuſcos , nempe Cluſinos Arnienſem , Faeſulanos & Florentinos Scaptiam , Volaterranos Sabbatinam , Arretinos Pomptinam , Cortonenſes & Piſaurenſes Stellatinam , Piſanos ac Lucenſes Galeriam, Bononienſes Lemoniam , eorum epitaphia Latinis litteris ſcripta teſtantur.

V. Complurium Etruſcarum Vrnarum titulos interpretatus eſt

Vir Cl. Scipio Marchio Maffeius: perpaucos Hannibal Oliverius: maximam vero horum partem eximius Ioannes Baptiſta Paſſerius, qui multa antea ignota in eorum explicatione aperuit. Idipſum me facturum iam antea promiſeram; ſed in obſervandis Numiſmatis maximae magnitudinis in Muſeo Florentino prolatis, aliiſque curis diſtractus, promiſſa tam cito ſervare non potui; neque heic ſervabo; nam antequam id accurate a me praeſtetur, opus eſt, ut Inſcriptiones omnes Etruſcas cum archetypis conferam, conlatas in ordinem diſponam: demum neceſſe eſt, ut in unum corpus quotquot exſtant omnes Etruſcae Inſcriptiones ſimul congeſtae, propriis characteribus exprimantur, & ſingulis ſubiiciantur interpretationes, quae veritati ac rationi propiores erunt. Multum utilitatis ad Etruſcam linguam nova luce conluſtrandam conferet Syntagma hoc Etruſcorum Monumentorum, quibus litterae adcedunt: quae quidem hoc ipſo ordine proferentur. I. Monumenta omnia, quae Deorum Heroumque nomina & cognomina exhibent. II. Inſcriptiones inſculptae Statuis & Simulacris Deorum Dearumque. III. Donaria Diis ſacra inſcripta. IV. Tabulae Eugubinae, quae ad res Liturgicas pertinent. V. Inſcriptiones ſculptae vel pictae in parietibus Sepulcrorum. VI. Tituli Etruſci, quibus Cineraria & Vrnae Diis Manibus ſacrae ornantur. Hoc Syntagmate abſoluto, Lexica duo iam promiſſa, Etruſcum & Pelaſgicum, publici iuris faciam.

VI. Sed ut revertar ad titulos Sepulcralium Vrnarum, & hi eum laborem ab interprete deſiderant, ut primum Familiarum Etruſcarum Nomenclator alphabetico ordine proferatur: mox alter praenominum: alter etiam cognominum ſequatur. Sed notandum, quod & alibi iam obſervaveram, Etruſcos, & a matre cognomen deſumere conſueviſſe: quod praeſertim ea indicant vocabula, quae in ᛚA: hoc eſt *al*, ut *Papial*, *Velſinal* deſinunt.

VII. Etruſci in his Sepulcrorum titulis annos tantum vitae numerant, numquam vero menſes & horas: quam conſuetudinem ſero Romani amplexati ſunt. Igitur & de Orthographia Etruſcorum, & de notis numeralibus erit diſſerendum, quae tamen in pluribus Vrnis deſiderantur; adeo ut id neglexiſſe primaevos Tuſcos adpareat. Adparet etiam, quamlibet fere civitatem habuiſſe peculiarem vocabulorum notionem; nam in Volaterranis Vrnis, ad exprimendum *vixit*, adhibetur vox compendiaria ᛚIꟼ. *ril*; at in aliis, erutis Arretii & Viterbii aliiſque finitimis locis, AƧIᛚA. *aliſa* ſcribitur. De titulis Cinerariorum, quae nullo anaglypho opere ornantur, ſuperius nonnulla adnotavi. Nunc de litterarum Etruſcarum forma, de earum nexibus, de interpunctione, deque Etruſcarum vocum ſyntaxi

eſſet

eſſet, dicendum; ſed de his alibi opportunius, quum integrum, ut ſupra dicebam, omnium quotquot exſtant Etruſcarum Inſcriptionum Syntagma, Deo iuvante, proferam.

VIII. Ad emblemata inſculpta iiſdem ſepulcralibus Vrnis nunc gradum facio. Harum Vrnarum Etruſcarum copia me impulit, ut ea nunc primum per claſſes digererem. Exhibent igitur haec emblemata Hiſtorias Fabulaſque, vel peregrinas vel patrias; ſi tamen hoc nomen his convenit, quae Tuſcorum ritus & caerimonias ſeu communes ſeu proprias ac peculiares continent. Peregrinae Hiſtoriae aliae ſunt diſiunctae ab Hiſtoria Troiana: eaque anteriores: puta Fabulas Meduſae, Perſei, Meleagri venationem, Centauromachiam, Monſtra, Chimaeram, Scyllam, & alia his ſimilia. Aliae poſteriores ex eadem Troianorum Hiſtoria depromtae, & ad eius ſeriem ita pertinentes, ut hinc coniicere poſſimus, hanc, temporibus valde ab hominum memoria remotis, non ſolum Etruſcis notam & familiarem fuiſſe; verum & Italis, Siculis & Latinis, quod ſuperius adlatum Plinii exemplum de picturis urbe antiquioribus in templo Lanuvino, in quibus Helena & Atalanta expreſſae cernebantur, perſpicue teſtantur. Ilii exſciſi Hiſtoriam omnium antiquiſſimam pluribus quoque linguis ſcriptam fuiſſe ſubſpicari poſſumus, quae prae manibus omnium tunc temporis eſſet. Sunt aliqui viri, qui Graecorum Hiſtorias in hiſce Tuſcanicis Vrnis expreſſas negant; quia non admittunt Etruſcae linguae cum Graeca antiquiore ſimilitudinem, & adfinitatem. Nos vero hanc ipſam opinionem, quam in Muſei Etruſci Volumine II. propoſuimus, & in *Hiſtoria Etruſca Antiquaria* multis rationum monumentis probabiliorem oſtendimus, conſtanter tuemur, & ab editis cenſuris tum in hoc Volumine, tum in ſequentibus, clariſſimis exemplis vindicabimus. In his igitur Helenae raptus, nuptiae, & in Troiam ingreſſus exhibentur. In aliis Etruſcis Vrnis ad Helenam reſtituendam Troianorum conſilium occurrit: Philoctetes tradens Herculis ſagittas, quibus deficientibus, Ilium capi non poterat: Heroës in curribus pugnantes: pugna ad portam Scaeam: bellum admotis ſcalis ſub moenibus: reſtitutio cadaveris Hectoris Priamo facta: nex eiuſdem Priami: funus Patrocli: fuga Aeneae & Anchiſis: Polyxena ad Sepulcrum Achillis mactata, & alia his ſimilia, quae brevitatis cauſa praetereo. His aliiſque monumentis tota Homeri Ilias illuſtrari luculenter poteſt. Spectantur etiam in Etruſcorum Sepulcris multa emblemata, quae Homeri Odyſſeam elucidant; nempe Polyphemi facinus, Sirenarum cantus, Circes veneficia, Elpenoris caſus, & alia huiuſmodi.

IX. Sequitur altera emblematum Claſſis, earum nempe, Vrnarum Etruſcarum, quae patrias Hiſtorias, Fabulas, & Ritus repraeſentant. Hae ceteris omnibus maiore in pretio habendae ſunt, omnique ſtudio inveſtigandae; quia Etruſcorum librorum, qui ad nos fato quodam minime pervenere, iacturam quodammodo inſtaurant, & multa, quae hactenus nos latuere, quae & ſcire deſideravimus, perſpicue aperiunt ac declarant. Nec dubito, hoc pulcherrimum atque utiliſſimum Etruſcarum Antiquitatum ſtudium brevi ita amplificatum iri, ut nihil in eo ſuperſit, quod deſideremus: quod eximium decus cito ac facile conſequemur, ſi viri docti totis viribus in hanc curam incumbent, mecumque in his monumentis illuſtrandis atque in lucem proferendis certabunt. Nihil enim quorumdam ſciolorum ſcommata me adficiunt ac morantur; ſed magis magiſque acuunt atque inflammant, quo acrius Antiquitatis Interpretes omnia ex ingenio explicare, & nugas vendere ineptis vocibus clamitant: quod dum faciunt, iniquo ſane ac perverſo iudicio utuntur, & ſe tamquam litteratos Narciſſos nimium ſui amatores omnibus perpetuo deridendos ultro producunt. Patria haec emblemata in quaſdam ſeries ita diſtributa, exhibent ſacros Etruſcae gentis ritus ac caerimonias, initia, & abdita in honorem aut Bacchi, aut Dianae ſeu Cereris myſteria: initia quoque in honorem ignoti Dei ſuſcepta: item ſacrificia & humanam victimam: & illud ſacrum, quod a Rege Deae Nemorenſis apud Etruſcos frequens nuper detexit praeclarum litterarum ſidus Ioannes Baptiſta Paſſerius. His ea emblemata ſuccedunt, quae nuptias Etruſcorum, earumque pompam, ritum, & nuptialia convivia exhibent. Poſt haec ea ſequuntur emblemata, quae ad funus Etruſcorum uberrime illuſtrandum pertinent, quae morientes in lecto homines proponunt, & propinquorum luctum, omnemque oculis ſubiiciunt funeris adparatum, Praeficas & Cantores ſive Hymnologos celebrantes Deos Manes, ludos, & funebres epulas: opinionem Etruſcorum de ſtatu animarum poſt mortem: earum ad Elyſios profectionem: marina terreſtriaque fabuloſa animalia ac monſtra: animarum tranſvectionem per Oceanum, deductionem quoque comitantibus & obviam procedentibus Geniis: adde & ea, quae expiationes ac luſtrationes, communicatamque iiſdem divinitatem iuxta Acherontica ſacra, & celebratam apotheoſin aperte nobis exponunt. Etruſcorum monumentorum ope deſtitutus, quid conatus ſit Thomas Dempſterus in ſuis de Etruria Regali libris, ſciunt omnes: quae & quanta eorum praeſidio & auctoritate unice fultus Bonarrotius primus omnium docuerit: quid poſtmodum Illuſtriſſimus Maffeius *de Italis primitivis*

mitivis diſſerens: quid ego omnium minimus fecerim: quae demum Paſſerius amicus meus patefecerit, nemo, ut arbitror, qui editas lucubrationes legerit, ignorat. Nihil igitur, quod eſt maxime optandum, nunc ſupereſt, niſi ut alia atque alia Etruſcorum monumenta in lucem proferantur, quibus hoc ſtudium perficiatur reddaturque longe abſolutiſſimum: quod ego, data ad vires reficiendas aliqua mora, bono litterarum, ad Principis mei optimi ac beneficentiſſimi gloriam, & ad patriae decus, lubenti animo me facturum ſpondeo.

X. Demum poſt Vrnas Etruſcas, quae patria emblemata continent, ea ſuccedunt, quae iura a Magiſtratibus reddita praeferunt: quae Conſulum munera, quae denique civiles conſuetudines & leges nobis aperiunt. Poſtremum locum occupant Vrnae ſymbolicae, iis paucis quidem ornamentis inſculptae, nempe capitibus Gorgonum, delphinis, peltis, corollis, aliiſque honeſtamentis, quae ad Defunctos, vel ad opiniones de eorum ſtatu poſt mortem, uti Etruſci opinati ſunt, ſpectare videntur.

XI. His explicatis, ad ea illuſtranda monumenta gradum facio, quae in Sepulcris Etruſcorum inveniuntur, nimirum ſacrificalia inſtrumenta, pateras, vaſcula & eſcarias patinas, ſpecula, armillas, inaures aliaque muliebris mundus ornamenta. Vtinam hunc ipſum ordinem in prioribus Etruſci Muſei Voluminibus ſervaſſem, quem nec ipſe Bonarrotius ſervavit! Hunc doleo & in Tabulis, quas adfero, quum inciderentur, ſervatum non eſſe. Hunc profecto neceſſarium eſſe animadvertit vir Praeſtantiſſimus Paſſerius in ſuis Roncalienſibus Epiſtolis; quin & omnia tum in Dempſteriano Opere, tum in Muſeo Etruſco adlata monumenta rurſum in unum corpus ita coordinata proferenda eſſe per litteras me admonuit & hortatus eſt. Sed ipſa monumenta in Tabulis expreſſa ordini huic parebunt, & ipſe ſingula ordinatim brevibus illuſtrationibus ita exponam, ut doctorum hominum iudicium, quod maximi facio, avide expectem: contumelioſas vero cenſuras nullis in contrariam ſententiam firmiſſimis rationibus ſubfultas conſtanter contemnam.

CA-

CAPVT VIII.

MVSEI GVARNACCII
Sepulcrales Vrnae Etruſcae, quae exhibent peregrinas Hiſtorias, Troianum bellum praecedentes, adferuntur & obſervationibus illuſtrantur.

I. MVltae ſunt cauſae, quae me ſperare cogunt, Cultores elegantiorum priſci aevi antiquitatum, dum haec tam inſignia monumenta, ſincera plane ac genuina, quae paucis ab hinc annis tota fere Etruria, praeſertim vero Volaterris, e tenebricoſo terrae ſinu ad augendos antiquae eruditionis theſauros tanta copia prodiiſſe conſpiciunt, ſummam voluptatem deguſtaturos. Me quidem, ut verum fatear, de tam eximia optimis ſtudiis facta adceſſione geſtientem, hae ipſae Etruſcorum Vrnae in admirationem rapiunt, quoties eas contemplor: ac dummodo aliqua nobis non antea nota emblemata praeferant, vel aliquo modo paullisper variata exhibeant, aeque placent, vel ſi a perito Sculptore Tuſco, vel ſi ab ipſis tironibus ſculptae ſint. Mirus in omnibus Vrnis Etruſcis in Hiſtoriis Fabuliſque exprimendis ſemper elucet conſenſus, prudens emblematum delectus, ſagax ornamentorum, quae parerga adpellantur, inventio, fecundum ubique Tuſcorum artificum ingenium. Dulce plane eſt atque iucundum videre imagines ac ſcire nomina virorum illorum, qui haec ipſa loca tam remoto a noſtra aetate annorum intervallo incoluere: qui, dum viverent, Sepulcrum ſibi condentes, egregias omnes artes, quas Graphice complectitur, ſuis opibus florere fecerunt, ſervarunt, ac mirifice ita propagarunt, ut poſteri eorum pulcherrima inventa imitari ac ſequi valde utile & glorioſum duxerint.

II. Emblemata ſepulcralium Etruſcarum Vrnarum varia ſunt, ex omni antiquitatis memoria depromta ac ſelecta. Illud notandum, ea plerumque feralia eſſe; nam varias mortalium vices, clades, calamitates, infortunia, luctuoſa facinora, miſerandos caſus & neces exhibent: plerumque repraeſentant vel ſacras, bonas atque honeſtas hominum actiones, quas ſanctitas, laus, gloria, & nominis celebritas, omniaque bona conſectantur: vel malas, ex quibus mors, ruinae, exſcidia, male ominati eventus, omneſque

ca-

calamitates in eorum exitium manarunt. Id veteres Etruſcos Pontificum iuſſu monituque feciſſe ſubſpicor, ut ſpectatores ad bene agendum excitarent, violatores Sepulcrorum terrerent, & Defunctorum propinquos ac domeſticos ad lacrymas in eorum funere ſpargendas vehementius provocarent. His praemiſſis, ad ſingula illuſtranda deſcendo.

TAB. I. num. I. *Andromeda ceto expoſita, a Perſeo liberata.*

ANdromedam, Perſei ope e ceti faucibus ereptam ac liberatam, exhibet haec Vrna ſepulcralis: cuius Hiſtoriam ab Aethiopibus ad Graecos & Etruſcos manaſſe ex antiquis Mythologis colligimus (1). Tres arbores, quae in hac conſpiciuntur, palmas referre videntur; ſed quum haec Sculptorum arbitrio pendeant, non eſt cur putemus, hanc fabulam contigiſſe in Phoeniciae regione ſive Palaeſtina, quae palmis abundat. Quae enim non officiunt thematum genuinae notioni ac veritati, ea frequenter variant Etruſci Sculptores: quod iis conſtabit, qui huius Vrnae typum cum altero iam a me edito in Vol. II. Muſei Etruſci Tabula CXXIII. conferre voluerint; nam in hoc diverſa ab his eſt arbor ſculpta iuxta ſcopulum, cui Andromeda puella adfixa; prope quam adſtat Genia, quae in hac deſideratur. Tophacea haec Vrna, alta pedem unum ſupra dimidium, lata pedes duos Romanos, Guarnaccio Muſeo adceſſit, ex dono Nobiliſſimi Equitis Ludovici Maffeii, Patricii Volaterrani.

TAB. I. num. II. & TAB. II. *Centauri exitialis pugna.*

FRequens hoc emblema in Vrnis ſepulcralibus, quae Volaterris erutae ſunt, occurrit; ſed meo iudicio, haud eſt omnino ſupervacaneum rurſus id ipſum proferre, quum in ſingulis Vrnis varietas ipſa cum eruditione coniuncta mirifice delectet. Heic cernimus, quibus armis primi mortalium in bello uterentur, nempe ſaxis, bipennibus, trabibus aduncis, ſudibus, haſtis, facibus, iaculis, ſagittis: & quae ſcutorum ac clypeorum, quaeve galearum forma fuerit; nam unus ex his, qui pugnant, eam cornibus munitam gerit. Aliqui etiam Lapithis pugnantibus opem ferunt, atque, Heroum more, hirſutis pellibus amicti medio corpore ſunt. Pirithoum adiutum a Theſeo docet Heſiodus in Scuto. Illud etiam obſervatione dignum, quod Etruſci, non ſolum Centauros, interdum ſenes barbatos, interdum

terdum

(1) Vide Apollod. Biblioth. Lib. II.

terdum iuvenes, verum etiam Centauridas, paſſis crinibus, & ipſas immania ſaxa utraque manu iaculantes, in hiſce Sepulcris exprimunt, ſub quorum pedibus poſterioribus proculcati iacent cuiuſcumque aetatis ſint homines. His emblematis uſi ſunt Etruſci, ut ſontium hominum poſt mortem miſerrimum ſtatum apud Inferos; & in eos vim Mortis, ac Fati malignitatem denotarent. In Orci veſtibulo inter alia monſtra Centauros ad eius fores ponit Virgilius (1):

Multaque praeterea variarum monſtra ferarum
CENTAVRI in foribus ſtabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimaera,
Gorgones, Harpyiaeque & forma tricorporis umbrae.

Virgilium Tuſcis ortum, eorumque diſciplinis inſtructiſſimum, ex Etruſca Theologia multa decerpſiſſe video; nam ſuſpenſos nudos homines, qui in hiſce a me adlatis Vrnis ſculpti in angulis ſpectantur, pro delictis poenas luentes in Ditis regno, ita ob oculos pingit (2):

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni:
Quiſque ſuos patimur Manes. ——————

Videndus in hunc locum Servius, qui de triplici animarum apud inferos purgatione igne, aqua & aëre agit. Sed hanc noxiorum hominum ſuſpenſionem, & admoto igne exuſtionem perſpicue repraeſentant picti parietes antiqui Sepulcri Etruſci, detecti prope moenia Corneti, editi apud Dempſterum Tabula LXXXVIII. quos alibi etiam, dum adſimile emblema illuſtrarem, deſcripſi (3).

TAB. III. num. I. *Proſerpina a Plutone rapta, & ad Inferos ducta.*

Singulare eſt huius marmoreae Vrnae emblema, nec antea in erutis Etruſcorum monumentis ſpectatum. Vrnam protuli in Tabula LXXVIII. Vol. I. Muſei Etruſci, in qua idem emblema ſculptum eſſe cenſui, deſtitutus opportuno exemplorum lumine, & aliquot figurarum capitibus deficientibus; ſed poſtea in Volaterranis Hy-

(1) Aeneid. Lib. VI. verſ. 285.
(2) Ibidem verſ. 739.
(3) Muſei Etruſci Tom. II. pag. 287. Vide Bonarr. in Append. §. xxvi. pag. 42.

Hypogaeis Sepulcris effoſſis non paucis integris Vrnis eodem emblemate ornatis, aliam prorſus Hiſtoriam, quam mox proferam, referre compertum eſt. Erit fortaſſe aliquis, qui hoc emblema exhibere exiſtimet raptam a Neptuno Amymonem Danai filiam. Hanc enim, ut docet Hyginus Fab. CLXIX. dum ſtudioſe in ſilva venaretur, & Satyrus percuſſus iaculo comprimere eam conaretur, vocatus in auxilium Neptunus, ex eius manibus eripuit, ipſeque cum eà concubuit, quo conceptu Nauplium natum tradunt. Convenit cum hoc typo eximia Gemma adlata in Muſeo Florentino (2), in qua ſub equis quadriiugi currus iacet Triton; Neptunus vero, toto corpore nudus, ſiniſtra equorum habenas & tridentem tenet. Sed quum in ſepulcralibus Sarcophagis, quos Graeci apud Romanos ſculpſere, raptum hunc nondum obſervaverim, nec inter feralia emblemata connumeratum conſpexerim; veriſimilius crediderim in hac perrara Etruſca Vrna expreſſam eſſe Proſerpinam a Plutone raptam, cuius currum Tiſiphone, ſive aliqua ex infernalibus Furiis eius miniſtris, quadrigam moderatur, ociſſime equis currentibus, quorum pedibus monſtrum illud inferum, ex numero eorum, quae veteres Mythologi in Orci veſtibulo collocarunt, proteritur, nec ſe tueri poteſt, licet gladium dextra vibret. Huiuſmodi emblema in Sepulcris penes Romanos occurrit, ut oſtendi in Parte III. Inſcriptionum antiquarum, quae in urbibus Etruriae exſtant. Mihi plane riſum excitant quidam eruditi homines, qui licet has Fabulas in Vrnis Etruſcis ſculptas videant, e vetuſtiſſimis Mythicae Hiſtoriae fontibus acceptas, quibus & ipſi Graeci uſi ſunt; tamen eas non Fabulas, ſed ut dubia & in his excitent, quae aperta & indubitata cenſentur, alias Hiſtorias Etruſcorum proprias nobis ignotas in iiſdem referri arbitrantur, nec, ut eas nobis explicent, adlaborant.

TAB. III. num. 1I. *Echidna*.

ECHIDNA, aliis Tartari & Terrae, aliis Oceani filia, ſuperiore parte corporis referens Nympham, inferiore vero ſerpentem ingentem, horrendum, crudivorum, quod monſtrum ἀμήχανον *inplexum* adpellat Heſiodus, qui illud deſcribit (3), feralis eſt typus, frequenter in Sepulcris Etruſcorum occurrens, ut videre eſt apud Dempſterum Tabula LXXX. num. 1I. & in Muſeo Etruſco Tabula CXLVIII. (4) quo, uti opinor, nil aliud Etruſci ſapientes intelligendum eſſe monſtrarunt, quam homines culpis obnoxios, qui ante-

(1) Tom. XXXVIII. Explic. pag. 86.
(2) Vide Tom. IV. Obſ. Litt. Veron. p. 175.
(3) In Theogonia verſ. 295.
(4) Vide in Vol. II. pag. 172. 281. & 282.

quam e vita migrarent, expiati non ſunt, vel ſacrorum myſteriorum initiationes non ſuſceperunt, apud Inferos ab his monſtris torqueri, quorum ſedes ſpecus ſub cavernis terrae, procul ab immortalibus Divis, mortalibuſque hominibus, ut ait idem Heſiodus. Libenter amplector hanc Cl. Paſſerii opinionem, quam propoſuit in Roncalienſibus (1), ubi hoc monſtrum immanibus ſerpentinis caudis circumplectitur milites & necat: at ubi in caudas marinorum monſtrorum proprias deſinit, puto Scyllae ferale Vrnarum Etruſcarum thema a me propoſitum omnino reiiciendum non eſſe: favente huic opinioni tum Virgilio (2), qui Scyllam inter infera monſtra enumerat: tum varietate ipſa horum monſtrorum, quae nunc alato capite & humeris, nunc ſine alis & cum variis nauticis inſtrumentis, nunc tridente, nunc temone, aut ignitis torribus armata, & interdum ſpecie iaculantium ſaxa, exprimuntur.

TAB. IV. num. 1. *Meleagri pugna cum apro Calydonio.*

CVr ferale ſit thema Meleagri Oënei & Althaeae filii pugna cum apro Calydonio, quam Etruſci in ſuis Sepulcris, eorumque exemplo Romani frequenter exhibuerunt, docent veteres Mythologi, & perſpicuo ordine Hyginus (3): ad quem Lectores, ne nimio taedio eos adficiam, mitto. Meleagri in hac pugna comites duo heic exhibentur: multos tamen fuiſſe ex delectis Graeciae ducibus memorat, eorumque nomina recenſet idem Hyginus (4). Meleagrum, fato mortis obnoxium ob caedem apri Calydonii, quod eius exuvias renuentibus, & eripere conantibus Althaeae fratribus, Athalantae donaſſet, a pugna avertere conatur Parca, quae ſpecie iaculantis haſtam in eum ſculpta eſt. Conſtat aprum immani magnitudine, Dianae iratae iuſſu immiſſum fuiſſe, ut agrum Calydonium vaſtaret; quare, ut in agro columnam illam cum immani capitulo Corinthium opus imitante Etruſcus ſculptor exprimeret, nulla ſuadebat ratio. Sed hanc expreſſam arbitror a ſagaci artifice, ut cum hac imaginem coniungeret venationis, quae in ſuo Amphitheatro, ut ſupra adnotavimus, ſimilibus ſtriatis columnis ornato, edi ſolebat. Operculum, in quo ſculpta defunctae mulieris imago, ad aliam, ut arbitror, Vrnam pertinuit. Obſervanda pulcherrima ornamenta, quae matronam auguſtiorem reddunt: nempe capitis diadema, prominentibus undequaque radiis: torquis circa collum: bulla e loro valde locupleti atque operoſo ante pectus pendens: dextrariola, quae

an-

(1) Tom. XXII. Opuſcul. Scient. pag. 463.
(2) Aeneid. Lib. VI. verſ. 286.
(3) Fab. CLXXIV.
(4) Fab. CLXXIII.

anguis circumvoluti ſpeciem imitantur, & flabellum, quod dextra gerit : quae omnia inter inſignia divinitatis habenda eſſe, ſupra adnotavimus.

TAB. IV. num. 1I. *Phineus ab Harpyis liberatus.*

GRyphes feminas & mares, interdum alatos, interdum etiam alis deſtitutos, Etruſci inter infera monſtroſa animalia numerant, & in Sepulcris tanquam ferale emblema exhibent : inſtructi, quod probabile eſt, ſapientum Aegyptiorum ac Phoenicum ſcientia, qui multa animalia, monſtris ſimillima, commenti ſunt : hiſque ultricem Dei iram ac vindictam paratam ad puniendos impios homines, adumbrarunt : quin & in templorum aditu poſuerunt, ut inquinatos culpis homines terrore complerent, & ab ingreſſu repellerent (1). Vtrumque conſilium Etruſci forſitan amplexati ſunt, ut metum non initiatis expiatiſque inicerent, & Sepulcrorum & quietis mortuorum violatores procul ſemoverent. Sed in hac eleganti Vrna, ut in ſuperiore, Etruſcos probabile eſt hiſtoriam aliquam expreſſiſſe. Eam forſitan reor, quae ab Apollonio memoratur (2), & fuſius a Servio in Virgilium deſcribitur (3). Ferunt, Phineum, ob divinitatem a Thracibus regem cooptatum (alii volunt Arcadiae Regem) conſilia divina proprodiiſſe; quapropter obcoecatum delatumque ad Pelagias inſulas ab Harpyis exagitatum fuiſſe, quae ei cibos abripiebant, & ſomnos inquietabant. Porro quum is Iaſonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, hoſpitio ſuſcepiſſet, & ductorem propter Symplegadas petras eis dediſſet, tanto beneficio inlecti Argonautae, quum ei gratiam vellent referre, Zethum & Calain, filios Boreae & Orythiae, alatos iuvenes, ad pellendas Harpyias miſerunt : quas quum ſtrictis gladiis perſequerentur, pulſae e Thracia ſive Arcadia, pervenerunt ad inſulas, quae adpellantur Plotae. Non me latet, Harpyis vultum femineum tribuere Homerum & Virgilium. Ambigua canis, aquilae ſeu gryphis effigie probabile eſt, eas ab Etruſcis, qui Thraciam incoluere antequam in Italiam venirent, ſculptas fuiſſe. Servius his monſtris Furiarum & canum proprietates probe convenire oſtendit : Virgilius Harpyias tres dicit, quarum nomina ſunt *Aello*, *Ocypeto*, *Calaeno*. Apollonius duas dixit. Et ſane, quum Etruſci alia ſpecie Gryphes effinxerint, alatos nempe, capite aquilam, auribus canem, in reliquis leonem referentes, quorum eximium plane exemplum eſt illud ſigillum, Etruſcis litteris

 ſcri-

(1) Vide, quae adnotavi in Tom. II. Muſ. Etr. pag. 291. ex antiquis Scriptoribus.

(2) Argonautic. Lib. II.

(3) Aeneid. Lib. III. verſ. 209.

ſcriptum, quod exſtat in lectiſſimo Muſeo Coratio, quod protuli in Tabula CLV. num. II. Muſei Etruſci. Ad canis ſpeciem, roſtrato ore, hoc monſtrum in hac Vrna ſculptum propius adcedit. Haec & alia, quae in hac Vrnarum Etruſcarum explicatione a me adnotantur, doctorum hominum, non cenſorum in me debacchantium iudicio ſubiecta ſunto.

TAB. V. *Auge & Telephus ab interitu erepti.*

QVam celebris ſit apud Scriptores Auges & Telephi Hiſtoria, ſive Fabula, oſtendit Leonardus Adamius Volſinienſis in Arcadicorum Volumine primo (1), in quo eorum narrationes adfert, eaſque inter ſe minime convenire erudite obſervat. Etruſci huius elegantiſſimi Sepulcri ſculptura mirifice convenit cum his, quae ſcribunt Strabo & Pauſanias. Haec primus (2): *Euripidem auctorem habeo, Augen cum filio Telepho in arcam incluſos, inque mare deiectos fuiſſe ab Aleo patre Auges, quum is vitiatam ab Hercule filiam deprehendiſſet; ſed providentia Minervae factum, ut arca mari tranſmiſſo, oſtio Cayci exciperetur: corporibus exemtis, Teuthrantem in uxorem accepiſſe Augen, & Telephum pro filio adoptaviſſe.* Haec vero alter (3): *Cum Auge (quod ſcriptum Hecataeus reliquit) Hercules concubuit, quum forte Tegean veniſſet. Id ubi ex puerperio filiae reſcivit Aleus, puerum cum matre in arcam concluſos in mare abiecit. Delata aeſtu arca eſt ad Teuthrantem, pollentem dominatu hominem in campis a Caycum amnem. Is puellae forma adlectus, eam ſibi matrimonio iunxit.* Qui Augen ſuſtinet animo linquentem, eſt Nauplius, qui Alei iuſſis non parens, eam ſervavit. Vas illud, eleganti opere ſculptum, quod e navi adfert iuvenis ille, continet, ut opinor, dona Teuthranti offerenda: cave autem ne cenſeas arcam referre, in qua Auge cum Telepho incluſa fuit.

Adſimilem fabulam de Danaë narrant veteres Mythologi, qui tamen & in hac quoque non concordant. Haec Servius (4) de Danaë, Acriſii Regis Argivorum filia: *Poſtquam ab Iove vitiata, pater eam intra arcam incluſam praecipitavit in mare: quae delata ad Italiam, inventa eſt a piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat: & oblata regi Pilumno, qui eam ſibi fecit uxorem.* Luculentius hanc mythicam Hiſtoriam deſcribit Apollodorus, quem vide (5). Vtraque poteſt huic emblemati Etruſci Sepulcri convenire: de qua, quum ad Muſei Etruſci Tabulas CXXXVIII. & CXXXIX. fuſius aliqua adnotarim, heic eadem adferre ſupervacaneum arbitror.

CA-

(1) Lib. II. Cap. VII.
(2) Geograph. Lib. XIII.
(3) Arcadic. Lib. VIII. Cap. IV.
(4) In Lib. VII. Aeneid. verſ. 372.
(5) Biblioth. Lib. II.

CAPVT VIIII.

MVSEI GVARNACCII Sepulcrales Vrnae, quarum emblemata e Troica Hiſtoria depromta ſunt, adferuntur, & obſervationibus illuſtrantur.

I. QVanquam non defuerit, qui perraro iudicio ſcripſerit (1), in meo Muſeo Etruſco non Etruriam, ſed Graeciam fere totam ſe ſpectare: idque ei non contigere, dum obſervat monumenta adlata in Dempſteriano Opere; adeoque longe a veritate alienum eſſe cenſuerit, Sepulcrales Etruſcorum Vrnas nobis exhibere Actaeonis necem, Herculis pugnam cum Acheloo, Caſſandrae & Polynicis fata, Graecorum pugnam ad Scaeam portam, Graecorum certamen ob Patrocli cadaver, Amazonum praelia, quae ſub Troiae moenibus auxiliatum Priamo venere, Hecubae ſeu Caſſandrae ferale connubium, Polyxenam ad Achillis ſepulcrum mactatam, Oreſtem & Pyladem a Furiis agitatos, aliaque huiuſmodi: & dubitet, Etruſcam eſſe eam Vrnam in Muſeo Mediceo adſervatam, quae alabaſtro inſculpta eſt, quo Volaterrae tantum in Etruria abundant, in qua Polymeſtoris & filiorum eius vindicta & obcoecatio Hecubae iuſſu perpetrata exhibetur; tamen iudicium meum a me iam primum propoſitum ſequens, fidenter adfirmo, nulla in Etruſcis Vrnis frequentiora occurrere emblemata his, quae nobis e Troica Hiſtoria, & ex Homeri aureis aeterniſque Libris Iliade & Odyſſea innotuerunt. Neque id mirum videri poteſt, quum ad incolenda haec Italiae loca hi populi migrarint, qui vel Graecis originem dedere, vel ex ipſis orti, vel cum his ſocietate, commercio, moribus atque inſtitutis coniuncti fuere: quod perſpicue liquet, ſi quis urbium Latii & Etruriae, ac praeſertim Romae origines & conditores inveſtigans, legerit varias vetuſtiſſimorum Scriptorum opiniones, quas Feſtus & alii Scriptores enumerant (2).

II. Scaenam igitur Troicam rurſus & in hoc ipſo Volumine aperio, coniecturis & obſervationibus meis faventibus MVSEI GVARNACCII non paucis inſignibus monumentis, aliiſque in reliquis Etru-

(1) Vide Tom. IV. Obſerv. Litt. Veron. pag. 173. & 174.

(2) Vide in Voce *Roma*, & Dempſterum de Etruria Regali.

Etruriae urbibus exſtantibus: quae tanta auctoritate docent conſenſum horum populorum cum Graecis, ut aliquando Etruſcorum cum his concordiam tum in cultu Deorum, in ſacris & ritibus, tum in moribus & conſuetudinibus me perſpicue oſtenſurum ſperem. Laetor tamen iudicio atque adprobatione praeſtantiſſimorum virorum, qui Auctores ſunt Actorum Lipſienſium, qui meas obſervationes humaniſſimis laudibus honeſtarunt (1), & doctiſſimi Paſſerii, qui hanc ipſam opinionem meam multis rationibus & documentis confirmavit.

III. Quod vero Graecorum Hiſtorias, & ab Homero aeternis carminibus picta themata non Volaterrae tantum, ſed & reliquae Etruriae urbes amplexatae ſint, id ex adlatis tum in Dempſteriano Opere, tum etiam in meo Muſeo Etruſco monumentis manifeſtum eſſe arbitror. Sed haec mythica emblemata, ac praeſertim Iliaca, tota Italia uſurpata fuiſſe non dubito. Ea etiam probe nota fuiſſe Carthaginienſibus, docet Virgilius (2), quem minime credam genio poëtico indulſiſſe, qui haec ſcribit de Aenea, ſpectante magnificum ſane doniſque opulentum Iunonis templum, a Didone conditum:

—————— Dum quae fortuna ſit urbi,
Artificumque manus inter ſe, operumque laborem
Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumque, & ſaevum ambobus Achillem.

Sed de his ſatis: Troicum theatrum, ab Etruſcis in ſuis ſepulcraliſius Vrnis productum, nunc adeamus.

TAB. VI. *Paris Helenam rapiens.*

HIc typus nunquam antea viſus in Tuſcanicis Sepulcris, primum nuper patuit curis Ampliſſimi Praeſulis Marii Guarnaccii, egeſta terra in Falconciniis praediis. In eius Muſeo exſtat altera Vrna adſimili emblemate ornata. Etruſca inſcriptio in operculi labro inciſa docet, in ea *Auli Caecinae Emaſi* cineres in ſubiecta arcula, vel in alia potius, conditos fuiſſe, cuius imago expreſſa eſt: qui, tamquam notam ſuae dignitatis, volumen praefert. Cernitur in altera parte ſub arcu duabus columnis ſubfulto, thalamus, noſtro, quem *alcova* dicimus, ſimillimus: quem etiam indicat humi poſitum ſcabellum ſive ſuppedaneum. Helena, quae in aliis Vrnis idem

(1) Vide Nova Acta Eruditorum, publicata anno MDCCXXXIX. in princ. Tomi.

(2) Aeneid. Lib. I. verſ. 457. & in haec loca vide Servium, & ibidem verſ. 509.

idem thema referentibus, adhuc in lecto ſedet, flammeo velata caput; in hoc vero, quaſi morae impatiens ex eo ſurrexerit, exhibetur, & cum Paride, qui eam ad fugiendum adiuvat & amplectitur, fugere nitatur. In altera parte ſpectantur Troiani proceres, ſiniſtra baculum tenentes, & ob huiuſmodi facinus moerentes: qui dum caput ac mentum brachio ſubfulciunt, animi ſui aegritudinem perſpicue declarant. In medio cernitur, ni fallor, Leda Helenae mater cum parva filia, de extremo Troiae exitio dolentes. Heros ille, galea, haſta & clypeo inſignis, qui advenire ad tantum crimen vindicandum fingitur, forſitan eſt Hector; qui vero gladium ſtringit, Troilus Helenae frater videtur. Huic emblemati multum lucis adfert Homerus, praeſertim in Libris Iliadis tertio & ſexto, apud quem Menelaus necem expetit raptoris uxoris ſuae: & Helena apud Hectorem ſe excuſat, quod tot aerumnarum ac malorum Troiae ac domus ſuae cauſa fuerit.

TAB. VI. & VII. *Helena ab Alexandro ſive Paride quadriiugo curru domum deducta.*

EX Hiſtoria Troiani belli apud Aegyptios ac Phoenices (1), in Italia, in Etruria ac Latio valde nota (2), atque ex ea, quae minus implicata ac permixta fabulis cenſebatur, vero propius crediderim, Homerum, qui has regiones peragravit (3), ea ſelegiſſe, dum Heroum geſta ab his narrarentur, quae cum veritate magis concordare, ac plurium teſtimonio melius congruere arbitratus eſt. Siquidem alii narrabant, Helenam, nec dum nubilem, a Theſeo raptam eſſe, & mox parentibus redditam inviolatam (4). Alii Alexandrum Priami filium eamdem Menelao nuptam eripuiſſe; haud tamen cum ea Troiam perveniſſe; ſed quum per mare eam deduceret (5), in Aegyptum tempeſtate delatum, a Proteo, irato animo huiuſmodi facinus ferente, comprehenſum, & coactum Helenam in Aegypto relinquere, & intra trium dierum ſpatium regni finibus excedere (6). Alii memorabant, Paridem, non Helenam, ſed eius ſimulacrum a Iunone fictum, Troiam advexiſſe (7). Alii demum non Helenam for-

(1) Vide Sam. Bochartum in Geograph. Sac. Lib. I. Cap. XXXIII.

(2) Vide Muſ. Etr. Tom. I. in Praefat.

(3) Ex Herodoto Lib. II. Strabone Geograph. Lib. V. 224. Heraclide Pontico in Allegoriis Homeri, ſed vide.

(4) Vide Hygin. Fab. LXXIX. Strabonem Geograph. Lib. IX. Pauſaniam in Laconicis Lib. III. Cap. XVIII. & Eliacor. prim. ſive Lib. V. Cap. XVIII.

(5) Eius raptum, & iter per mare deſcribit Coluthus Thebaeus.

(6) Vide Herodotum in Euterpe Lib. II.

(7) Plato in Phaedr. Iſocr. Encom. Hel. Euripides in Tragoedia, quam inſcripſit *Helenam*. a num. 112. ad 121.

forma praeſtantiſſimam; ſed opes Spartani Regis a Paride e Graecia raptas, & Troiam adſportatas fuiſſe (1).

At Homerus exiſtimavit Alexandrum vere Helenam rapuiſſe, & in inſula, quae poſtea Helena eſt adpellata, cum ea primum concubuiſſe, ac pro ea retinenda bellum illud perdiuturnum memorandumque geſſiſſe (2). Cum Homero probe concordant Etruſcorum Vrnae, quae Helenam a Paride raptam, ut vidimus, teſtantur, maerentibus, ac repugnantibus eius cognatis. Eam quoque non per mare vectam, ſed quadriiugo curru, more Dearum ſponſarumque velato capite, ab eodem Paride, cuius caput ornatum vides pileo Phrygio, domum deductam, Etruſcae ſculpturae, quae antea incognitae, nunc primum ob oculos eruditorum hominum veniunt, perſpicue docent. Sponſis male ominatis iter monſtrat, iiſdemque ardenti lampade praeit Genius, quem in ſuis ſculpturis Etruſci Heroum individuum comitem faciunt. Nec repugno, ſi quis potius Erinnyn (ita & Helenam Virgilius adpellat) vel Parcam eſſe cenſeat. Qui currum ſequitur, Helenam forſitan lenit, & maerentem ſolatur: at in aliis pluribus Vrnis Etruſcis, ut in ea eodem themate alabaſtro eleganter inſculpta, quae exſtat in meo Muſeo, vir iſte Helenam a Paridis complexu vi abſtrahere, & e curru quodammodo deiicere manifeſte cernitur. Praecedunt currum duo milites armati; quorum unus utramque manum, novo nec antea obſervato pugnandi genere, parvis ſcutis rotundis armatam habet. Qui humi decumbit, forſitan aut montem Idam, aut Scamandrum repraeſentat. Hi quoque, ni fallor, raptorem Alexandrum vel cohibent, vel in fata ſua & Troiae ruentem morantur.

Duas Vrnas eodem themate ornatas adferre volui, ut clarius conſtet illud, quod antea dicebam, eaſdem in Tuſcanicis officinis a Sculptoribus paratas fuiſſe, ut operoſiores & magis elaboratae locupletiorum hominum genio & facultatibus facerent ſatis; quae vero rudiores erant, a tironibus inſculptae, in quibus omiſſae interdum non paucae figurae ſpectantur, cuius exemplum habes in Vrna edita in Tabula VII. pro his inſervirent, qui minori ſumtu eas emere ſibique parare cogebantur.

TAB. VIII. *Philoctetae calamitas, & fatales ſagittae.*

SIngularis eſt, omniumque plane rara & inſignis haec Vrna, a perito artifice alabaſtro inſcalpta, cuius emblema, nunquam antea

(1) Auctor Libri, qui Dictys Cretenſis nomine circumfertur.

(2) Vide Iliad. Lib. Γ. verſ. 444. Strabonem Geograph. Lib. IX. num. 100.

antea editum, neque in Graecis, neque in Romanis antiquitatibus cum his figuris & ornamentis expreſſum obſervatumque, exhibet PHILOCTETAM, inter Argonautas Heroas non ignobilem (1), cuius nomine Sophocles Tragoediam inſcripſit: Cicero vero (2) & alii Scriptores eum in exemplum calamitatum ac miſeriarum produxerunt. Cernitur Philocteta aetate provectus, toto corpore nudus, facie morbo & gemitibus reſpondente, cum pede ſiniſtro vulnerato, ac faſciis circumligato, ex antro Lemneo, in quo aegrotus iacebat, quaſi adſurgens, & dextra offerens unam ex ſuis ſagittis cuidam Heroi chlamydato, quem, utpote iuventa florentem, Neoptolemum aut Diomedem eſſe reor, iuxta quem adſtat alter Heros. In altera vero Vrnae parte admirabundus clanculum adſtat, ne obſervetur, Vlyſſes, ſiniſtra tenens quoddam volumen, quod illud forſitan eſt, in quo fata, quibus Troia capi poterat, ſcripta erant: inter quae cenſebantur ſagittae, quas Philocteta ab Hercule, quod ei pyram in Oeta monte ſtruxiſſet, antequam caelum, redacto in cinerem corpore ſuo conſcenderet, dono acceperat. Huiuſmodi ſagittarum fatum, ſine quibus Troia capi non poterat, Achivi ab Heleno capto didicerunt (3). Alii aſtu ex antro deductum Philoctetam ab Vlyſſe fingunt, uti Euripides. Alii ei inviſum Vlyſſem tradunt: adeoque, quum eius prudentiae & calliditati huiuſmodi negotium ab Agamemnone Rege demandatum eſſet, narrant, eum non aperte adiiſſe Philoctetam; ſed per Neoptolemum circumveniſſe, ut fatales Herculeas ſagittas traderet. Alii cum Philocteta congreſſum Diomedem, & ex antro ab eo deductum ſcribunt. Quod vero Heros ille in dextra Vrnae parte antro proximus, caute adcedens, Vlyſſem referat, ex eo coniicio, quia in aliis monumentis Vlyſſes barbatus fingitur. Circa antrum arbores pomiferas ex ingenio ſuo ſculpſit Etruſcus artifex, & earum folia viridi colore pinxit; quum tamen ſilveſtri in loco fuiſſe antrum (4), ſagittarumque aucupio Philoctetam vitam ſibi decem annis propagaſſe, aliqui Scriptores prodiderint.

Etruſca Vrna Philoctetam laevo pede percuſſum oſtendit, quod nullum Mythologiae Scriptorem, nec Philoſtratum (5), nec Hyginum, qui haec ſcribit, adnotaſſe animadverto (6): *Philoctetae Poeantis & Demonaſſae filius, quum in inſula Lemno eſſet, coluber eius pedem percuſſit: quem ſerpentem Iuno miſerat, irata ei ob id, quia ſolus praeter ceteros auſus fuit Herculis pyram conſtruere, cum humanum corpus eſt exuſtum, & ad immortalitatem traditum. Ob id beneficium Hercules ſuas ſagittas* divi-

(1) Val. Flacci Argonaut. Lib. I. verſ. 391.
(2) Lib. II. de Finibus.
(3) Vide Sophoclem in *Philocteta*, Pauſaniam Eliac. I. Cap. XIII.
(4) Vide Ovidium Metamorph. Lib. XIII. verſ. 45. Triſtium Lib. V. Eleg. I.
(5) In Heroicis Cap. V. I. & 2.
(6) Fab. CII. pag. 165.

divinas ei donavit. Sed quum Achivi ex vulnere tetrum odorem ferre non poſſent, iuſſu Agamemnonis regis in Lemno expoſitus eſt cum ſagittis divinis: quem expoſitum paſtor regis Actoris, nomine Thimachus, Dolophionis filius, nutrivit. Quibus poſtea reſponſum eſt, ſine Herculis ſagittis Troiam capi non poſſe. Tunc Agamemnon Vlyſſem & Diomedem exploratores ad eum miſit: cui perſuaſerunt, ut in gratiam rediret, & ad expugnandam Troiam auxilio eſſet: eumque ſecum ſuſtulerunt.

Quantum haec ſculptura differat a picta Philoctetae icone, quam apud Graecos obſervavit Philoſtratus iunior (1), nemo non videt. Nam Graeci Heroem hunc non nudum, ut Etruſci, ſed lacernis indutum, & iuxta altum littus in ſaxo procumbentem aegrotaſſe finxerunt. Id & heic quoque adnotare volui, ne quis centeat, has Vrnas e Graecia Volaterras tranſlatas fuiſſe.

TAB. VIIII. num. II. *Heros ſolus quadriiugo curru vectus.*

QVi nam ſit Heros iſte ornatus galea & chlamyde, qui, praeter morem Heroum Homericorum, ſolus, ſine auriga, ac ſine comite armorumque miniſtro, quadriiugo curru vectus pro ferali huius Vrnae emblemate ſculptus cernitur, omnino incompertum mihi eſt. Currentes equos habenis non moderatur, nec coërcet; ſed, ut videtur, utraque manu currum ad ſe trahit & moratur, quaſi eo niſu, quo, ut opinor, facile ab Etruſcis qui nam eſſet intelligebatur, ſe nolentem duci ſignificet. Ferunt Oenonem, a Rhea vaticinandi arte inſtructam, praedixiſſe Alexandro Paridi, ſi ad Helenam reverteretur, lethale vulnus in praelio accepturum, cui nemo alius, niſi ipſa ſola mederi poſſet (2). Hunc autem, fato ſuo non reluctantem, apud Troiam Herculeis ſagittis a Philoctete vulneratum, in Idam memorant ad Oenonem remeaſſe, quae memor iniuriarum, noluit eum curare; quare, dum ad Troiam iterum ſaucius reverteretur, in itinere occubuit. Forſitan hoc Paridis fatum ſingularis haec Vrna repraeſentat. Emblemata haec Etruſca alii poſt nos felicius, & vero propius explicabunt, praeſertim ſi maiore copia Tuſcanica alia monumenta in lucem prodibunt; nam diligenti horum collatione huiuſmodi ſtudium mirifice amplificari poteſt. In meis lucubrationibus nil unquam temere adfirmavi, nil ſtatui, aut definivi; ſed adlatas meas probabiliores coniecturas doctiorum hominum iudicio, quod nunc facio ac ſemper faciam, ſubieci.

CA-

(1) Icon. XVII.

(2) Vide Apollodorum in Biblioth. Lib. II.

C A P V T X.

Etruſcorum Sepulcra feralibus emblematis cum Troica Hiſtoria coniunctis, Tragiciſque celebrioribus thematis inſculpta, adferuntur & illuſtrantur.

I. ERuta paucis ab hinc annis Volaterris, atque in aliis Etruriae urbibus, antiquorum Etruſcorum Sepulcra, feralibus emblematis inſculpta, quae numquam antea litterario orbi nota fuere, dum primus omnium in lucem profero, ac nitor nonnullis obſervationibus elucidare, quas mihi diuturnum ſtudium, & multorum monumentorum diligens conlatio, nec praeceps cura peperit; illud uſurpare mihi liceat (ut, ſi quae adſecutus non ſum, veniam ſaltem, non irriſiones merear) quod Plinius in Praefatione ſuae Hiſtoriae Naturalis praemonendum cenſuit: *Res ardua vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem. Itaque & non adſecutis, voluiſſe abunde pulcrum & magnificum eſt. Equidem ita ſentio, peculiarem in ſtudiis cauſam eorum eſſe, qui difficultatibus victi utilitatem iuvandi praetulerunt gratiae placendi.*

II. Non defuturos, arbitror, eruditos homines, qui, inſpecta hac tam multiplici monumentorum, numquam antea in lucem editorum, varietate, forte non ita facile, ac ſtatim etiam ſibi perſuadere velint, tam inſignes eruditae antiquitatis theſauros in hiſce Muſeis adſervari: & nonnullos etiam dicturos, ludicra eſſe recentiorum commenta. Puderet me in hoc ipſo Opere, pro quo abſolvendo tot ſumtus & labores impendi, nil aliud praeter araneas conſectatum eſſe. Puderet temerare incorruptos vetuſtatis aditus, honeſtos homines fallere, mihi & patriae meae notam temeritatis inurere ſempiternam. Sed ut ſim poſteritatis, famae & conſcientiae meae ſecurus, illud monebo, quod Muſea haec Volaterrana perpetuo apud cives exſtabunt: nec fatum illud, ut ſpero, ſubibunt, ut diſſipentur & in calcem vertantur. Sed, ſi qui erunt, qui de his dubitent, ipſi vel per ſe, vel per doctos amicos monumenta ipſa adeant, ſcrutentur, expendant; maximam profecto capient in iiſdem monumentis obſervandis voluptatem.

III. Sed illud interim, quod ad ipſarum Vrnarum mechanicum opificium pertinet, notandum, Etruſcos Sculptores Volaterranos alabaſtrum marmor, quia fragile eſt, nec valde durum, praeſertim quum e lautumiis eruitur, ſi forte aliquo in loco percuſſo.

cuſſo validius ſcalpro frangeretur (quod tunc frequentius adcidere ſolebat , quum capita magis exſtantia ſculpebantur) utrimque terebrare , & fractas partes inſerto ligneo tigillo in rotundis foraminibus cum glutine tenaciſſimo ſimul iungere conſueviſſe : quod nuper ego archetypa ipſa non ſemel conſulens , id mira arte ab his factum fuiſſe obſervavi . Imaginem Statuarii ſarcophagum ſculpentis & ſtriaturas in eo facientis , exhibet Fabrettus (1) , quem vide . His praenotatis ad emblemata ipſa Etruſcarum Vrnarum ornatiſſimi MVSEI GVARNACCII dilucidanda revertamur .

TAB. X. *Lybantis Genius deſaeviens in Temeſſenſes , evocatus & expiatus .*

CVm perraro atque inſigni emblemate huius Vrnae Volaterranae non parum concordare videtur alterum Vrnae Peruſinae , quae in Dempſteriano Opere exhibetur (2) . Senator Bonarrotius duobus in locis ſuae Appendicis (3) idem emblema explicavit, cenſuitque monſtrum illud e crypta erumpens , quod militem proxime ſtantem adgreditur , aliis duobus proſtratis , adſtante etiam altero milite, qui perterrefactus gladium intentat , referre Voltam monſtrum , quod Volſinios urbem ſubiiſſe , depopulatis agris , memorant Etruſcorum Annales (4) . Hoc autem monſtrum in Sepulcris Etruſcis ea de cauſa expreſſum ſubſpicatus eſt idem Bonarrotius, quod Mortem repraeſentaret, eiuſque vim ac potentiam feram & malignam ſignificaret ; nam illud idem monſtrum vinctum tenet mulier alata , & face armata , quam Tartareum aliquod Numen ſive Furiam idem clariſſimus Interpres referre exiſtimat .

Monſtri effigies, in Vrna hac Muſei Guarnaccii expreſſa , aequivoca eſt, quam , ſi diligenter inſpexeris, num lupum aut canem , aut equum dicas , haerebis . Catenis circa eius collum ligatis coërcent, atque e ſepulcro, ne proſiliat , cohibent a dextris Heros chlamydatus, qui ſe clypeo protegit, monſtro reluctante & adverſo ; a ſiniſtris vero miles, ſeu potius ſervus, nullis armis inſtructus. Adſtant tres alii Heroës, ei necem minitantes ; nam alii gladium, alii ſecurim intentant, & monſtrum illud horrificum occidere conantur : quod interim ſacris laticibus, e patera ſuper caput eius effuſis, expiat prope illud ſtans Sacerdos, qui etiam gladium tenet, ut poſt expiationem cruore eius ſepulcrum forte reſpergat , & Deos Manes placet .

At Cl. Paſſerius, nunquam ſatis a me laudatus, Peruſinum marmor

(1) Inſcript. Domeſt. Cap. VIII. num. CII.
(2) Tom. I. Tab. XXV.
(3) §. XVIII. pag. 24. & §. XXVI. pag. 40.
(4) Vide Plin. Hiſt. Nat. Lib. II. Cap. LIII.

mor ignotae adhuc ſignificationis explicavit (1), indicato Pauſaniae loco (2), ubi LYBANTIS Genium deſcribit, qui in Temeſſenſes miſerrime graſſabatur. Haec igitur Pauſanias, interprete Amaſaeo: *Vlyſſem, aiunt, errantem everſo iam Ilio, tempeſtatibus huc illuc & ad alias Italiae ac Siciliae urbes, & Temeſſam etiam adpulſum: ibi de navalibus ſociis eius unum, virgine per vinum violata, ab oppidanis, contumeliam vindicantibus, lapidibus obrutum: Vlyſſem quidem, nulla ulciſcendi facinus inita ratione, inde profectum: peremti vero ſocii Manes finem nullum ſaeviendi in cuiuſlibet aetatis homines feciſſe, priuſquam cogitantes patriam relinquere Temeſſenſes*, quo eam peſtem effugerent, *Pythici Apollinis reſponſo Heroëm placare iuſſi ſunt, & conſecrato ei ſolo templum excitare: devovere ei praeterea quotannis virginem unam, quae ipſis formoſiſſima viſa eſſet. Quod quum illi ex oraculo facere pergerent, nihil omnino gravius dehinc paſſi ſunt. Forte vero quum veniſſet Euthymus Temeſſam, eo ipſo tempore quo ſolenne numini ſacrum fiebat, re tota cognita, ſe intromitti illum, aiunt, in templum poſtulaſſe, ibi virginem conſpicatum, primo miſericordia commotum, deinde etiam amore incenſum: ac puellam quidem, ſi ab eo ſervata eſſet, ſe in eius manum conventuram, fidem dediſſe. Armis igitur captis cum Genio congreſſum, illum victum moenibus & agro exceſſiſſe, ſublatumque prorſus ex hominum coetu in mare ſe demerſiſſe. Fuiſſe memorant, civitate univerſa foediſſima calamitate liberata, maxime illuſtres Euthymi nuptias. De eodem vero Euthymo & illud* ex antiquitatis monumentis *accepimus, longiſſimam eum aetatem vivendo impleſſe, neque omnino mortuum; ſed alio quodam modo hominem eſſe deſiiſſe*. Et paullo poſt: *Genius, quem eiecit Euthymus, colore fuit vehementer atro, omnique reliqua ſpecie maxime formidabilis: amictus, lupi pellis erat: LYBANTEM nomine litterae produnt*. Cum hac Pauſaniae narratione ita quadrat Etruſcae huius Vrnae emblema, ut nihil ſupra. Igitur Heros ille corpore nudus, chlamyde ornatus, qui ſecuri Lybantis Genium, ſpecie lupum referentem, percutere conatur, cui, quod malum, deeſt caput, eſt Euthymus. Heros vero, qui proſtratus iacet, & pedibus atque unguibus a teterrimo illo monſtro proteritur ac lancinatur, mortui imaginem referre videtur; adeoque veriſimilis ea mihi ſemper viſa eſt Bonarrotii coniectura, his monſtris Etruſcos Mortis & Fati arbitram vim ac ferale corporis exitium in ſuis Sepulcris declarare voluiſſe (3).

Sed alia plura, quae Pauſanias non audivit reſcivitque ab incolis Temeſſenſibus, nobis aperit Vrna haec, elegantia ac raritate inſignis. Quod hactenus nulla monumenta docuerunt, oſtendit, ni fal-

(1) In Roncalienſibus, & in Diſsert. *de Ara Sepulcrali* pag. 60.

(2) Eliacor. II. Cap. VI.

(3) In Appendice pag. 24. & 40.

fallor, quomodo Etruſci monſtra evocare, evocata quomodo expiare, ſacriſque laticibus ſuper caput effuſis, mitiora ac minime in hominum genus noxia reddere ſolerent. Hinc etiam diſcimus, Etruſcorum Pontifices ac Sacerdotes barbam promittere conſueviſſe. Tria apud Etruſcos fuere expiationis monſtrorum genera: hoſtiae maiores & lactentes mactatae ad Deos placandos: ſupplicationes ad pulvinaria iratorum Deorum: mactatio, combuſtio, & in altum mare eiuſdem monſtri demerſio. Haec omnia erudite obſervat Thomas Dempſterus (1). Sed alterum expiationis ritum, in monſtris depellendis a Tuſcis adhibitum, iiſdem nempe laticum adfuſione luſtratis, ut antea adnotavimus, oſtendit eximia haec Vrna alabaſtro candido ac pellucido eleganter inſcalpta.

TAB. XI. *Clytemneſtra ab Oreſte, Aegiſthus a Pylade occiſi.*

TRagico emblemate inſignis haec Vrna referre mihi videtur ORESTEM, qui, ut vindictam ſumeret de matre ſua Clytemneſtra, quae circumventum Agamemnonem patrem ſuum, conſcio fraudis Aegiſtho, ſacrificantem ad aram ſecuri obtruncandum curarat, ad eam in lecto iacentem noctu occultus ingreditur & interimit, comite ultionis ſuae Pylade, qui Aegiſthum in terram deiectum obtruncat. In medio adſtans ſcelerum ultrix Genia ſeu Furia expreſſa eſt, quae virgam ſive ſceptrum dextra tenet, & ſontium neces ac poenas blando ore ſpectare videtur. Sed hunc ipſum typum ſingularis Etruſcae Vrnae ab Hygino ad marmoris fidem illuſtratum audiamus (2): *ORESTES, Agamemnonis & Clytemneſtrae filius, poſtquam in puberem aetatem venit, ſtudebat patris ſui mortem exſequi. Itaque conſilium capit cum Pylade, & Mycenas venit ad matrem Clytemneſtram, dicitque ſe Aeolium hoſpitem eſſe, nunciatque, Oreſtem eſſe mortuum, quem Aegiſthus populo necandum demandaverat. Nec multo poſt Pylades Strophii filius ad Clytemneſtram venit, urnamque ſecum adfert, dicitque oſſa Oreſtis condita eſſe: quos Aegiſthus laetabundus hoſpitio recepit: qua occaſione capta, Oreſtes cum Pylade, noctu Clytemneſtram matrem & Aegiſthum interficiunt: quem Tyndareus quum accuſaret, Oreſti a Mycenenſibus fuga data eſt propter patrem: quem poſtea Furiae matris exagitarunt.* Illud etiam in hac perrara Vrna adnotandum eſt, non ſine conſilio ſculptum eſſe a Tuſco artifice Oreſtem amictum cucullata veſte, quam funeream, & defunctorum propriam alibi obſervavimus; nam & haec ſculpturae nota clarius indicat, iuvenem illum, qui Clytemneſtram iugulare nititur, & caput eius laeva ma-

(1) De Etrur. Reg. Lib. III. Cap. IV. (2) Fab. CXIX. pag. 179.

manu immotum retinet, eſſe Oreſtem, qui ſe Aeolium hoſpitem, & Oreſtem iam mortuum eſſe matri nunciarat.

TAB. XII. *Amphiaraus terrae hiatu abſorptus.*

THebanorum, Lacedaemoniorum Arcadumque patrias Hiſtorias Heroicas non uno in loco me adnotare memini Etruſcis probe cognitas fuiſſe. En ex hoc quoque Vrnae ſepulcralis perraro & numquam antea in tota Antiquitatis eruditae ſupellectile obſervato emblemate luculentum, ac valde perſpicuum huius obſervationis exemplum & argumentum. Cernitur Heros armis inſignis, quadriga vectus, cuius equi in horrendum terrae hiatum ruentes expreſſi ſunt, trahente Furia ſeu Erinny dextra manu habenas, ut omnes voragine abſorbeantur: ea vero, expanſis alis, facem laeva adtollit. Batonem Aurigam, ſive ut alii memorant Elattonum, iam e curru praecipitem ſculpſit Statuarius ſagaciſſimus. Amphiarai currum ſequitur miles, eius comes: is forte eſt Heros Adraſtus. Mythicam hanc Hiſtoriam ab Apollodoro pictam (1), quae cum hoc ferali Vrnae themate perbelle convenit, audiamus; a quo etiam diſcere poſſumus, qua de cauſa idem thema ſculptum ſit in Sepulcris Etruſcis, nempe ut hominum fata dum vivunt, poſt mortem vero immortalitatem, iiſdem a Iove dono datam, ſignificarent. *Inter haec AMPHIARAO ad Iſmenum amnem fugienti, prius quam in humeris a Periclymeno vulnus acciperet, demiſſo ab Iove fulmine, terra dehiſcit. Mox ille cum curru ſimul & Batone auriga, ſive, ut quidam ferunt, Elattono, eo terrae hiatu abſorptus eſt, & poſtea numquam viſus. Illum enim Iupiter immortalitate donavit. Verum Adraſtus ab Arione equo vectus, in tutum evaſit. Hunc Ceres, in Erinnys formam converſa, ex Neptuni concubitu genuit.* Pauſanias (2) locum ubi Amphiaraus terrae voragine abſortus eſt, fuiſſe memorat ad dextram viae, qua a Potniis Thebas iter eſt, cuius aream, non utique magnam, columnis circumſepiverunt: Tanagraeos vero alium locum adſignare, nempe ubi urbium Harmatos & Mycaleſſi ruinae cernebantur (3).

TAB. XIII. *Philomelae fatalis thalamus.*

LVcem aliquam, ut meas qualeſcumque ſint, in hoc valde obſcurum interpretatuque difficile Etruſcae Vrnae emblema, coniecturas adferrem, praebuit iuvenis ille, qui dextrae manus digito ori

(1) Biblioth. Lib. III. 157.
(2) In Boeotius Lib. IX. Cap. VIII.
(3) Ibidem Cap. XIX. Vide etiam Hygini Fab. LXXI. & CCL.

ori adpoſito, ſilentium arcana de re ſibi indictum, declarare videtur. Tereus, quum uxorem duxiſſet Procnen, Pandionis & Zeuxippes filiam, & ex ea Itym filium ſuſcepiſſet, Athenas ad Pandionem ſocerum rediit, rogans, ut Philomelam alteram filiam ſibi in coniugium daret: Procnen ſuum diem obiiſſe, adfirmans. Pandion ei morem geſſit, Philomelamque & cuſtodes cum ea miſit, quos Tereus in mare deiecit. Interim rure celata Procne, poſtquam Philomelam duxit uxorem, linguam ei diſſecuit, quae, quum loqui non poſſet, per litteras in peplo contextas, Procnae ſorori miſerrimum fatum ſuum & clamitates, quibus premebatur, ſignificavit. Ea igitur femina, quae velato capite, nuptarum more, in lecto iacens, pugillarem (ita contigiſſe Tuſci veriſimilius credidere) ancillae ſuae tradit ſcriptum, Procnae deferendum, forſitan eſt Philomela: reliqui vero Terei comites, quos de Procne, deque his nuptiis ſilere Tereus coëgit, ut Hyginus (1) & Apollodorus (2) memorant. Alii meliora aut veriſimiliora proferant. Qui cultus quaeve forma fuerit lectorum cubiculariorum apud Tuſcos, ex hac Tabula, atque ex altera ſuperius edita, perſpicuum eſt.

Sequitur in eadem Tabula num. II. perelegans Ollae ſepulcralis marmoreum operculum, quod auro ſuperfuſum fuiſſe, ex bractearum, quae ſuperſunt, reliquiis innotuit. Defunctae nomen fuit *Thana Luviſui Papalial*, quod declarat Etruſcus titulus.

TAB. XIV. *Ferales epulae*.

DE hoc ſepulcrali emblemate nihil ſtatuo; ſed expectandum cenſeo, donec alia monumenta integriora, e terrae ſinu eruta, lucem adſpiciant. Complures alias Vrnas hoc typo inſculptas vidi in Muſeis Volaterranis; integram tamen nullam obſervavi. Mulier illa, quae curuli ſellae inſidet, animi ſui moerorem & luctuoſam, quam patitur calamitatem, declarare videtur; nam peplo caput operire ſe velle oſtendit. Obſervandum, quod menſa tripes, eſcariis vaſculis tribus referta, poſita eſt ante virum & feminam in tricliniari lecto recumbentes, aetate tamen provectos; at in altero lecto, ante diſcumbentes, qui iuvenes finguntur, haud poſita eſt menſa, ſed pueri duo adſtant, quos in aliis Vrnis nudos obſervavi. Subſpicor Procnes, quae Tereo inſcio Itym puerum (3), vel Thyeſtis, cui filium epulandum Atreus adpoſuit (4), ſceleratas epulas in his emblematis exhiberi.

TAB.

(1) Fab. XLV.
(2) Biblioth. Lib. III.
(3) Hygini Fab. CCXXXIX. Apollod. ibidem.
(4) Hygini Fab. CCLVIII.

TAB. XV. num. I. *Aiax Caſſandram a Minervae ſigno divellens.*

COmplura emblemata, quae Pauſanias ſculpta fuiſſe memorat in Cypſeli arca (1), in his quoque Etruſcorum Sepulcris plerumque expreſſa obſervantur. Hoc ipſum Aiacis impium facinus in Vrna marmorea mei Muſei repraeſentatur, quam protuli (2). Exhibet etiam idem thema fragmentum hoc Muſei Guarnaccii, ectypis formis in argilla expreſſum. Haec autem opera raro apud Volaterranos occurrere iam obſervavimus.

TAB. XVI. num. I. TAB. XVII. num. II.
Polites a Pyrrho ad aram occiſus.

INſigne eſt, & ante hoc tempus nunquam in antiquis ſculpturis obſervatum, ferale emblema necis Politis, qui elapſus e manibus Pyrrhi, qui eum occidere conabatur, quamvis ad domeſticam in ſuis aedibus aram, Penatibus Diis ſacram, confugiſſet; tamen ante oculos parentum Hecubae & Priami inermis ab eo occiſus eſt. Id ipſum autem emblema melius & accuratius illuſtrari non poteſt, niſi aeternis hiſce Virgilii carminibus (3):

Ecce autem elapſus Pyrrhi de caede Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hoſtes
Porticibus longis fugit, & vacua atria luſtrat
Saucius. Illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus
Inſequitur, iam iamque manu tenet, & premit haſta.
Vt tandem ante oculos evaſit & ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci iraeque pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Di, ſi qua eſt caelo pietas, quae talia curet,
Perſolvant grates dignas, & praemia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Feciſti, & patrios foedaſti funere vultus.

Iam illud perſpicuum eſſe cenſeo, haud inutile opus videri poſſe, Vrnas eodem typo, interdum vario, ſculptas repetere, quum aliqua ſemper

(1) In Eliac. Prior. Cap. XIX. Vide etiam Homer. Odyſs. Δ. Hygin. Tab. CXVI.

(2) Muſei Etr. Tom. I. Tab. CXXV.

(3) Aeneid. Lib. II. verſ. 526.

ſemper notatu digna occurrant, quae mutua luce nos rei certiores efficiunt. Haec quidem tanti momenti ſunt, ut alterius emblematis Vrnae Etruſcae a me adlatae in Tom. I. Muſei Etruſci Tabula CLXXI. num. 1. quum idem Politis & Priami domus miſerrimum fatum referre nunc perſpicue intelligam, non autem expiationem, ſive Cabiriis ſacris initiationem, propoſitam explicationem lubens reiiciam (1). In hoc vero iuxta Parcam feralis quoque Genia ſculpta eſt. Sed in prioris Vrnae eiuſdem Muſei Guarnaccii emblemate candelabrum, ſacro igne accenſum (quod in aliis non occurrit) non abs re ſculptum a Tuſco artifice cernimus. Huic lucem adfert idem Virgilius (2):

——————— Vidi ipſe furentem
Caede Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipſe ſacraverat, ignes.

Columna etiam, cum urna cineraria ſuperpoſita, in medio erecta, in hoc tantum Sepulcro cernitur, ut indicet Priami domum funeribus refertiſſimam, tamquam totius familiae ſepulcrum habendam eſſe. Polites vi rotam e manibus adſtantis ac ſimul exhorreſcentis feminae divellere vel morari conatur, dum inter haec gladio a Pyrrho confoditur. Etruſcos arbitror hac femina referre voluiſſe Parcam, quam hominum vitam, progreſſum exitumque arbitrio ſuo moderari credebant; nam rotam hominum vitae ſymbolum eſſe conſtat ex Aegyptiorum placitis. Plutarchus quoque in vita Numae hac ipſa rota viciſſitudines humanae vitae, & nihil eſſe in terrenis rebus ſtabile, ſignificari teſtatur. Rotam imaginem eſſe dicit vitae currentis Anacreon (3), cum quo ita concordat Perſius (4):

Nam, quamvis prope te, quamvis temone ſub uno,
Vertentem ſe ſe fruſtra ſectabere canthum:
Cum rota poſterior curras, & in axe ſecundo.

Quo autem conſilio Graeci rotam Nemeſi tribuerint, nemo eſt, qui neſciat (5); quare Deam illam in Vrna ſculptam, Nemeſim eſſe poſse, haud ignotam Etruſcis, coniicere poſsumus.

CA-

(1) Muſ. Etr. Tom. II. pag. 350. & 351.
(2) Ibidem verſ. 499.
(3) Carm. IV.
(4) Satyr. V. verſ. 70.
(5) Vide Bonarrot. in Numiſmata max. magnit. Muſei Carpinei pag. 227. & 228.

CAPVT XI.

Sacra Deorum myſteria, initia, luſtrationes atque expiationes, ſculptae in Sepulcralibus Vrnis Etruſcorum, elucidantur.

I. ETruſcorum Vrnis, ornatis anaglyphis ſculpturis, quae peregrinas Hiſtorias, Troicam ſcaenam, & Tragica emblemata continent, expoſitis; ad eas, quae Tuſcorum vel patria ſacra vel inſtituta civilia exhibent, gradum facio. Haec quoque themata, per claſſes in ordinem redacta, nunc primum in lucem prodeunt. Quum autem quotquot exſtant omnes ſimul Vrnae mutuam ſibi pro explicatione lucem conferant, & aliae poſt alias in dies eruantur antea nobis incognitae, de his accuratum Commentarium concinnari non poſſe video, ni omnia emblemata, quae Tuſcorum ſacra exhibent, in unum corpus ſociata, ob oculos habeamus. Nam ex his, aliae initiationes & myſteria Deorum Dearumque, maxima ex parte nobis occulta; aliae vero luſtrationes, & cruoris effuſionem in honorem Defunctorum continere videntur. Arnobius (1) innumeras paene initiationes recenſet, quae ſub praeſidio variorum Numinum fiebant, & earum adfert origines. Sed quum hae tota Italia frequentarentur ſecutis temporibus, ad Etruſcos eas omnes referre ſuaſu difficile eſt. Perpaucas igitur obſervationes meas in medium adferam, quas doctiorum hominum iudicio ſubiectas volo. Si quae erunt, quae ob ingenii mei tenuitatem non ſim adſequutus; aderit, ut ſpero, tempus, quo alii poſt nos adiuti copioſiore monumentorum ſerie, felicius ac luculentius ſuas explicationes producent, & quae nobis ignota fuere, ipſi maiore cum laude adſequentur.

II. Haec autem myſteria, initia, luſtrationes atque expiationes eo conſilio a Tuſcis ſculptas in Defunctorum Sepulcris coniicimus, ut homines ad virtutem & honeſtatem colendam, propoſitis poſt obitum praemiis, adlicerent atque excitarent: impios vero a ſceleribus patrandis abſterrerent, declaratis atrocibus apud Orcum ſuppliciis & poenis: quas vitare ſi vellent (nam & Heroas omnes, qui humano ſanguine, ſacrilegiis ac multis vitiis ſe foedarunt, luſtratos memorabant) opus eſſe monebant, ut ſe ſacris Deorum initiarent, & ad eorum aras expiarent. Quod ſi aliquem ſci-

(1) Lib. III. adverſ. Gentes.

ſcirent id viventem non feciſſe, & criminibus obnoxium deceſſiſſe, vel animalium quorumdam caede ac ſacrificio piaculari, vel hùmano ſanguine, vicaria quorumdam expiatione, inſontem reddebant, & iratos Inferos Deos ipſi placatos ac benevolos reddebant, ut ità apud Elyſios optata beatitudine frueretur. Haec pauca ſufficiant, quum de his luculentius alibi pertractarim (1).

TAB. XVIII. *Sacra Dianae Tauricae*.

ORnatam adſimili emblemate Vrnam marmoream, Volaterris erutam, protuli in Tom. I. Muſei Etruſci Tab. CLXXIV. num. II. in qua, coniecturis aliquot fultus (2), putabam Inferae Deae Parcarum maximae, ſive Libitinae aut Proſerpinae piaculare ſacrum exhiberi, a Tuſcis inſtitutum ad eam placandam cum effuſione ſanguinis hominum damnatorum, vel mercede conductorum, quod Defunctorum animas a delictorum labe eo purgari, atque expiari, Graecorum exemplo, crederent. Mox Oreſtes in mentem venit, quem novem viri de Troezeniorum civitate a matris caede expiarunt ſuper lapidem, quem Pauſanias ſe vidiſſe memorat (3), poſitum ante aedem Dianae Lyceae, quem etiam ei ſacrum habitum eſſe ſcribit. Hinc lucem aliquam Etruſcas Vrnas Peruſinas in Dempſteriano Opere adlatas Tabula LI. num. 1. & Tabula LII. num. 1. mutuari aeſtumabam, in quibus non ara, ſed rude ſaxum ſculptum eſt. Sed inter alia februorum genera, quae ad Oreſtem luſtrandum adhibita memorantur, & aquam ex Hippocrene ſuo hauſtam Troezenios dictitaſſe, narrat idem Pauſanias (4). Putabam igitur vas illud prope aram ſculptum, uti oſtendit perrara haec Vrna Etruſca Muſei Guarnaccii, hoc ipſum luſtralis aquae vaſculum deſignare. Quia vero non ſemper conſtantes ſunt Sculptores in ſculpendo ramuſculo, quem ſiniſtra manu gerit ille iuvenis ornatus pileo Phrygio, & chlamyde amictus, qui flexo dextro genu arae inſiſtit; nam frequentius anguſta & crebra folia habet, & palmam referre videtur; interdum etiam latiora habet: putabam, inquam, forſitan laurum illam praenotare, quam eo in loco enatam, ubi Oreſtis piacula defoſſa ſunt, Troezenii tradebant.

Sed his coniecturis poſthabitis, lubentius amplector Praeſtantiſſimi Viri Paſſerii amici mei opinionem, qui in his Vrnis, quae Volaterris magno numero exſtant, & frequentius effodiuntur, exhiberi arbitratur Dianae Tauricae ſacra vetuſtiſſima, quae idem Oreſtes cum

(1) V. Muſ. Etruſci Tom. II. p. 353. & alibi.
(2) Ibidem pag. 350. & 351.
(3) In Corinthiacis Cap. XXXI.
(4) Ibidem.

cum ſimulacro eiuſdem Deae in Italiam adtulit, & in Nemore Aricinorum conſtituto dedicatoque ei templo inſtituit: quae etiam ad ſaeculum uſque quartum perduraſſe ex Prudentio Poëta Chriſtiano colligimus (1):

Incaſſum arguere iam Taurica ſacra ſolemus:
Funditur humanus Latiari in munere ſanguis.

Sacra huiuſmodi Taurica, Scythico more peracta, deſcribunt Strabo (2), Pauſanias (3), Suetonius (4), Servius (5), quorum loca a Cl. Paſſerio adlata haud opus eſt repetere. Sed ex his ſculptutis deceptum Strabonem intelligimus, qui ſcribit ex fugitivis ſervis eum Nemorenſem Regem factum, qui primus mactator victimae in honorem Deae fuiſſet, quem ſecutus eſt Torrentius in Suetonium (6). Nullam enim mactatam fuiſſe victimam adparet; ſed is conſtitutus Sacerdos, qui alios pro Sacerdotio pugnantes ſingulari certamine viciſſet, aut, priore Sacerdote ſuperato interemtoque, in eius locum ſucceſſiſſet, eodem Suetonio teſte: *Perfuga Sacerdos ibi conſtituitur, qui Sacerdotem priorem ſua obtruncaverit manu, ſtrictoque ſemper gladio, paratus ad inſultus propulſandos, circumſpicit.* Sed hoc ſacrum a primaeva ſua vetuſtiſſima origine aliquando deſciviſſe, ac mutationibus obnoxium fuiſſe, docet Servius: inolevit enim ea conſuetudo, ut qui ex arbore quadam, quae in templo erat, ramum auferre potuiſſet, monomachia cum fugitivo templi Sacerdote dimicaret, eoque victo *Nemorenſis Rex* diceretur.

Muſei Guarnaccii Vrna duos exhibet viros pugnantes cum iuvene illo, qui flexo dextro genu arae ſtricto gladio inſiſtit, iam iam, fuſo ſuo aliorumque ſanguine, Dianae Tauricae Sacerdotium auſpicaturus. Prope illum Etruſci fingunt Geniam ſive Furiam; a dextris vero Dianam, adſtantem corpore fere nudo, ornato collo monilibus, & capite peplo, quem ante oculos reiicere videtur, quaſi ſpectans huiuſmodi conſtantiae exemplum adverſus mortis terriculamenta exhorreſcere videatur. Interdum etiam eumdem iuvenem, qui pro obtinendo Sacerdotio pugnat, Genia, ſive ex Furiis, aut e numero Eumenidum una ſuſtinet vel moratur, ut videre eſt in altera Vrna Muſei Guarnaccii adlata in Tabula VIIII. num. 1. quare hinc ſubſpicari quis poterit ab Etruſcis huiuſmodi ſacra, & ad placandos Inferos Deos, in quorum numero Diana cenſebatur,

(1) Libro contra Symmachum.
(2) Geograph. Lib. V.
(3) In Corinthiacis Cap. XXVII.
(4) In Caligula Cap. XXXV.
(5) In Aeneid. Lib. VI. verſ. 136.
(6) Ibidem.

batur, & eadem ac ipſa Hecate habebatur, atque ad Defunctorum Manes expiandos tranſlata fuiſſe.

TAB. XIX. num. II. *Rex Nemorenſis ſacrorum Dianae Tauricae.*

EAdem ſacra refert haec Vrna Muſei Guarnaccii; ſed nonnihil variant figurae, quae etiam pauciores ſunt. Rex Nemorenſis a dextris Dianam, a ſiniſtris Geniam adſtantes habet. Illud expendendum ſupereſt, utrum Myſtam aliquem referat ſenex ille barbatus, qui baculum tenet, ſeu potius Sufetem. Multa, quae nunc nos latent, aliquando aliorum monumentorum collatione innoteſcent. Interim has uti meras conicturas proponimus, alibi accuratius expendendas, quum omnes Etruſcas Vrnas hoc typo inſignes in ordinem redigemus.

CAPVT XII.

Vrnae Sepulcrales Etruſcorum, quae praeferunt nuptias, pompas & epulas nuptiales explicantur.

I. QVo ritu, quibuſve caerimoniis Etruſci celebraverint nuptias, quibus nil ſanctius, nil auguſtius eſſe putarunt, alibi, adlatis non paucis obſervationibus, expoſui (1). Quum autem ex anaglyphis hiſce conſtet, Etruſcos Pontifices in ſepulcralibus Vrnis eas interdum actiones hominum ſculpendas curaſſe, quae praeſertim ex auſpiciis pendebant; nil mirum ſi conventionem in manum ante oſtium domus ſolemni ritu peractam, nuptias, epulas ac pompas nuptiales in iiſdem exprimi iuſſerint. Si quis autem requirat quam connexionem habeant nuptiae cum tumulis mortuorum, eam adferam, quam Cl. Bonarrotius inveſtigavit: nempe, quia Etruſci tam nuptias, quam mortem fines hominibus eſſe viderunt, atque ex decreta iiſdem ſorte pendere, & utriſque communia eſſe dona, faces, coronas, unguenta extremamque utriſque celebritatem adſimilem ſancitam fuiſſe. Sed, ſi probabilis non diſplicet, qualiſcumque ſit, mea coniectura, ſubſpicor, Etruſcos inter Deos coniugiorum praeſides adcenſuiſſe etiam Parcas, quas expiationis cauſa in celebrandis nuptiis ſibi propitias donis, votis

(1) Vide Muſei Etruſci Tom. II. Claſs. III. a pag. 326. ad pag. 330. & Claſs. IV. pag. 397. 398. & 399. ubi etiam de Diis, qui nuptiis praeſunt, diſſerui.

tis & ſacris reddebant, quod eas putabant fatorum arbitras eſſe. Auctor mihi eſt Iulius Pollux, qui etiam Parcas in nuptiis placari ſolitas, iiſque comae primitias ferri teſtatur; ut minime mirum ſit in Nuptiis Thetidis & Pelei apud Catullum, Parcas non ultimas partes agere (1). Credebant veteres Parcas omnis oeconomiae humanae vitae moderatrices, rerumque gerendarum, & bonorum malorumque eventuum praenuntias eſſe. Matrimonium igitur, ut felix fauſtumque eſſet, Parcas Etruſci placarunt, & eas tamquam praeſentia Numina, ac nuptiis propitia, forſitan conſtituerunt.

II. Genias quoque ſeu Furias nuptiarum praeſides, non ſecus ac defunctorum in profectione ad Elyſios comites eſſe voluerunt: quod ſi in manum convenirent ſcelerata mente, in ipſo limine domus, quemadmodum & in ipſo Orci aditu, eas ultrices experirentur: faventes vero ac propitias obtinerent, ſi connubia ſancta fide, & caſta voluntate inirent. Huiuſmodi opinionem, quam Tuſci amplexati ſunt, frequenter exprimunt emblemata Vrnarum Etruſcarum; uti haec exempla, e Muſeo Guarnaccio depromta, perſpicue teſtantur.

TAB. XX. num. I. Singularis eſt haec Vrna, cuius emblema obſervatu dignum nunc primum occurrit. Hinc colligimus, quo veſtium cultu nuptiae ab Etruſcis celebrarentur. Dextram manum viros, dum in manum Etruſco ritu convenirent, a feminis accepiſſe cernimus: quem morem Latini quoque & Romani ſervarunt, uti ad Gemmas Muſei Florentini adnotabam (2). Adeſt etiam iuxta ſponſum Paranymphus, tectis opertiſque brachiis & manibus veſte ſua, cuius imaginem numquam antea in antiquis monumentis nemo, quod ſciam, obſervavit. Nuptiis adſiſtunt Deae, Genia nimirum cum face; quia nuptiae noctu celebrabantur, noctuque ad ſepulcrum defunctorum cadavera deferebantur. Altera adeſt Dea, quae ſcopulo inſidet, quam Parcam eſſe potius, quam Geniam arbitror; quia, quod numquam alibi obſervavimus, dextra haſtam, laeva clavum praefert, quo annos notare conſueverunt Etruſci, & defigere in templis, quum peſtem aliaque mala a Diis pelli cuperent ac precarentur.

TAB. XXI. num. II. Pronubae Etruſcae imaginem exhibet haec Vrna, quae adſtat velatis opertiſque veſte ſua manibus, prope ſponſam, quae cum viro convenit in manum. Tum Pronuba, tum Sponſa velatum habent caput; ſed, quod rarum, pro-

pe

(1) Vide Ben. Averanii Diſſert. XXIX. in Thucydidem.

(2) Tom. II. Tab. XVI. num. III. pag. 46.

pe Sponſos ſolitarius equus gradiens ſculptus eſt; quem nil aliud indicare mox oſtendam, quam adſignatam Sponſis poſt mortem in Elyſiis beatam vitam. In alia vero Vrna ſepulcrali, quae exſtat in Muſeo Guarnaccio, quam exhibet Tabula XI. num. I. idem thema expreſſum eſt; ſed equum ducit vir togatus, quem Augurem referre ſubſpicor.

TAB. XXII. num. II. Nuptialis pompa emblema eſt huius Vrnae, quod integrum, & peritiore manu ſculptum iam protuli in Tabulis CLXVIII. & CLXIX. mei Muſei Etruſci (1). Iter monſtat Genia parvis ſcutis armata, ſeu, ſi ita videtur, crotalis, quae forſitan in nuptarum deductione & pompa pulſabantur. Carpentum, quo Sponſi vehuntur, ſervi duo praecedunt, bacillos dextra tenentes: poſt currum ancillae & pediſequi cum donis ſequuntur. Genia claudit agmen, facem igne micantem adtollens. Vir equo inſidens, obviam Sponſis factus, dextram manum ac viam honoris cauſa cedit.

Sed alterum ſepulcralis Vrnae emblema numquam antea editum, quod in eadem Tabula XXII. num. I. exhibetur, raritate ipſa valde commendabile eſt. Epulum namque repraeſentat, & dedicationem aediculae in honorem Iunonis, quae, quoniam nuptiis praeerat, *Ζυγία*, *Iugalis* & *Pronuba* dicta eſt. Viri Genios, mulieres vero ſibi Iunones adoptabant (2). Sed quo ritu, quave feſtiva pompa mulieres hanc adoptionem, ſive dedicationem eius ſimulacri & aediculae celebrarent, ex praeſcripto Pontificii iuris, quod ad hoc tempus nulla ſculptura docuerat, ex hoc Etruſco emblemate liquet. Dari namque ſolebat epulum mulieribus, quae in toro alte exſtructo, aulaeiſque ornato, huiuſmodi privatum feſtum canticis, & muſicis inſtrumentis celebrabant. Nam ex his altera mulier, quae dextram adtollit, geſtu ſuo ſacros hymnos pangere videtur; altera tibiis canit, altera cymbalum pulſat; altera vero ex his, quae in fragmento ſuperſunt, fidibus adcinere adparet.

Sed in hoc perrarum emblema Vrnae ſepulcralis inventae in praediis Nobiliſſimorum Inghiramiorum, alia plura tutiore calamo adnotari tunc poterunt, quum integrum ex Hypogaeis Volaterranis aliquando, ut ſpero, prodibit. Lecti diſcubitorii ab aliis differunt; hi nempe architectonicis operibus, pendentibuſque aulaeis, praeter morem, ornatiores ſunt. Hinc etiam, quae forma apud Etruſcos fuerit aedicularum, quae cum ſimulacris Deorum dedicabantur, de quibus luculenter vir Praeſtantiſſimus Philippus Venutus, Patricius Cor-

(1) Vide Tom. II. pag. 326. 327. & 328.

(2) Plinius Hiſt. Nat. Lib. II. Cap. VII.

Cortonenſis diſſeruit, perſpicue intelligimus (1). Erit aliquis, qui quod ſolas feminas heic ſculptas cernat, dedicationem ſigilli Veneris Sponſae, vel potius Bonae Deae, cuius ſacris ſolae mulieres operabantur, in hoc marmore expreſſam cenſeat. Quid ſi potius epulas ſacras in honorem Nortiae Deae, vel Iunonis Lucinae, quae mulierum partubus praeerant, heic repraeſentari, ob ſuſceptam felici partu prolem, opinemur? Probabiles hae coniecturae non erunt, ut arbitror, omnino contemnendae. Huic poſtremae opinioni favent pueruli illi duo, qui nudi adſtant iuxta tripodem menſam, eſcariis vaſculis refertam, quos nec Genios, nec Servos miniſtrantes credam.

C A P V T XIII.

Ex Vrnarum ſepulcralium anaglyphis luctus Etruſcorum in funere, ſacri ritus, pompae, honores, luſtrationes, eorumque de ſtatu animarum poſt mortem opiniones eruuntur & illuſtrantur.

I. HAec capita, quae enumeravi, tam uberem diſſerendi copiam praebent, ut numquam abſolverem opellam hanc meam, ſi ſingula enucleare vellem. Quae igitur notabiliora in his Vrnis e Guarnaccio Muſeo depromtis occurrunt, breviter exponam; hanc enim ſpartam, me rogante, egregie occupavit Vir Celeberrimus Paſſerius in Diſſertatione *de Etruſcorum funere*: & in altera, quae ab eo inſcripta eſt *Acheronticus*, ad quas ſatius duco lectores Etruſcae eruditionis ſtudio flagrantes mittere.

II. De moribus & opinione Etruſcorum circa defunctos, primus omnium luculenter diſſeruit Etruſcarum Antiquitatum eximius Interpres Senator Bonarrotius (2). Sed licet tanta ac tam uberi ſegete abundet hic eruditionis ager; multa tamen adhuc obſervanda atque adnotanda ſuperſunt: quae quidem tunc colligi, & luculentius illuſtrari poterunt, quum alia plura, vel omnia ſimul Tuſcanica monumenta, quae ad hanc praecipuam maximamque Etruſcae Religionis partem elucidandam pertinent, proferentur.

TAB. XXIII. num. 1. Tuſcorum Sculptorum mirum ingenium in hominum tum corporis tum animi motibus ac paſſionibus

(1) Vide Tom. II. Diſsert. Academ. Etr. Corton. Diſſert. XI. pag. 211.

(2) In Append. ad Opus Dempſt. §. XXVI. pag. 35.

bus exprimendis, non ſemel demiratus ſum. Moerorem luctumque, in funere carorum conceptum, tam affabre ſculptum exhibet haec Vrna, ut nihil ſupra. Feralem lectum, in quo iacet vir mortuus, circumſtant a ſiniſtris matrona, forte defuncti uxor, quae pallio contecta, ut manus eius non adpareant, eo caput ſuum tegit, ne luctuoſum totius domus ſuae fatum oculis adſpiciat. A dextris circumſtant defuncti viri filii, pallio involuti, tectis manibus, exceptis duorum iunioribus, qui exſerto brachio dextro vel ſublato, vel capiti admoto, conceptum dolorem in funere patris ſui teſtantur. Apud Homerum, Virgilium, & apud Tragicos Poëtas vim doloris exprimunt, qui manus in altum tollunt: quem geſtum Priamus quoque facit, dum adſpicit Politem a Pyrrho coram ſe interemptum: quod emblema exhibent Vrnae Guarnaccianae ſuperius adlatae in Tabulis XVI. & XVII. Defunctus iacet, toto corpore pannis, ut mos erat, purpureis involutus: quo veſtis cultu, ut hinc etiam colligimus, integra corpora humari ſolebant (1). Caput habet velo fere coopertum, quo ſecutura animarum poſt fata divinitas declarabatur, ut infra videbimus.

Eadem doloris indicia declarant parentes, qui adſtant circa lectum iuvenis morti proximi, quem repraeſentat Vrna Muſei Guarnaccii expreſſa in Tab. XIX. num. 1. Adeſt etiam paratus equus, quo ad Elyſios campos cum pompa ducatur: & ne de eius imminenti funere dubitemus, ſagax ſculptor prope eum erectam columellam ſepulcralem ſculpſit, quae in metam deſinit, nucem pineam referentem, ad declarandam beatioris aevi tranquillitatem in Elyſiis arvis conſequendam. Mulier, quae ad lectum adcedit, impoſito ſiniſtro pede ſuppedaneo, morientis iuvenis mater forſitan eſt, parata eius oculos claudere: quae quidem in alia Vrna, adſimili emblemate ornata, a me edita (2), toto capite pallio obvoluto adſtat; ſed in hac non iuvenis, ſed puellae obitus imminens exhibetur, cui torquem tribus bullis ornatum, qualem Deae Etruſcorum praeferunt, ei in ſupremum munus pater offert. Idem plane typus cernitur in Vrna marmorea Volaterris eruta, quae nunc Florentiae in Muſeo Antinoriano adſervatur.

TAB. XXIV. num. 1. Quod autem equus, in feralibus hiſce Vrnis ſculptus, defuncti animam cum pompa ad beata Elyſiorum loca deducendam, comitantibus Geniis Diiſque Inferis, declaret,

ut

(1) Vide Kirckman. de Fun. Lib. I. Cap. X.

(2) Muſ. Etr. Tom. I. Tab. CXXXIII. num. II. Nunc autem reiicio eam explicationem huius feralis emblematis, quam protuli in Praefat. Tom. I. Muſei Etruſci pag. XXVIII.

ut ſupra monebam, & quod in hac opinione Etruſci cum Aegyptiis & Graecis convenerint, ad haec arcana Religionis illuſtranda praeſto eſt apud Q. Smyrnaeum inſignis locus (1), mihi a Cl. Paſſerio indicatus, ubi de fato equorum Achillis verba faciens, narrat deſtinatos fuiſſe,

Vt primum a Neptuno domarentur, atque deinde
A forti Peleo, & invicto ab Achille:
Quarto autem poſt hos a Neoptolemo magnanimo:
Quem etiam in campum Elyſium poſt haec erant
Deportaturi ad beatorum regionem, Iovis conſilio.

Huius pompae, qua Tuſci animarum immortalitatem ac divinitatem ſignificare voluerunt, clariſſima praebent exempla Vrnae nunc primum in lucem editae, & e Muſeo Guarnaccio depromtae, quas vide in Tab. XX. & XXI. num. II. In priore procedit defunctus velato capite: quod decus adtributam ei divinitatem innuere, ſacramque perſonam ſignificare, neminem latet: ſanctos vero & ſacros eſſe Defunctorum Manes priſca patrum Religio, & Pontificales Etruſcorum libri docuerunt. Hinc velato capite Caeſares finguntur in gemmis, numiſmatis aliiſque antiquis monumentis, quae eorum Apotheoſin referunt: de quo ritu plura doctiſſimus Schoepflinus, qui multa Etruſcorum praeclara monumenta in ſuum Muſeum, uti me nuper per epiſtolam monuit, diligenti cura congeſſit. Harum Vrnarum mutua collatione magis magiſque eluceſcit, quantum varietatis ſtudioſi fuerint Tuſci Sculptores; quare quae vitio marmoris in altera deſunt, ex alia ſuppleri poſſunt. Hanc opinionem, quod ad Elyſiorum campos Defunctorum animae equis vectae ducerentur, apud Graecos & Romanos quoque viguit, ut oſtendunt duo ſepulcralia anaglypha a Fabretto edita & illuſtrarata (2). Sed ad dignitatem divinitatemque animarum, ſtatumque Defunctorum poſt mortem declarandum quid honorificentius, quid ſublimius, quam iis deducendis adſignatae Deae comites, Geniae nimirum & Furiae, aliaque Inferorum Numina? Sed hunc honorem a caeleſtibus Diis haud praeſtitum datumque niſi piis hominibus, ita docet Plato (3): *Qui vero puram moderatamque tranſegerit vitam, Deos ſocios duceſque nactus, ibi habitat, ubi unicuique convenit*. Haec Infera Numina armis inſtructa exprimuntur, malleis, gladiis, quaſi eorum pro Defunctis defenſionem, tutelam ac patrocinium oſtendere voluerint Etruſci. Ea monumenta, quae adferuntur in Tabula XXIV. num. II. III. & IV. ſunt ornamenta

Z 2 Se-

(1) Paralipom. Lib. III. num. XXIX. pag. 161. & 262.
(2) Vide Inſcription. Domeſt. Cap. III.
(3) In Phaedone.

Sepulcrorum, pineis nucibus ſimillima, quae ad maiorem ſepulcralium columellarum dignitatem ac decus, ut vidimus, Etruſci addere ſolebant. Ea etiam ova Caſtorum referre videntur, quos Deos ſacris mortuorum inferiis praeeſſe veteres cenſuerunt.

Ea apud Etruſcos obtinuit conſuetudo, ut mortui non ſolum lugerentur atratis veſtibus; ſed etiam publice ac ſolemni pompa, praeſertim ſi nobiles eſſent, & aliqua dignitate fulgentes, laudarentur. Hanc quidem perſpicue nobis oſtendunt nuper eruta Etruſca monumenta: columella nimirum marmorea, compluribus figuris ornata, quae exſtat Peruſiae apud Comites Alphanios, quam ego primus omnium in hoc Opere in lucem protuli: & haec plane ſingularis Vrna marmorea, adlata in Tab. XII. num. 1I. quae exſtat in Muſeo Guarnaccio, cuius emblema nunc primum in lucem profero. Quamvis edax tempus eam nonnullis in locis corruperit; haud tamen ita eam delere potuit, ut non diſcamus, quo ritu Defunctorum praeclara geſta a Tuſcis celebrarentur. Sedent adſimili veſtium cultu ornati, nempe tunicati & togati, ſex viri, quorum aliqui volumen vel clauſum vel explicatum tenent. Hi laudes vel nenias in honorem Defunctorum canere videntur: qui vero in medio ſedet, nil praeferens manibus, ſed tantum geſtus edens, Cantorum ſive Hymnologorum princeps & moderator facile cenſeri poteſt. Sedentes ſuprema haec officia celebraſſe Tuſcos, adnotandum eſt, ut hinc arguamus, quem uſum habuerint ſedilia, & gradus, qui in Sepulcris Etruſcorum ſpectantur. Incompertum adhuc eſt, a quo gratum hoc vivorum ſolatium laudandi mortuos inventum ſit (1): eius vero antiquitatem apud Etruſcos haec monumenta teſtantur, a quibus Romanos tam laudabile inſtitutum accepiſſe coniicimus. Apud hos primus fuiſſe traditur Valerius Poblicola, qui Brutum, Romanae libertatis vindicem, pro patria defunctum publice laudavit (2).

Quamvis fracta ſit altera Vrna, inventa in praediis Illuſtriſſimorum Inghiramiorum, & in Muſeum Guarnaccium tranſlata, quae exhibetur in Tab. XV. num. 1I. tamen quia nulla alia ad hoc tempus prodiit hoc emblemate inſignis, plane ſingularis eſt, & multo in pretio habenda. Cernitur ſuggeſtum, in quo ſella curulis duplex poſita eſt, & iuxta eam ſubſellium. Hinc praeeuntibus lictoribus, qui faſces praeferunt, & erectum baculum, quo populi frequentiam ſubmoveant, procedunt duo viri togati, quorum alter dextra volumen tenet. Hos miniſtri duo ſequuntur, ſive adparitores, ſive adcenſi. His omnibus obviam fit matrona velato capite, cum praetextato puerulo ad pedes, quam ſervi ex eius familia comitantur. Per-

(1) Vide Cicer. Lib. I. de Orat.

(2) Ex Plutarcho in vita Poblicolae.

Perdiſficile eſt probabilem ſaltem divinari huius emblematis ſignificationem. Sed, quod matrona illa, moerentium more, ut in aliis Etruſcorum Tragicis ſculpturis obſervavimus, dextro brachio manuque caput ſubfulciat ſuum, hinc coniicio, hoc thema forte referre proceſſum Pontificum, ſive etiam Sacerdotum ad domum matronae luſtrandam, poſtquam ex ea defuncti cadaver in ſepulcrum illatum eſt, & poſt peracta in eius honorem parentalia. Quod vero mos fuerit funeſtam domum luſtrare, perſoluto funere, res adeo obvia eſt, & luculenter expenſa a Gutherio de Iure Manium, & a Kirchmanno de funeribus, ac Lomeiero; ut pudeat, nil novi adferens, eorum ſcrinia expilare, & lectorem inutiliter morari. Laetor tamen, me e penu Etruſcae vetuſtatis depromere unicum, quod ad nos pervenerit, ad hanc rem, ut opinor, oſtendendam, exemplum, quod inter Graeca & Romana monumenta numquam obſervavi. Vero quaedam depromemus ſimiliora, ſi integrum aliquando anaglyphum hoc in apricum proferet aetas.

III. Ad hanc Claſſem referendae ſunt Vrnae Etruſcorum Sepulcrales, quae divinos honores habitos mortuis ſacrificia, funebres ludos, epulas ac denique eorum conſecrationem, & alia huiuſmodi continent, quae perſpicue oſtendunt, Etruſcos miro cultu proſecutos eſſe memoriam defunctorum. Donaria quoque mortuis facta non exiguam eruditionis partem occupant: de quibus, quum aliqua ſuperius delibaverim, alibi fuſius agendum eſſe ſentio. His adcedunt coronae, taeniae, vittae, quibus, non ſolum Sepulcra Etruſcorum, ſed etiam imagines mortuorum ornantur.

IV. Sed ut heic oſtendam roſarum ſparſiones, quae in exequiis & annuis parentalibus ſacris ab Etruſcis fiebant, ad Vrnas Guarnaccianas provoco, quae a me adferuntur in Tabulis XXV. & XXVI. In his etiam bulbi ferales exprimuntur, & folia maiora arborum: quae donaria oſtendunt, Etruſcos Diis ſimiles cenſuiſſe Defunctos ſuos. Nemo enim eſt qui neſciat, veteres magnis Diis arbores & plantas dedicaſſe ac conſecraſſe, atque iuxta eorum aras & ſimulacra, & frequenter etiam in eorum manibus poſuiſſe. Argumentum hoc divinitatis teſtantur alia Etruſcorum monumenta, a me adlata in pluribus Tabulis Tom. I. Muſei Etruſci (1), ad quas, & ad adlatas a me obſervationes lectorem ablego. De cupreſſubus defunctis dedicatis, nihil dico, quae in Vrnis Muſei Bucelliani frequenter occurrunt. Sed & flabella, quae feminae ſculptae in Vrnarum Etruſcarum operculis praeferunt, quae ſo-

(1) Tab. CLXI. CLXII. CLXIII. CLXIV. pag. 315. 316. & ſeqq.

folia arborum latiora imitantur, inter divinitatis notas non invitus referam; quum ea his ſimillima ſint, quae Nymphae Fontinales, & aquarum praeſides manu praeferunt in editis a Fabretto monumentis (1). Foliorum maiorum caules ſaepenumero ſpectavi inter ornamenta Tuſcanicorum Sepulcrorum; nihil enim ſine conſilio & ratione a maioribus noſtris factum arbitror.

CAPVT XIV.

Sepulcrales Vrnae, quae exhibent civiles ritus, mores & conſuetudines Etruſcorum, proferuntur atque illuſtrantur.

I. ADlatis in duobus mei Muſei Etruſci Voluminibus his Tuſcanicis Vrnis, quae praeter ſacra & funebres ritus ad Religionem ſpectantes, inſuper etiam civiles caerimonias exhibent, & conſuetas de more hominum actiones, quas vide in Tabulis CXXXVII. num. II. CLVIII. CLXXVIII. & CLXXIX. has quoque nunc e locupletiſſimo lectiſſimoque Muſeo Guarnaccio, ad Tuſcorum Politiam pertinentes, addere lubet, omnium plane inſigniſſimas, quorum emblemata, numquam antea nota & obſervata ab eruditis viris, inter rariora dubio procul recenſenda eſſe exiſtimo.

II. Nemo profecto ad hoc uſque tempus obſervavit, qua pompa hi, qui Magiſtratus honore in Etruriae civitatibus inſigniti erant, procederent, ſuamque dignitatem auſpicarentur, aut fortaſſe etiam dimitterent, gratias Diis agentes. Sed ecce ex his genuinis Tuſcorum monumentis, quae fuerint in hoc munere obeundo eorumdem Magiſtratuum veſtes, quae inſignia, quae propria dignitatis ornamenta, qui adparitores: quo ordine, quove ſolemni ritu proceſſerint, probe intelligimus: quae monumenta librorum huius antiquae gentis defectum apud nos hodie ſupplent.

In Vrna marmorea adlata in Tabula XXVII. Triumviros ſeu Quatuorviros cernimus procedentes, & omnes quidem togatos, & adſimili veſtium cultu ornatos, uno excepto, qui cum ipſis pari honoris gradu procedit, ſed volumen dextra praefert. Hos munera ſua ineuntes vel dimittentes (ut emblema cum mortuorum

(1) De Aquis & Aquaeduct. Diſſert. II. pag. 99. qui *Nymphaeam* herbam eſſe cenſet, de qua conſulendus eſt Plinius Lib. XXV. Cap. VII.

ſum ſorte conveniat) ſex ex miniſtris praecedunt, & quidem proxime eos duo lictores, qui in humeris faſces, in dextra vero (quod nunc primum ex his documentis innoteſcit) baculum tenent, quo quidem utebantur, ut turbam ſubmoverent. Ante hos duo alii incedunt, quorum alter a ſiniſtris thecam ſcriniariam; alter vero ſellam curulem in humeris deferunt: & hos omnes alii duo praecedunt; ſed inter hos quid primi illi quatuor dextra gerant, non ita facile adſequeremur, ſi ex ſequenti emblemate magis perſpicue non adpareret, ſportulas eſſe.

Adſimile igitur emblema exhibet Vrna in medium prolata in Tabula XXIII. num. II. ſed in hac eos, qui Magiſtratus dignitatem conſecuti ſunt (ſi quis Duumviros vel Lucumones cenſeat, vel Sufetes, aut alio nomine adpellet, non repugno) ſequuntur adcenſi duo: proxime vero praecedunt duo lictores, in dextro humero faſces, non autem baculos, gerentes: & ante hos duo ex adparitoribus incedunt, quorum unus ſellam curulem, & ſportulam: alter vero, diſſimili veſte indutus, ſportulam tantum non dextra, ſed ſiniſtra defert. Num hi procedant ad ludos edendos, quod munus indicant ſportulae, quas in hac celebritate, & dum Magiſtratus honorem inirent populo donabant; an vero ad opus aliquod dedicandum: an ad ſupplicationem aliquam ante Deorum pulvinaria habendam eant (quod & apud Romanos factum fuiſſe conſtat ex Livio, quum aliqua prodigia eveniſſent) in tanta rerum caligine quid cenſeam credamve, incertus haereo. Expiari interdum ſolitos Graecos, antequam munera & dignitatem obirent, & Eleorum Aediles conſueviſſe piaculari ſue & aqua ſe luſtrare, docet Pauſanias (1): quod & Etruſcis convenire poſſe haud invitus fateor. Periciores meliora poſt nos docebunt; non enim omnia poſſumus omnes; ſed aliquid, quo alii felicius bono litterariae reipublicae in hoc curriculo laborent, relinquendum eſt. Quod & apud Etruſcos largitiones fierent ab his, qui officii munus aliquod obibant, & ſportulae darentur, & quae nam earum forma eſſet, numquam profecto noviſſemus, niſi hae Tuſcorum ſculpturae, quae librorum vices gerunt, hanc celebritatem nobis aperuiſſent: & credibile eſt, Romanos, qui ab Etruſcis inſignia Magiſtratuum, ſellam curulem, faſces ſuſcepere, & ſportularum & largitionum ac miſſilium teſſerarum exempla accepiſſe, quod ex his monumentis, nunc primum colligimus. His lucem adferunt duo loca veterum Scriptorum. Ita Plinius in epiſtola, in qua de diviſione ſportularum ad Traianum ſcribit (2): *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, ineunt*

ma-

(1) In Eliacor. prior. Cap. XVI. (2) Lib. X. Epiſt. CXVIII.

magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binoſque denarios vel ſingulos dare. Hinc igitur nunc primum ſportularum uſum apud Etruſcos & variam earum formam diſcimus.

Triumphantem hominem togatum, quadriiugo curru vectum, praeeunte Genia ſeu Furia cum face, praecedentibus lictoribus & tubicinibus, duobuſque ſervis ſequentibus, exhibet Vrna adlata in Tabula XXVIII. num. II. quod emblema fuſius iam explicavi in meo Muſeo Etruſco Tabula CLXXIX. quare, ne recocta crambe actum agam, abſtineo lubens. Triumphantes Diis ſimiles habitos eſſe conſtat; quare, ad minuendum mortalium hominum faſtum, credibile eſt, hoc emblema ſepulcralibus Vrnis ab Etruſcis aptatum fuiſſe: quam coniecturam mihi ſuppeditant iam a me adlata Plinii & Tertulliani loca, quae heic praetereo (1).

C A P V T XV.

Vrnae ſepulcrales Etruſcorum variis ſymbolis inſculptae adferuntur, & nonnullis obſervationibus illuſtrantur.

I. SYmbolica voco ea Etruſcorum Sepulcra, quorum anaglypha nullas Hiſtorias nullaſve Fabulas praeferunt, ac neque etiam civilia, neque patria ac propria Tuſcorum documenta, neque Heroum geſta ac fata repraeſentant: neque ex Iliaca ſcaena aliquid exhibent, quod Homeri ac Tragicorum Poëtarum carminibus celebratum fuerit; ſed his tantum ſymbolis ornata ſunt, quae Defunctorum cultui & memoriae, vel Orco ac Diis Inferis convenire, non Sculptores ex ingenio ſuo, ſed Etruſci Pontifices ſanxerunt. Haec themata pendebant ex antiquae Theologiae fontibus, ut rudes homines, his ſymbolis obſervatis, Deorum Inferorum poteſtatem venerantes, Maneſque Deos metuentes, eos colerent, & μειλιχίους, hoc eſt *placabiles*, ſibi redderent. Quemadmodum igitur caeleſtibus ac ſuperis Diis propria ſymbola ad eorum munera, proprietates, potentiam ac dignitatem explicandam veteres Phyſiologi tribuerunt, quibus facile dignoſcerentur; ita etiam Inferis Numinibus, Diiſque Manibus propria adtributa, ſymbolis quibuſdam adumbrata, pro faciliore hominum captu, adſignarunt.

II.

(1) Vide Tom. II. Muſei Etr. pag. 370. & 371.

II. Praecipua Vrnarum Etruſcarum ſymbolica ornamenta peltae cenſentur, quae cum Defunctis nil commune habent; ſed ex ipſa Religione earum arcana ſignificatio eruitur: ad deſignandam nempe Infernalium Deorum potentiam & bella, quae cum ſuperis Diis geſſere. Peltatae Vrnae Peruſiae frequenter occurrunt; alibi raro, aut numquam. Alia Sepulcrorum inſignia ex ſacris Religionis myſteriis deſumta ſunt, nempe ſacrificalia inſtrumenta, paterae, ſimpuvia, arferiae, urceoli, acerrae, coronae, faces, lumina, bucrania, roſae, cupreſſus, arborum maiora folia, pineae nuces, vela ac vittae pendentes, taeniae, throni, lectiſternia, triclinia, & his ſimilia, quibus Tuſci nil aliud quam omni cultu dignos eſſe Defunctos declarare voluerunt. Alia quoque ſymbola Orcum ipſum ſignificant, uti ianua, quae non raro in Tuſcanicis Vrnis ſculpta cernitur: alia ad ipſos Manes Deos ſpectant. Delphines, acroſtolia ac navalia inſtrumenta tranſitum animarum ad Elyſios campos per Oceanum deſignant: quin etiam marinis monſtris Defuncti per mare vecti in Vrnis Etruſcis frequenter ſpectantur.

III. Mortem referunt larvae cucullatae, ut videre eſt in Vrnis Guarnaccianis in Tab. XVI. num. II. & Tab. XXVI. num. II. eius vero vim ac potentiam Gorgones declarant, quas ſculptas vide in Vrna Muſei Guarnacci adlata in Tab. XXIX. num. I. Vela ſeu vittae miro ingenio a Tuſco Sculptore ſculptae ſunt pendentes ex columnis & encarpis: ut hiſce ornamentis, quod ante obſervabam, omnem cultum divinitatis ad Manes Deos traducerent. In eadem Tabula XXIX. num. II. ſequitur ex eodem Muſeo depromta Vrna, in qua fatalis in Troiam Helenae ingreſſus una cum Paride exhibetur, quod emblema ſuperius illuſtratum eſt pag. 155. ſed perperam adnotata eſt Tabula VII. pro XXIX. quare hoc in loco, ne ſeries turbaretur, haec Tabula locanda fuit. Superſunt aliae Vrnae inter ſymbolicas recenſendae, quae interdum oſcilla, vel ſcaenicas perſonas praeferunt, ut videre eſt in Tabula XXVI. num. III. quae umbras, & animarum vehicula ſignificant. Deorum Inferorum potentiam ac vindictam celerem paratamque in impios homines, & facile etiam pro Defunctis Inferorum Numinum tutelam, praenotare videntur mallei, ſecures, faces, & alia huiuſmodi militaria inſtrumenta, quibus eadem Numina in Etruſcis Vrnis armata non raro inducuntur. Heroum duorum exempla exhibet Vrna adlata in Tabula XXI. num. I. quam in praediis Franceſchiniis erutam fuiſſe, ſerius quam oportebat, intellexi. Alatum Numen Inferum barbatum, cum Furia ſive Genia ſociatum (1), praefert etiam

(1) Hanc vide in Tom. I. Muſei Etr. Tab. CXXV.

Etruſca Vrna, quae in meo Muſeo exſtat. Heroës illi qui ſint, modo mihi incompertum: pertinere tamen ad Troicam Scaenam hoc emblema mihi videtur. Necem alicuius ex filiis Priami & Hecubae praefert Vrna propoſita in Tabula XVII. num. 1. Volaterris adſervata in Muſeo publico, quam alibi, maiori fruens otio, diligenter expendam. Has, quum, me inſcio, Caelator in his Tabulis incidiſſet, invitus heic extra chorum ſuum in lucem proferre coactus ſum.

IV. Inter ſymbolicas Etruſcorum Vrnas eas quoque adcenſeo, quae monſtra illa tantum, quae in ipſo Orci limine fabuloſa locavit vetuſtas, continent; gryphes nempe, leaenas, harpyas, ſerpentes criſtatos alatoſque, Echidnam, Scyllam, aliaque cum terreſtria, tum marina portentoſa animalia. Sed Echidnam numquam ingenioſius ſculptam vidi, quam in Vrna adlata in Tabula XXVIII. num. 1. Velato capite repraeſentatur, & quidem ſtans in arca, quae ſepulcrum refert, dextra gladio, ſiniſtra face armata. Circa arcam praeterfluunt undae Oceani, & hinc inde duo delphines ſpectantur. Haec vero inſignia ſymbolica, a Graecis quoque, uti frequenter teſtatur Pauſanias, uſurpata, apud Etruſcos ita invaluere, ut Romani, ſero tamen, ea lubentiſſime amplexati ſint: eademque in Sepulcris ſuis, Etruſcorum forſitan exemplo, ſculpenda curarint.

V. *Praeferunt etiam, ut aiebam, Etruſcorum Vrnae ſymbola quaedam, quae Defunctorum cultum deſignant: vela nimirum, taenias vittas, coronas, arborum ramos & his ſimilia*. Sed inter haec nil frequentius roſis, quibus, ut vidimus, complures Vrnae Muſei Guarnacci ornatae ſunt. De roſarum generibus multa adnotat *Plinius* (1): nec tantum mihi otii eſt, ut de earum natura variiſque generibus inter haec diſſeram. In Parte III. antiquarum Inſcriptionum, quae in Etruriae Vrbibus exſtant, protuli in Tab. IX. marmoreum Sarcophagum, qui cernitur in Florentino Baptiſterio & Baſilica S. Ioannis, in cuius anaglypho exhibetur imago feminae *Coronariae*: eoque diſcimus, qua arte & ingenio laneis encarpis adnecterentur roſae, flores & fructus. Horum enim frequens erat uſus in ſacris Deorum, ad ornanda eorum ſimulacra & aras, & ianuas templorum; nam & in ſacris feſtis, in conviviis, in nuptiis, atque in funeribus adhibebantur. Sculptura huius monumenti ſingularis plane eſt, & nondum ante hoc tempus inter monumenta veterum Romanorum a nemine pervulgata. Roſis ornatum Hecates Deae diadema, oſtendi ex marmoreo ſimulacro (2), quod exſtat in meo Muſeo, & ex

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXI. Cap. IV. De his Coronis plura adfert Paſchalius, quem vide.

(2) Muſei Etr. Tom. I. Tab. LXXXI. num. 1. & Tom. II. pag. 183.

ex Luciano (1) adnotavi, malvas ſacras eſſe Diis Inferis, quae etiam in his monumentis ſculptae interdum occurrunt. Ornatam roſis mitellam ſive anadema praefert matrona, quae Deae habitu ſculpta, cernitur in operculo Vrnae Etruſcae ſuperius adlatae in Tabula VII. Ex his igitur monumentis Etruſcis colligimus huius moris & ritus vetuſtatem, & roſas inter parentales profuſiones non ultimum plane locum habuiſſe: qui ritus ad Romanos quoque tranſiit, uti ſexcenta epitaphia teſtantur: e quibus, quod ſequitur valde inſigne, deligere atque adferre mihi placuit (2):

A L B I N I A E
V E T T I . F I L
V A L E R I A N A E
P V D I C I S S . F E M I N
P. APPIVS. P. F. EVTYCHES
AD. CVIVS. MEMORIAM. COLENDAM. HVIC
COLLEG. DENDROPH. LRG. HS. C. N. CVIVS. SVM
MAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. NATAL
EIVSDEM. III. ID. APRIL. DECVR. SPORTVL
EX. X. CCC. INTER. PRAESENT. ARBITR. SVO. DIVID
OLEVM. ET. PROPIN. EX. X. DCCL. PRAEBEANT. ITEM
LECTISTERNIVM. TEMPORE. PARENTALIOR. EX. X. CC
MEMORIIS. EIVSDEM. VALERIANAE. ET. APPI. VALERIAN
FIL. EIVS. PER. OFFIC. TESSERARIOR. QVODANNIS. PONA
TVR. ET. PARENTETVR. ITEM. CORONAE. MYRT. TERNAE
ET. TEMPORE. ROSAE. IVL. TERNAE. EIS. PONANTVR
MICATAE. DE. SELECTIS. EX. X. L. PROFVNDANTVR
ITEM. APPIVS. EVTYCHIANVS. MARITVS. EIVSDEM
VALERIANAE. SCHOLAE. VEXILLARIOR. LARGITVS
EST. HS. XXXX. M. EX. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVOD
ANNIS. DIE. SS. NATALIS. EIVS. ANTE. STATVAM. LECTIST
EX. X. CCL. PONANT. SPORT. X. CCL. INTER. PRAESENT
SIBI. DIVID. OLEVM. ET. PROPIN. PER. ROSAM. PRAEBEANT

Hoc ipſum inſcriptum marmor eo conſilio adtuli, quia ſuppeditare videtur explicationem duarum Vrnarum, quae exſtant in Guarnaccio Muſeo, ac perrara illa emblemata praeferunt, quae vidimus in Tab. XXIII. num. II. & XXVII. Nam in his Collegii alicuius viros ad parentalia in honorem Defunctorum ad eorum Sepulcrum celebranda (reiectis coniecturis illis ſuperius adlatis pag. 179. quae huc non collimant) procedere probabilius mihi ſuadeo. Horum enim ſacrorum virorum munus erat ex legatis lectiſternia in honorem De-

(1) In Cataplo, ſive Tyranno.

(2) Ex Gruteriano Theſauro pag. DCCXIII. 4.

Defunctorum ponere, parentare, coronas offerre, epulas & eſcas adponere, roſas adferre, ſpargere, atque iacere, ſportulas dividere, aliaque munera his, qui ad exequias celebrandas aderant, elargiri: qui ſumtus ex adſignatis reditibus & pecuniarum uſuris colligebantur. Cum his igitur veriſimilius congruere & convenire videntur adlatae Etruſcarum Vrnarum ſculpturae. Neque id abſurdum eſſe cenſebunt, qui ſciunt ex Etruſcorum Latinorumque antiqua Religione ritus fere omnes, caerimonias & inſtituta ad Romanos manaſſe.

CAPVT XVI.

Funebris Defunctorum ſupellex inventa in Volaterranis Sepulcris, quae adſervatur in MVSEO GVARNACCIO, *oſtenditur, & ordine recenſetur.*

I. POſtremum huius Diſſertationis caput ſupereſt abſolvendum. In hoc funebrem ſupellectilem in Sepulcris Etruſcis conditam, non quidem omnem, ſed praecipuam atque elegantiorem eius partem, qua MVSEVM GVARNACCIVM mirifice refertum eſt, ſervato & in his Defunctorum donariis & ornamentis, nunc primum prolatis, aliquo ordine, recenſere atque oſtendere in Tabulis hiſce, quae ſequuntur, mihi propoſui. Vniverſa funebris ſupellex in tres Claſſes, ut video, percommode diſtribui poteſt. Primam velim ut ea occupet, quae reſpicit Superos & Inferos Deos, quorum ſimulacra tum ex aere, tum ex argilla non raro in Sepulcris inveniuntur. Secunda ea contineat vaſa & inſtrumenta, quae ad ſacrificia cum in honorem Deorum, tum etiam Defunctorum pertinent: qualia ſunt ſacrificales paterae tripodes, arulae, candelabra, lucernae, coronae, lances, quibus libationes & inferiae fiebant, & epulae offerebantur. Tertia ea complectatur ornamenta ac munera, quae & viris ipſis, & mulieribus dum viverent pergrata, & in deliciis fuere, quae poſt mortem in eorum ſepulcralibus Vrnis, Ollis ac Cinerariis, ne Defuncti hoc quoque carerent funebri luxu & ſolatio, tumulata fuere.

II. Compertum eſt veteres in Sepulcris Defunctorum condidiſſe ſigna Penatium, ac Larium Deorum, & Genii Domeſtici, ut eorum poſt mortem tutela ac ſocietate fruerentur, quorum

opem

opem viventes experti fuerant. Id minime adſererem, niſi haec ſigilla inventa vidiſſem, defoſſis Sepulcris. His adcedunt Inferi Dii, Furiae, ac Geniae, quarum imaguncula, ut exhibet Tabula XXX. num. II. non cornu, ſed lampadem tenet: hanc enim figuram praeferebant lampades apud Etruſcos, ut oſtendi ad Tabulam CLXIX. num. II. mei Muſei Etruſci. Sed imaguncula haec Geniae, ſeu mavis Veneris Libitinae, e cruda argilla plaſtico opere effiđta eſt. Genias quatuor, duas in unaquaque facie pictas, & quidem manibus adſimili modo lampades praeferentes, exponit Vas fictile, quod vide in Tabula XXXII. In hoc Vaſculo inventi ſunt inaures aurei, aerumnoſo miroque opere abſoluti, qui in Tab. XXXIII. exhibentur. Hoc ipſum Vas ſtatimac erutum eſt vidi; quod adnotandum cenſui, ut oſtendam opinionem illorum eruditorum male laborare, qui putant Vaſcula fictilia picturis ornata opus eſſe non Etruſcorum, ſed Graecorum. Verum non ſolum Volaterris, ſed Arretii quoque, Cortonae, Cluſii, Corneti, Politiani, Senis, Peruſiae, Piſauri, & in omnibus fere Etruriae urbibus huiuſmodi picta Vaſcula inventa fuiſſe, alibi adlatis teſtimoniis, oſtendi. Neſciremus quem uſum habuerint complura Vaſa, que in Sepulcris Etruſcorum frequenter inveniuntur, varia eleganti forma effiđta, ni cerneremus Defunctos ipſos ſculptos in operculis Vrnarum ea manibus praeferre. Obſtupeſco quoties eorum ſymmetriam, & ingenioſas formas, modulos, ornamenta, & anſas tam miro artificio effictas contemplor, ut hiſce Etruſcis Vaſculis, Graecis & Latinis in unum corpus collectis, iam in mentem venerit ampliare eruditiſſimum Lazari Bayſii *de Vaſculis veterum* Commentarium, & meas quoque ex univerſo Antiquitatis penu depromtas obſervationes adiicere. Ad ea elucidanda multo quoque adiumento eſt Athenaeus. Haec Vaſcula Etruſca, in plures Claſſes accurato ordine diſtributa, mox in alio Volumine mei Muſei Etruſci proferam, quorum maxima pars in Vaticana Bibliotheca nunc adſervatur.

III. Secundam igitur funebris ſupellectilis Claſſem haec vaſa, & paterae conficiunt, quae non raro quidem figuris caelatae in Sepulcris inveniuntur. Complures exſtant in Muſeo Guarnaccio, e quo duas tantum profero. Ex his altera adlata in Tab. XXXI. num. I. exhibet Mercurii caput, tectum petaſo pinnulis ornato, in cuius area delphinus ſculptus eſt. Nemo eſt qui neſciat, Mercurium Defunctorum animabus praefuiſſe, umbrarumque ad Inferos ductorem fuiſſe; quarum tranſitum per Oceanum, antequam Elyſiorum loca obtinerent, delphinus deſignat. Altera patera relata in Tabula XXX. num. I. imaginem Geniae, ſeu Parcae referre videtur,

tur, quam arcana aliqua de cauſa, nobis ignota, caelator diſtorta laeva manu effinxit. His aereis pateris ſuccedunt fictiles, vel purae vel figuris ornatae, vel quae perforatae ſunt, & colandis vinis ac liquoribus inſerviiſſe manifeſtum eſt. De his fuſius V. C. Philippus Venutus, quem conſulat ſtudioſus lector (1). Complures ex his exſtant in Guarnaccio Muſeo, & nunc primum in lucem vulgantur.


IV. Tertia funebris ſupellectilis Claſſis, primum complectitur virorum ornamenta, ac praeſertim militaria, nempe galeas, ocreas, enſes, lanceas, fibulas, bullas, armillas, anulos: quorum exempla non pauca, & illuſtria quidem, in duabus Tabulis picta hiſce diebus ad me miſit Vir Nobiliſſimus Comes Diamantes Montemellinius, Patricius Peruſinus, partim e Muſeo ſuo, partim e Cimeliis DD. Morandiorum depromta. Interim ea, quae in Sepulcris Cupreniſibus eruta ſunt (2): quae etiam ſingulari Diſſertatione nuper illuſtravit amicus meus optimus, de litteris & Antiquitatis ſtudio optime meritus, Eruditiſſimus P. Paulus Maria Paciaudius, e Clericis Regularibus Teatinis (3), qui alia multa, ut Muſeum meum Etruſcum amplificet, nunc Neapoli undique conquirit & parat, & interim *de umbellis antiquorum* egregiam Diſſertationem elucubrat. Mox ornamenta mulierum ſuccedunt, illa nimirum, quae ad eorum muliebrem mundum ſpectant: nempe inaures, diſcernicula, anuli, ſpecula, flabella, bullae, torques, dextrariola, armillae, redimicula, vulſellae, vaſcula unguentaria & odoraria, & ad odoratas aquas ſpargendas fundendaſque, quae forſitan huiuſmodi ea ſunt, quae in ſuperficie pluribus foraminibus diſtincta ſpectantur, e quibus unum fictile exſtat in meo Muſeo. His adde balnearios ſtrigiles, quos in Sepulcris hiſce Etruſcis erutos conſtat, & in Muſeo Guarnaccio adſervantur. Quae igitur, in Defunctorum Sepulcris recondebantur, ipſis dudum grata & iucunda, de quibus diſſerit Kirckmannus (4), ea veteres Graeci δῶρα, Latini *donaria* & *munera* dixere: cuius moris clariſſima ſunt praecipue apud Homerum & Virgilium exempla, quae, ne eruditorum aures in re tam obvia obtundam, ſciens praetereo.

CLASS. III. TAB. I.

(1) In Tom. I. Diſsert. VII. Acad. Etruſc. Corton. pag. 81.
(2) Vide Tom. II. Diſsert. V. Acad. Etr. Corton. pag. 51.
(3) In Tom. VI. Miſcellan. Opuſc. edit. Venetiis.
(4) De Funeb. Rom. Lib. III. Cap. v.


CLASS. III. T. I.

I.



E toph. alt. ped. I. unc. VI. lat. ped. I. unc. XIV.


II.



E marm. alt. ped. I. unc. IV. lat. ped. I. unc. XI.

Vi Franceschini Scu.

IN MVSEO GVARNACCIO.



IN MVSEO GVARNACCIO.


CLASS. III. T. III.



E marm. alt. p. I. unc. VI. lat. p. I. unc. XII.



E toph.




E toph.

IN MVSEO GVARNACCIO

V.F.S


CLASS. III. T. IV.

I.



E marm. alt. p. I. unc. III. lat. p. I. unc. XIV.

II.



E toph. alt. p. II. unc. v. lat. p. I. unc. XIII.

Vi Franceschini Scu.

IN MVSEO GVARNACCIO.



IN MVSEO GVARNACCIO.

CLASS. III. T. VI.



E marm. alt. p. I. unc. II. IN MVSEO GVARNACCIO. *lat. p. I. unc. XIV.*

CLASS. III. T. VII.

IN MVSEO GVARNACCIO.



E mar. alt. p. I. unc. V. lat. p. II. unc. XIII


J. Monabuonj del. C. Faucci Sc.



E marm. alt. ped. I. unc. IV. lat. ped. I. unc. XI.


IN MVSEO GVARNACCIO

I.



E toph. alt. ped. II. unc. IV. lat. ped. I. unc. VIII.

II.



E toph. alt. ped. I. lat. ped. I. unc. V.

IN MVSEO GVARNACCIO.


V. Franceschini Scu.



IN MVSEO GVARNACCIO.


CLASS. III. T. XI.

I.



Ex toph. alt. ped. II. unc. III. lat. ped. I. unc. XI.

II.



Ex marm. alt. ped. I. lat. ped. I. unc. VIII.

Vi. Franceschini Scu.


IN MVSEO GVARNACCIO.

CLASS. III. I. T. XII.



E toph. alt. p. I. lat. p. I. unc. X.

II.



E marm. alt. p. I. lat. p. I. unc. XII.

IN MVSEO GVARNACCIO.

C. Faucci Sc.

I.



E marm. alt. p. VI. lat. p. II. unc. III.

II.



E marm. alt. unc. IX. lat. p. I. unc. VI.

Jos. Menabonj del. *Jos. Papinj Scul.*

IN MVSEO GVARNACCIO.



Vi. Franceschini. Sc.


IN MVSEO GVARNACCIO.

I.



Anaglyph. fictile, alt. unc. XII. lat. unc. XIII.

II.




E marm. alt. p. I. unc. III. lat. p. II. unc. VIII.

IN MVSEO GVARNACCIO.

Jos: Menabuoni del. *Dom: Miſerotti ſcul.*

I.



E marm. alt. p. I. unc. IV. lat. p. I. unc. X.

II.



E toph. alt. p. I. unc. VI. lat. p. I. unc. II.

Vi. Franceschini Scu.


IN MVSEO GVARNACCIO

I.



E marm. alt. p. I. unc. X. lat. p. II. unc. III.


II.



E marm. alt. p. I. unc. VIII. lat. p. II. unc. III.

IN MVSEO GVARNACCIO.

V. F. Sc.



E marm. alt. p. I. unc. IV. lat. p. II. unc. III.

IN MVSEO GVARNACCIO.


I.



E marm. alt. ped. II. unc. IV. lat. ped. I. unc. X.

II.

E marm. alt. ped. II. lat. ped. I. unc. VIII.



Vi Franceschini Scu.

IN MVSEO GVARNACCIO.

I.



E toph. alt. p. I. unc. VII. lat. p. I. unc. II.


II.



E marm. alt. p. I. unc. V. lat. p. I. unc. XV.


J. Menabonj del. J. Papinj Scul.

IN MVSEO GVARNACCIO



Ioſ. Menaboni del. E marm. alt. p I. unc. VI. lat. p. I. unc. XII. Ioſ. Papini ſcul.


II.



E toph. alt. p. I.° unc. VI. lat. p. I. unc. XII.

IN MVSEO GVARNACCIO.

I.



E marm. alt. p. I. unc IV. lat. p. II.


II.



E marm. alt. p. I. lat. p. II. unc. VII.


IN MVSEO GVARNACCIO.

I.



Alt. Ped. I. Vnc. VI. Lat. Ped. II.


II.



Ex marm. Alt. Ped. I. Vnc. II. Lat. Ped. I. Vnc. X.

Vi: Franceschinj Scu.

EX MVSEO GVARNACCIO.



V. F. S.

IN MVSEO GVARNACCIO

CLASS. III. T. XXV.

I.



Ɛ toph. alt. p. II. unc. VI. lat. p. I. unc. XIII.

II.




Ɛ toph. alt. p. II. unc. VI. lat. p. I. unc. XII.

IN MUSEO GUARNACCIO

Jos. Papini sculp.

I.

E marm. lat. p. I. unc. VI.




II.



E toph. alt. p. I. unc. VIII

lat. p. I. unc. XIV.

III.



E toph. alt. p. I. unc. VIII

lat. p. I. unc. XIV.

Vi. Franceschini Sc.

IN MVSEO GVARNACCIO



E marm. alt. p. I. unc. VI. lat. p. I. unc. XIV.

IN MVSEO GVARNACCIO.

CLASS. III. T. XXVIII.

I.



E marm. alt. ped. I. unc. II. lat. ped. I. unc. X.

II.




E marm. alt. ped. III. lat. ped. III. unc. IV.

Vi. Franceschini Sc.

IN MVSEO GVARNACCIO


I.



E toph. alt. ped. I. unc. IV. lat. ped. I. unc. VIII.


II.

E marm. alt. ped. I. lat. ped. I. unc. VIII.



IN MVSEO GVARNACCIO

V.F.S.



Vasculi ex argilla manubrium

E creta huius magnit.

IN MVSEO GVARNACCIO.


C. Faucj. Sc.

I.



Ex aere

II.




Vas ex argilla



III.





Ippo. M. Cigna del. T. M. Sculps.

CLASS. III. T. XXXII.



Alt. ped. I. unc. III.

FICTILE VAS PICTUM IN MVSEO GVARNACCIO.

Vi. Franceschinj sculp.

I.



Speculum Stanneum huius magnit.

II.




Inauris aur.

III.




Inauris aur.

IV.



V.



Armillae æreae

VI.



Inauris aur.

VIII.




Fragm. ex aere

VII.



Inauris aur.



EX ARGILLA IN MVSEO GVARNACCIO.

MVSEI ETRVSCI
PARS II.
IN QVA CLASSIS IV.
CONTINENS
DISSERTATIONES VI.
VIRI CLARISSIMI

IOANNIS BAPTISTAE PASSERII

I. C. PISAVRENSIS

NIMIRVM

I. DE GENIO DOMESTICO.

II. ACHERONTICVS. SIVE DE ARA SEPVLCRALI. IN QVA ETIAM DE LARIBVS ET GENIIS NON PAVCA ADNOTANTVR.


III. DE ETRVSCORVM FVNERE.

IV. DE ANTIQVA VELCIORVM ETRVSCORVM FAMILIA PERVSINA.

V. DE ARCHITECTVRA ETRVSCA VRNARVM ALIQVOT SEPVLCRALIVM EARVMQVE EMBLEMATIS.

VI. DE ANTIQVIS TEGVLIS SEPVLCRALIBVS ETRVSCO-LATINIS. QVAE EXSTANT IN MVSEO BVCELLIANO.

Complura Monumenta Etruſca Tabulis XXX. expreſſa nunc primum proferuntur & illuſtrantur.



DE GENIO DOMESTICO

DISSERTATIO

AD CL. VIRVM

ANDREAM IOANNELLIVM.

MEmini, IOANNELLE Ornatiſſime, te mihi adhuc adoleſcentulo, atque in patria tua commoranti, dicere conſueviſſe, veterem Etruriam, atque Vmbriam in uno Cardinalis Gualterii Muſeo ſponte ſua paene totam conſtitiſſe; ut in eo Antiquitatis ſacrario, unico poſſet obtutu inſtaurata maieſtate ſua ſpectari: cuius quidem magnificentiae non tantum contemplator frequens fueras, ſed etiam domeſticus. Quum enim iſtic Tuderti ab eius Bibliotheca eſſes, atque adſidua contemplatione univerſam illam gazam familiarem haberes, numeraſſe inter cetera, aiebas, fere ad decem & octo millia veterum Sigillorum, quae vulgus *Idola* adpellat, magna ex parte Etruſca, quae deinde Romam adlata omnium admirationi fuerunt: & Romani, qui teſte Plinio Lib. XXXIV. Cap. VII. pro duobus millibus Etruſcorum ſignorum bellum Vulſiniis intulerant, multo his plura in unius Ampliſſimi Cardinalis aedibus aetate noſtra poſſiderent; quotquot, nec ipſe iactabundus Porſena (ut iocabaris) oſtentare aetate ſua potuiſſet.

Quam vero commodum eſſet eruditis viris in illo univerſae Antiquitatis promtuario, tam varia, & tam multa Deorum ſigna unico obtutu contemplari, nunquam ſatis amplificabas. Vnum tamen, quod plane inter cetera, ſine ſtudio & labore, uno oculi ictu, ex ingenti illa ſerie conſequi poſſe praedicabas, illud erat, ut ex maiori, vel minori ſigillorum numero facile coniici poſſet, quorum Deorum imagines pro rarioribus habendae eſſent: & quae demum frequentiores, non inepto argumento, etiam apud Veteres fuiſſe minus obvias, quae apud nos rariores eſſent: rurſus vero Antiquos pro tritiſſimis habuiſſe, quae nobis tam frequenter occurrunt. Omnium vero communiora ea ſimulacra fuiſſe narrabas, quibus adoleſcentuli cirrati exprimebantur, qui ſuccinctis tuniculis induti, ſiniſtra manu potorium cornu adtollunt, dextera pateram inclinant: quos communiori vocabulo *Pocillatores* nuncupabas. Hanc eandem eorum ſignorum frequentiam animadvertit aliquando antiquariae rei conſultiſſimus Bonarrotius ad Triumphum Bacchi pag. 431. *Occurrunt* (inquit) *ſaepe in Muſeis quaedam ſigilla, quibus iuvenes repraeſentantur, quae ab antiquariae rei profeſſoribus* Pocillatores *adpellantur*. Haeſitabas vero, atque non ſemel percontabaris, quidnam ea ſigna referrent, & quemnam uſum ea tam frequentia ſimulacra habuiſſent; non enim Deorum exſtitiſſe reputabas, quae Miniſtrórum & Pocillatorum habitu ſolebant effingi: & multa iam tum ex Tractatu Pignorii *de Servis*, Mercurialis *de Gymnaſtica*, atque ex Cauſeo proferebas, quibus ſubſpicio illa tua confirmaretur: nempe nihil in iis repraeſentari niſi imagines Pincenarum, quibus Lararia adornarent, ut ſignis Deorum, quos colerent, veluti famulos, atque miniſtros adiicerent: a qua etiam opinione non repugnavit ipſemet Bonarrotius loco citato, qui communi vocabulo *Pocillatorum*, eos nuncupavit.

Multa vero hac in re fortuna ipſa detexit, ubi contigit, monumenta quaedam in lucem proferri, quae ſignis luculentioribus praedita ſunt, quorum novitate vel mediocris ingenii viri commonefacti, plura, quae doctos etiam latebant, explicarunt. Quum enim eodem fere anno MDCCXVII. quo Tuderto digreſſus ſum, in finitimo Maſſae oppido, quod ex antiqui Vici Martis Tudertium ruinis coaluit, Praeturam gererem, alterum ex iis ſigillis in ipſo antiqui Vici ambitu erui contigit, omnium quotquot vidi elegantiſſimum, quod ſtatim delineandum curavi, prototypo Viterbium amandato. Huius exemplar depromimus Tab I. Animadverti inter cetera ſignum hoc ſummis pedibus inſiſtere, ſubpoſitis in extrema eorum parte quibuſdam veluti talis, qui caligulis adhaerebant,

bant, quo commodius atque diuturnius in eo corporis ſtatu poſſet conſiſtere: ex quo comperi, formam hanc ad illam caerimoniam pertinere, qua Deos precantes ſummis pedibus veteres ſe ſe ita adtollebant, ut quaſi propius ad Deos adcederent: quod ex Martialis loco comprobatur Lib. XII. *Epigr. LXXVIII.*

Multis dum precibus Iovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues.

Haec autem forma nihil cum convivio commune habet. Patera quoque ab epulis longe diſtat; pertinet enim ad ſacrorum caerimonias: quapropter non modo pincernas profani ſervitii non eſſe in iis expetendos; ſed inſuper peculiarium Deorum ſigna exſtitiſſe ſubſpicatus ſum. Deos enim ipſos ſacrificantium habitu exprimere ſolemne fuit apud Veteres; eo quia illa forma omnium eſſet auguſtior, & digna Deo: cui, ſi ſpecies humana tribuenda eſt, non alia corporis aptitudine, aliove geſtu ea effingi debuiſſet, quam illa, qua homo ſupra naturae conditionem cum Diis communicat. Quae hac de re fuſius pertractata a me ſunt in Notis ad domeſticas Lucernas Libro priore, non vacat heic repetere.

Non ambigo tamen ſigilla iſta, quae divinis adtributis exornantur, multa quoque cum triclinio communia habuiſſe; unde deduci poteſt haec Numina ad menſam pertinere; quippe eadem tunicula & calceis ornata ſunt, quibus diſcumbentes, atque illorum miniſtri. Rurſus in ſigillo Vicomartienſi circumvolutum brachiis mantile illud obſervatur, quo convivarum, & ſacrificantium manus poſt lotionem tergebantur, ut notavit Servius in illud Aeneid. I. verſ. 701.

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.

Hoc tamen mantile perraro admodum, ut in hoc ſigillo, protenſum in ceteris invenitur. In quibuſdam vero faſciae, ſeu cinguli contorti figuram ſubit, illoque Genius praecinctus eſt, dependentibus ex utroque latere mantilis extremis eius partibus, quae plumbeis globulis circa angulos adpoſitis comprehendebantur.

Quale igitur Numen, inquies, in his imaginibus continetur, quorum ſymbola religionem ipſa cum in conviviis familiaritate coniunxerunt? Quale? Illud, hercle, quod in ipſo convivii uſu familiariter colebatur. GENIUS, inquam, DOMESTICUS, cui quum menſa ſacra eſſet, oportebat illum ipſis menſae inſtitutis adcommodari,

atque

atque habitu convivii, in quo maxima eius poteſtas conſiſtebat, eſſe contentum; nec enim facile a ceteris dignoſci poterat ſine propriis eius officii adtributis. Quid vero de eius divinitate ſenſerint Veteres, paucis aperiam. In primis enim Genium quendam univerſi praeſidem exſiſtere tradiderunt, qui idem officium toti terrarum orbi praeſtare putabatur, quod in privatis domibus Genii privatorum. De illo frequens commemoratio eſt tam apud Graecos, quam Latinos Scriptores: ex primis enim ita laudatur peculiari Hymno, qui Orpheo tribuitur:

Daemonem voco magnanimum, venerandum,
Mitem Iovem, omnium generatorem, vitae datorem mortalibus,
Iovem magnum, multivagum, ultorem, Regem omnium.

Eius quoque mentio eſt apud Pauſaniam in Achaicis Cap. XVII. qui humana quidem figura, ambiguo vero ſexu natum eſſe ait, nomine *Agdeſtin*. Apud Latinos vero communis huius Genii meminit Feſtus: *Genius eſt Deorum filius, & parens hominum, ex quo omnes gignuntur:* & Auguſtinus de Civitate Dei Lib. VII. Cap. XIII. *Quid eſt Genius? Deus eſt, qui praepoſitus eſt, ac vim habet omnium rerum gerendarum*. An vero Genius iſte rerum omnium in Romana religione coleretur, nondum mihi liquet: ubicumque enim de ſuperſtitioſo Genii cultu mentio aliqua occurrit, manifeſte evincitur ad peculiarem loci alicuius, vel hominis Genium, quem effuſe venerabantur, pertinere: & ubicumque Genii publici mentio fit, id de eo ſumi debet, qui curam populi, vel urbis ſortitus fuerat, nec tamen ab iis differebat, qui ſingulis hominibus adtribui credebantur. De illis vero diſſerere non eſt praeſentis inſtituti; quippe tantum de privatis agere propoſuimus, qui privatis caerimoniis in qualibet domo colebantur.

Illorum originem ex vetuſtis Sapientibus, quoad in re dubia conceſſum eſt, inquiramus. Putabant Veteres immenſam hanc aëris vaſtitatem vagantibus undique, ac circumquaque diffuſis Spiritibus redundare, qui modo in caelum tendentes adſtarent Diis, modo hominibus intermiſſi, ut fatorum neceſſitas ferebat, noſtris rebus communicarent: rurſuſque in altum ſe ſe adtollentes, bonorum malorumque operum apud Deos teſtes fierent: iterumque ad ima deſcendentes, pro meritis hominum & praemia & poenas rependerent. Ex his vero, qui ſublimiores natura, aut ingenio praediti eſſent, Diis adhaerebant, eorumque miniſteriis continuo adſtabant: quos Deorum Genios ubique antiquitas adpellavit. Rurſus vero,

qui

qui naturae humilioris forent, hominibus, ut nati erant, vel ſponte ſua adhaerebant, vel fati lege adligabantur: quos ſingulorum Genios comuniter adpellatos eſſe; utroſque vero divinae naturae participes, fortaſſe non impari religione, cultos ſcimus; eos praeſertim, quos Principibus adſtare credebant, & per quos etiam iurari in more poſitum fuiſſe habemus in *l. ſi duo ff. de Iureiur.* Haec vero omnia plerumque a Platone commodata ſunt, apud quem nihil ea doctrina ſolemnius, praeſertim vero in Epinomide, ubi Spiritibus iis, tamquam propriis animalibus, a primo uſque mundi exordio elementa omnia plena eſſe tradit: quam doctrinam mire, ut ſemper ſolet, illuſtrat humanarum divinarumque ſcientiarum conſultiſſimus concivis meus Steuchius Lib. VIII. *de perenni Philoſophia* Cap. XXI. Multa praeterea de aërivagis iis Spiritibus tradidit Philo in Libro de Gigantibus, & Cicero Lib. I. de Divinatione, ubi illorum ope divinationem fieri ſubſpicatus, docet: *Quod plenus aër ſit immortalium animorum, in quibus tamquam inſignitae notae veritatis adpareant*. Illorum denique mentio eſt apud Heſiodum in Oper. verſ. 250. qui de illis haec habet:

Innumeri enim ſunt in terra multorum altrice
Immortales Iovis, cuſtodes mortalium hominum:
Qui ſane & iudicia obſervant, & prava opera,
Aërem induti, paſſim oberrantes per terram.

Illos Deorum filios, ex Nympharum commercio ſuſceptos, fuiſſe, tradit idem Plato *in Apologia pro Socrate*. Nemo vero melius Lactantio Firmiano rem adſecutus eſt, qui *de Orig. Error.* Lib. II. Cap. XV. putat alterum ex immundis Spiritibus genus, cui aëra, terramque vagari permiſſum eſt, hunc ſibi honorem adrogaſſe. Haec ille: *Sed & ipſi quum ſint perditores hominum, cuſtodes tamen ſe haberi volunt, ut ipſi colantur.* Mox: *Hi Spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur: omnia inſidiis, fraudibus, erroribus complent; adhaerent enim ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi Geniorum nomen adſumunt; ſic enim Latino ſermone Daemonas interpretantur. Hos in ſuis penetralibus conſecrant: his quotidie merum profundunt.*

Ex his igitur principiis derivata religione Geniorum, ſucceſſit ſculpturae lenocinium ad illorum ſuperſtitionem amplificandam, diſſeminatis per aedes cunctas & domos eorum ſigillis: quorum plurima exigua adeo atque rudia eſſe deprehenduntur, ut nonniſi tuguriorum, atque caſarum praeſides eos fuiſſe coniiciamus. Locus vero, quo iſti conſiſterent, menſa erat, cui veluti praeſtites

alimoniae praeſidebant: aut ſaltem, ſi in theca aliqua interdiu ſervarentur, inde in menſam efferebantur, in qua foret comedendum. Hinc Arnobius Lib. V. *Sacras facitis menſas, ſalinorum adpoſitu, & ſimulacris Deorum*: & Petronius *Satyric.* Cap. XXXVIII. *Inter haec tres pueri candidas ſuccincti tunicas intraverunt, quorum duo Lares bullatos ſuper menſam poſuerunt*: quo tamen loco Genios improprie Larium nomine adpellavit; quippe non pauci ex Scriptoribus, Mythologiae minus curioſi, utroſque confuderunt, & unum idemque ſignificare Genios & Lares tradiderunt; quod quidem quantum a veritate aberret, ex hoc uno facile cognoſci poteſt, quod nempe Genii Deorum filii haberentur, ut ſupra demonſtravimus: Lares vero nihil aliud eſſent, niſi animae mortuorum, ut in Acherontico mox oſtendemus. Heic vero Petronium de Genio intellexiſſe evincitur, quum ſimulacra illa menſae adpoſita fuiſſe dicat, in qua numquam Lares, qui prope focum colebantur, conſtiterunt; unde nigros illos adpellat Prudentius contra Symmachum Lib. I. verſ. 204.

——— *unguentoque Lares humeſcere nigros:*
——— *cultrixque foci ſecura patella,*

adpellatur a Perſio Sat. III. verſ. 26. quia Larem, menſae primitiis in focum coniectis, venerabantur. Philargyrius quoque in finem Eclog. IV. Virgilii tradit: *Genio vitae praeſidi menſam antiquitus ſacratam: ex quo factum eſt, ut peculiari epitheto coena* genialis *vocata ſit.*

Haec vero ſimulacra minime otioſa menſae adſtiterunt; numquam enim veteres cibum capere conſuevere, quin prius aliquid in menſa Genio libarent: quapropter Virgilius adparatum convivii deſcribens, quod Dido Aeneae exhibuit, Lib. I. verſ. 703. ancillas commemorat, quibus tale miniſterium incumbebat:

Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, e flammis adolere Penates.

Et Lib. VIII. verſ. 279.

In menſam laeti libant, divoſque precantur.

Praeſertim vero vini effuſione Genius piari credebatur: quod praecipue oſtendit Lex *nullus*, Cod. *de Pagan. ſacrif.* -- *Nullus omnino ex quolibet genere, ordine & coetu, ſecretiore piaculo, Larem igne, mero Genium, Penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, ſerta ſuſpendat*: & Horatius Lib. II. Epiſtol. I. verſ. 143.

Tel-

Tellurem porca, Silvanum lacte piabant:
Floribus, & vino Genium.

Natali vero cuiuſlibet die ſolemnius coli conſueviſſe, undequaque patet, ac pro omnibus Tibulli auctoritatem conferre ſufficiat. Sic ille Lib. I. *Eleg. VII.* verſ. 50. Oſirin laudans vini repertorem:

Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius e nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Et mox:

At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior ſemper, candidiorque veni.

Et Lib. II. *Eleg. II.* verſ. 5.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas.
Illius puro diſtillent tempora nardo,
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Et Ovidius Triſt. Lib. V. *Eleg. V.* verſ. 7. uxoris natalem celebrans, haec in eius Genii honorem ſolemnia diſponit:

Quaeque ſemel toto veſtis mihi ſumitur anno,
Sumatur fatis diſcolor alba meis.
Araque gramineo viridis de ceſpite fiat:
Et velet tepidos nexa corona focos.
Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.
Optime Natalis, quamvis procul abſumus, opto
Candidus huc venias, diſſimiliſque meo.

Quibus in locis omnes fere caerimoniae, quibus natali die Genius colebatur, enumerantur. Illud quoque notandum eſt, ſub *Natalis* nomine Genium illum fuiſſe intellectum in adlatis Tibulli, & Ovidii verſibus, quos iterum adferre lubet:

At tu, Natalis, multos celebrande per annos:
Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras.
Optime Natalis, quamvis procul abſumus;

pa-

patetque epitheton *Natalis*, pro ipſo Genio uſurpatum eſſe, fortaſſe non ex Poëtae licentia; ſed ex ipſorum Pontificalium praeſcriptionibus, unde Deorum nomina & caerimoniae deſumebantur.

Inter cetera vero, *liba*, ſeu placentulas Genio oblatas eſſe, ſuperius dictum eſt. Aliis inſuper Scriptorum auctoritatibus ſuperſtitionem illam comprobare abs re non erit, ut ſigillorum aereorum, quae iis ſymbolis adornantur, ratio deprehendatur. Coſtat igitur haec liba Genio oblata, ex Senecae Epiſtola CXIV. *Genium feſto vix ſuo teſtem, per tenuis cerei fila, & crepacem molam, focum mater, aut uxor inveſtiunt*. De Iunone vero, ſeu Genia feminarum, exſtat auctoritas apud Tibullum Lib. IV. *Eleg. VI.* verſ. 1.

Natalis Iuno, ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Et paullo infra verſ. 13.

Annue, purpureaque veni perlucida palla:
Ter tibi ſit libo, ter, Dea caſta, mero.

Ovidius quoque Triſt. Lib. III. *Eleg. XIV.* verſ. 17.

Libaque dem pro te genitale notantia tempus:

& Propertius loco citato:

Liba, & Mopſopio dulcia melle feram.

Quia vero apud pleraſque familias Geniorum, ſeu Geniarum exigua ſimulacra familiari antiquitate auguſtiora, arctiori ſolertia cuſtodiebantur, utpote quae a maioribus ſuis religioſiſſime ſervata eſſe noverant; placuit thecis quibuſdam includi, ne ita hominum adſpectui familiaria eſſent, aut ipſa ſui exiguitate intercciderent. At ipſae thecae incluſum Numen externa ſpecie referebant. Huc referenda eſt marmorea protome Iunonis, nuper Muſeo meo addita, & quam ad vivum expreſſam exhibet Tab. VII. num. I. At in poſtica ſui parte num. II. incuncula haec non tantum profunde excavata eſt, ut ſigillum unum alterumve commode poſſet continere; verum etiam ipſum lacunaris labrum canaliculo inſtructum eſt, per quod lamella marmorea ſuperne demiſſa, & undequaque obſtructa, incluſum ſignum ab hominum contactu amoveret. Non recedo a doctiſſimi Gorii mei ſententia, qui in illuſtrando Anchariae ſimulacro, quod protulit Tab. V. Muſei Etruſci, huiuſcemodi caveam

in

in illius ſigilli poſticam, in alium uſum factam eſſe coniecit. Si tamen ipſum prototypum ad manus eſſet, unius huiuſce mei marmoris conlatione perſcrutari poſſet, utri ex his uſibus alveolus in ſigno Anchariae compactus ſit. Si vero in hac protome non Iunonis, ſed Veſtae imaginem referri magis adrideat, minime contradixerim.

Superſtitionem hanc libandi Genio, in ipſo menſae exordio, proculdubio reſpiciunt picturae, quibus ornatur cyathus, ſeu calix Etruſcus, patera item fictilis, quae poſtremis hiſce diebus Roma ad me miſſa ſunt. Eius ſchema adferre libuit, quod vide in Tab. VI. num. I. & II. Calicis figura ad illam proxime adcedit, qua ferme conſtant cyathi, quos *chicaras*, vulgo *chicchere* vocamus, niſi quod ſextuplo maior eſt. Argillae rubeſcenti ater ille color inditus eſt, medius inter nigrum, ac viridem. Iterum vero huic atro pictura ſuperindita eſt ſubrubri coloris, ut mirum in modum ipſum argillae colorem, quem nigra tinctura obduxerat, reſtituere videatur. Huius picturae rationem ipſa operis facilitas, ut puto, introduxit. Laudabatur enim in Etruſcis vaſculis illud picturae artificium, in quo ipſe inſitus terrae color aliqua in parte praefulgeret. Quinimo ipſae figurae ex naturali vaſis colore conſtant, deſcripto circumquaque illius ambitu ope minutiſſimi penicilli, qui ſubtiliſſimis lineis membrorum tractus, & veſtium ſinus deciduaſque fimbrias indicaret magis, quam depingeret. Ineſt tamen ipſi negligentiae, atque incuriae gratia quaedam atque venuſtas, quae ſciſſimi artificis peritiſſime feſtinantis excellentiam declarat. At ſpatia illa, *quae inter figuras ſuccedunt, pullus ille color ſplendentiſſimus*, in quo Etruſci praecelluere, occupat. Sed operoſior erat iſta pingendi ratio; ne dum niger color induceretur, vel in minimo excederet, atque ambitum figurae defoedaret. Aliud praeterea incommodum adcedebat in hac pingendi forma; ubi enim tinctura illa inter ſpatiola circumducenda eſſet craſſiore penicillo, color ipſe inaequaliter procedebat ſaturior alicubi, alibi vero tenuior, penicillo nempe inter deſcripta lineamenta trepidanter diſcurrente. Noſter vero hic cyathus longe meliori artificio depictus eſt. Vaſculum univerſum ipſo atramento liberiore, atque exundante infectum eſt; unde pallor ille vireſcens craſſus, ac lucidus, & ſibi circumquaque aequalis, ſpecie pulcherrima emicat. Pictura iterum ſuperinducta eſt, argillae ſpeciem referens. Rurſus vero, ut internos tractus artifex in illa exprimeret, acu illam exaravit, cuius ope inferius atramentum ſubtiliſſime detectum, picturam ipſam diſtingueret.

In cyathi antica vir tunicatus, & pallio obvolutus, atque Etruſcis calceolis inſtructus, frondentem baculum ſiniſtra retinet

ad dignitatem indicandam; dextera vero intortum quoddam, ac breviuſculum inſtrumentum ori admovet. In poſtica mulier de more ſtolata aliud ſimile inſtrumentum ori adplicat. Quid vero ſibi velit haec caerimonia, coniicere magis, quam intelligere datum eſt: praeſertim, quum inſtrumentum illud, e cuius intellectu dependet caerimoniae huiuſce cognitio, prae tenuitate molis minime intelligatur; auxilio tamen aliarum picturarum quodammodo poterit inveſtigari. Inter parerga Dempſteriana vaſculum ex Muſeo Gualterio publicatum eſt, in cuius antica miles nudus, & mulier ſtantes in aram liba inferunt (vide Tom. II. pag. 245.). In poſtica vero vir & mulier columellae, quae forte veterum menſam Genio ſacram refert, adſtant, ex quibus mulier inſtrumentum huiuſmodi intortum, ac ſtrigili non diſſimile oſtentat, de quo tamen alibi. Rurſus vero in alia Etruſca pictura Muſei Etruſci Tab. CLIX. vir, exſerto dextero brachio, tale quidpiam tenet, altero praeeunte, qui molam quadrifidam portat. Quum igitur picturae iſtae commune nihil habeant cum balneis, & in ipſis de domeſticis ſacris res agatur; non video, cur inſtrumentum illud pro ſtrigili uſurpemus: praeſertim quum ſacra illa, quae in poculis exprimuntur, plerumque ad potuum, ciborumque libationes referantur. Opinor potius, aliquod menſae inſtrumentum heic repraeſentari, puta, cochlear, aut quid ſimile, quo paterae loco communius uterentur ad vini ſeu ciborum primitias adtingendas, & Genio delibandas. Quia vero typus iſte perraro admodum occurrit, ab opulentiore Etruſcorum monumentorum comparatione, aliquando dilucidius illuſtratum iri, ſperandum eſt.

Quoniam vero haec calicis forma nondum eruditis obſervata erat, placuit id genus poculi alterius non diſſimilis delineatione publicare in Tab. VII. num. 1. ut quos eadem religio in uno loculo abdiderat, ſolertia noſtra non diſiungeret. Poſtremum hunc nullum picturae ſtudium commendat, ſed colorum ſingularitas non ſinit ut praetermittatur. Toreuma totum ſaturo atramento nigreſcit. Frondentes ramuſculi ex rubro albicante conſtant, quo fere exprimitur ipſius argillae excoctae nativus color. Lineolae tamen, quibus alveoli circumquaque diſtinguuntur, e purpureo vividiſſimo colore conſtant, qui non ſine admiratione poſt viginti fere ſaecula floridiſſimus perennat. Hanc rubricae perfectionem fruſtra olim ſcrutati ſunt ſcitiſſimi pictores illi, qui ſaeculō decimo ſexto vaſis encauſtice pingendis in hac noſtra florentiſſima, tunc ſub Feretriis Principibus, provincia navarunt operam. Nihil illo picturae genere oculis gratius, aemulante materia ipſam aeternitatem, ubi colores omnes incendio perficiuntur, & in ipſis ferveſcentibus caminis ſpiritum quendam, ac ſplen-

ſplendorem acquirunt. Commendabat opera illa ſingularis Fabularum, atque Mythologiae peritia; omnia enim veterum traditionibus tam bene reſpondent, ut vaſa illa ipſo ſub Auguſto confecta eſſe videantur. At tantae pulchritudini una tantum rubrica defuit, quam inanibus ſemper conatibus pertentatam minime unquam adtigerunt. Si vero haec, & huiuſmodi teſtimonia prae oculis habuiſſent, quibus certiores facti eſſent, illam apud Veteres adeo floruiſſe; non ita facile tentamenta deſperata praetermiſiſſe cerneremus. Sed diutius fortaſſe, quam par erat, in mechanica Etruſcorum immoratus ſum; non tamen abnuentibus illis, qui haec ſtudia in ipſa etiam antiquitate perſcrutanda eſſe cenſent, ut utiliſſimis hiſce artibus aliquis ſplendor ab ipſa antiquitate commodetur.

Diutius quoque, quam par erat, in his caerimoniis immoratus ſum, mi Ioannelle, ut potiſſima Muſei tui, atque mei ornamenta, Geniorum, atque Iunonum ſigilla, in quibus illius ſuperſtitionis veſtigia deprehenduntur, illuſtraremus; ſed iterum picturas adeamus Etruſcorum vaſculorum, in quibus eadem prorſus omnia, quae ex Scriptoribus protulimus, delineata obſervamus, ut eandem fuiſſe Romanorum & Etruſcorum religionem in hac etiam re deprehendamus: picturae enim huiuſce Nationis ad inſtar librorum nobis ſunt, ut ſi ex illis plura iterum reperiri, atque publicari contingat, non erit, cur indigitamenta illorum periiſſe doleamus. Primum locum inter cetera vaſculo Muſei noſtri tribuemus, quod manu mea delineatum, nunc primum editum vides in Tabula IV. In antica vir pallio Etruſco obvolutus, arae adſtat ex una; altera vero parte mulier patera in illam libat. In poſtica vir ſolus arae adſiſtit, ſacra obiturus. Domeſtica ſacrificia ſunt haec, quorum curam coniuges ſibi ſumebant: nec in vaſculis iſtis, qui vino adponendo, ut dicemus, adſignati erant, quidquam aptius exprimi poterat, quam potiſſima illa cuiuſque menſae caerimonia, qua Genio Domeſtico libari ſolebat. Nec ſcrupulum ingerat haec menſae anguſtioris forma, quae in hiſce picturis obſervatur, cippis, & columellis ſimillima; vetera enim anaglypha frequentiſſime obiiciunt oculis antiquas menſas, non tantum tripodes, ſed & monopodes, quae diſcumbentibus ſingulis adponebantur: antiquiores, & ſimpliciores, ut hae vaſis noſtri, quadratae erant. Feſtus: *Eſcariae menſae quadratae vocantur, in quibus homines epulantur*. Hae etiam parvulae erant, pro temporum & familiarum parſimonia, ut marmora pariter evincunt, & picturae Etruſcorum.

Inter parerga Operis Dempſteriani ex vaſe Muſei Gualterii (vide Tom. II. pag. 245.) pictura adducitur, in qua mulier pate-

 ram

ram menſae infert, viro nudo adſtante, qui clipeo & lancea biſulca armatus eſt, taenia deſuper dependente. In poſtica vero vir libum in aram coniicit, geſtatque laeva manu inſtrumentum quoddam, alteri, de quo ſupra monuimus, non diſſimile, adſtante muliere. Idem fere argumentum exhibet nobis in alio ex iis parergis vas Muſei Anſidei (vide Tom. II. pag. 451.). In alio, non abſimili, Mediceo, vir, reclinato ad menſam baculo, in ea ſacrificat (vide Tom. I. pag. 105.). Menſae titulus ſubfixus eſt, in quo fortaſſe clavi annales, vel aetatis ſingulorum notae, bullis adpoſitis, notabantur. Tituli iſti parieti, tanquam tabellae adpenſi, & numericis ſignis diſtincti, de quibus in Roncalienſibus mentionem feci, frequenter in his vaſculis obſervantur: ex quibus conieci in ſolemnibus natalitiis, vel inter anni novi xenia, fictilia iſta vaſa donari conſueviſſe: quod etiam de lucernis factitatum obſervavimus Libro priore. In huius vaſis altera parte mulier menſam adit, coronam, & flores adferens, ſubſequente puero cum patera. Flores vero, & coronas Geniis adtributas, ſupra memoravimus.

Quid praeclarius pictura Tabulae XVI. ad argumentum noſtrum comprobandum? Matrona menſae innititur, quae monopos eſt, atque rotunda, ex iis, quae a Seneca *de Conſol. ad Hel. Cap. XI.* vocantur *magni, latique menſarum orbes:* de quibus etiam Iuvenalis Sat. I. verſ. 137.

Nam de tot pulcris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia menſa.

Vir ſeminudus, ſola quippe ſindone coenatoria in alterum humerum reiecta ornatur magis quam tegitur, ſedens menſam indigitat. Digitum fortaſſe pro patera recens pictor delineavit; ſiquidem in veteri autographo haec minutiora ſymbola minus diligenter expreſſa ſunt. In vaſe Muſei mei diligentius obſervata mulier, arae non manum imponit, quae, praeter ſymmetriae modum, nimis ampla eſſet; ſed pateram, fugientibus licet antiquis lineamentis. Supra menſam alatus Genius ſe ſe praebet conſpiciendum, coronam, & frondentem ramuſculum manu geſtans. Flores undequaque ſparſi in ipſo vaſculo ſunt, gratiſſimum Genii munus: quapropter Horatius praelaudatus *floribus & vino Genium piari* poſſe dixit.

In Tabula XXXV. ſedenti matronae, atque viro, qui veſte poſita placentam offert & flores, Genius alatus occurrit, coronam lemniſcatam, cymbalumque ſubſtinens. Viros nudos ſacra haec perfeciſſe, licet domeſtica, & paene ſecreta, non adducor, ut cre-

credam : e contra, neque pictoris id libito factum eſſe arbitror; quum veteres artifices in iis exprimendis, quae religionem reſpiciebant, fuerint obſervantiſſimi, uti ex toto figuratae Antiquitatis contextu clare deſumitur. Puto heic ſignificari, vel uſualis veſtis depoſitionem, quum in ſacris natalitiis albam adſumerent: ſeu, quia Etruſci diſcumbentes aliquando tunicam depoſuerunt, ſola ſindone contentos, qua ſuper nudo non ſine negligentia utebantur, ut ex Vrna Tudertina, in qua ſimulacra viri, & uxoris diſcumbentium adpoſita ſunt, manifeſte colligitur. Eumdem morem ſervatum intuemur in pictura vaſis Medicei inter parerga Dempſteriana, adlati in fronte Praefationis Tom. I. in qua vir pari forma expreſſus conſpicitur: rurſus Tab. LXXIX. Dempſteriani Operis eadem imago recurrit: & notavit Bonarrotius in Diſſertatione apud Dempſterum §. xxxv. quibus non pauca conferri poſſent exempla, ex Muſeo Etruſco deſumenda, praeſertim vero ex Tabulis CXXXI. CLXIIII. & CLXVIII. Hiſce itaque argumentis commonemur, imagines hominum, qui nudi expreſſi ſunt, indicare primum illum menſae adparatum, quo diſcubituri, depoſita communi veſte, a Genio convivium auſpicabantur.

Tabula LXXXIX. exhibet imagines matronarum, quae menſae circumſtantes ſacrificant, quarum una pateram adtollit. In poſteriori parte Centurio viti ſeu baculo innititur, adſtante altero viro palliato. Heic forte repraeſentatur ſponſus cum paranynpho: in priore vero parte ſponſa ſacrificans, pro nuptiarum felicitate, adſtante pronuba.

In Tabula XC. num. I. vir, & matrona ſuper arulam ſacra faciunt, ſubfixis ſuperne clavis decuſſatis. In altera parte mulier, & vir flores, molam, ſimpulum, & pateram gerunt, quo vinum libent Genio.

In altero vaſe eiuſdem Tabulae num. II. Genius alatus, inter flores, & coronas matronae adparet, diſcum fructibus refertum tenens ſiniſtra manu.

Si vero adeamus Muſeum Etruſcum nihilo pauciora, aut minora auxilia ad mores Etruſcorum comprobandos mutuabimur. Ordiamur a Tabula CLXIII. Matronis ſedentibus Genius intermedius ſe ſe videndum obiicit.

Tabula CXLIII. cernitur mulier ſedens, quae cymbalum tenet, & pateram menſae inclinat, in qua cibi iam diſpoſiti ſunt, viro adſtante. Ex hoc loco menſae Etruſcae communioris certa forma deprehenditur, quae ſuperius adnotatis reſpondet; ſimillima namque eſt erecto cippo, uni tantum catino ſuſtinendo capaci: ſuperne vero in titulis clavi annales ſubfixi cernuntur.

Ge-

Geminis matronis ſedentibus, quae liba, & coronas offerunt; in Tabula CXLIII. Genii coronis, & floribus ornati adparent. Idem rurſus emblema continet Tab. CLXVI. Illud notatu dignum eſt, haec Genii ſacrificia a feminis, viriſque plerumque ſedentibus facta adparere: quare & ſedentes veteres vota Diis concipiebant.

Vaſa iſta Geniorum ſacrificiis ſcite picta & ornata, non utique in alium uſum concinnata erant, quam ut eis homines uterentur, ubi Genius piandus foret, videlicet in ipſo convivio. Neque ex eo, quod in ſepulcris inveniantur, ſepulcralia adpellari poſſunt: quod etiam de lucernis cenſendum, ut innuimus; domeſticas enim, feſtivas, & ſacras, & quovis cultu exornatas, ſepulcra exceperunt; quapropter, quum apud tumulos ſilicernia habenda eſſent, quae lautiſſima etiam fuerunt, ac minime lugubria, vaſa pro potu adponendo e promtuario ſumebantur, & dummodo bona vina continerent, nulla de picturis quaeſtio agitabatur. Vt igitur in uſu erant, ac ſymbolis communioribus delineata, ſortiebantur. Quia vero ſemel funeſtata in vitae commercium homines reſumere abhorrebant; illic, ubi in uſu fuerant, dimittebantur. Nihil inanius certe in tota antiquitate reperitur, quam virorum coenae prope ſepulcra inſtructae, ubi manducantes mortuis ſuis non tantum honorem deferebant, quam illudebant. Attamen huic ineptiae, quotquot antiquorum monumentorum exceptores ſumus, illorum durationem, atque praeſervationem deberi fatemur; neque enim ſine illa, quidquam fictilis artificii nobis ſuperfuiſſet.

Si vero aliquid ultra de peculiari uſu Etruſcorum vaſculorum coniectare licet, ea ſubſpicor ita diſcumbentibus adponi conſueviſſe, ut ſinguli ſingula in menſa haberent, ac ſine miniſtri uſu quilibet pro libito e proprio vaſe vinum in calicem funderet potaretque. Scriptores enim abunde teſtantur, aevo antiquiore vina minime fuiſſe miniſtrata, ſed adpoſita. Ovid. Faſt. Lib. V. verſ. 521.

Nunc dape, nunc poſito menſae nituere Lyaeo.

Et Faſt. Lib. VI. verſ. 326.

Inveniunt, poſito pervigilare mero.

Item Virgilius Aeneid. Lib. I. verſ. 706.

Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant:

ubi haec Servius: *Secundum antiquum locutus eſt morem; quia veteribus non in manus dabantur pocula, ſed menſis adponebantur.* Vſus iſte

Ho-

Homeri praecipue teſtimonio comprobatur; ubi enim Iliad. Lib. I. Achillis convivium Graecis exhibitum deſcribit, aït, unicuique convivarum poculum adpoſitum fuiſſe, in quod ex maiori cratere, ſeu amphora vinum infunderetur: & Odyſs. Lib. A. verſ. 145.

Ipſis autem adponebat aurea pocula.

Et Lib. Σ.

Diſtribuit autem omnibus rite vinum;
Ii autem Diis. ————————
Vbi libaſſent beatis, biberunt dulcem vinum.

Ipſa vero vaſorum menſura frequentior clare evincit, ſingula ſingulis fuiſſe diſtributa, quum plerumque eius capacitatis inveniantur, ut uſui plurium imparia eſſent. Quandoque etiam puerilis continentiae menſuram non excedunt: quale illud eſt, quod nuper ad me adlatum exhibeo Tabula V. in quo puerorum geminae imagines hinc inde ſtantes obſervantur: atque ea ſunt, in quibus familiaria ſacra deſcribuntur. Pro aetate vero, ac perſonarum dignitate vaſa haec maiora, ſeu minora diſtribuebantur; ut enim verbis utar Danielis Cap. V. *Vnuſquiſque ſecundum propriam bibebat aetatem*: quod etiam Romani uſurparunt. Clarioribus etiam dignitate viris ingentiora illa pocula adponebantur, quae in Muſeo Mediceo non ſine admiratione intuemur. Sic Priamus Memnonem maioris poculi adpoſitione honoravit apud Q. Smyrnaeum *Paralip.* Lib. II. quem morem reſpexit Plautus, ubi in *Curculione*, ait:

Adpono militi magnum poculum; ille ebibit.

Quae potiſſima ratio fuit, ut in maioribus illis urceis amphoriſque, ad duos & ultra pedes protenſis, certamina, expeditiones, triumphi, venationes, atque Deorum ſacra pingerentur, ut ornamenta dignitati illorum procerum reſponderent.

Pro coronide huiuſce Diſſertationis DE GENIO DOMESTICO, cum ad illuſtranda ſigna a me adlata, & ea quae adnotata ſunt; tum etiam ad augendam rei vaſculariae veterum notitiam & eruditionem, non abs re viſum eſt adiicere Tabulas tres, nempe VIII. IX. & X. quae monumenta pereximia continent. Habes in Tabula VIII. potoria cornua ſex, quae apud tenuiores fictilia erant, hiſque in menſis & in conviviis utebantur; apud lautiores vero divites ſive auro, ſive argento, ſive etiam aere inau-

rato

rato conſtabant, quae nobis ſacra invidit male feriatorum hominum avaritia. Ea in varias animalium formas deſinunt; ex quibus familiaris huius vaſis forma apud Etruſcos colligitur: eorumdemque non pauca exempla nobis ſuppeditat Muſeum Etruſcum in Tabulis XCVI. CXXIII. & CXC. Quod exhibetur in eadem Tabula VIII. num. VIII. ſimile eſt alteri marmoreo apud Cauſeum edito in Muſeo Romano Sect. V. Art. I. pag. 102. Adlata eſt in eadem Tabula num IX. icuncula, qua exponitur ratio, cur Veteres inter parentandum indicatis cornubus uterentur, ex lucerna mei Muſei, quae apud Bartholum Tab. XIII. & XIV. mendoſe edita eſt. In vaſculo ex alba terra efficto, quod habes in Tabula VIIII. num. IV. obſervanda eſt nota X. in eius collo impreſſa, quae originis eſt Etruſcae: idque ex Eugubinis Tabulis evincitur, atque ex compluribus Etruſcis ſepulchris, quae Volaterris eruta ſunt; quod etiam in Roncalienſibus Epiſtolis adnotavi. Porro etiam in cryſtallinis vitreiſque vaſculis ſcite atque eleganter conficiendis excelluiſſe veteres Etruſcos artifices, oſtendunt ea, quae in Tabula X. nunc primum exhibentur: quorum illud, quod eſt maius, plane eximium & ſingulare, Etruſcas litteras in ima ſuperficie impreſſas habet; de quibus alibi ſermonem inſtituam, luculentius Etruſcorum mechanicas artes, Deo dante, illuſtraturus.

At diutius Te detinui, quam par erat, OPTIME IOANNELLE; nam prolixiore ſermone, quaſi coram colloquerer, atque una tecum, ut ſolebam, per Tibridis ripam ſpatiarer, dolorem abſentiae demulcebam. Tu interim, *Etruſcae Antiquitatis obſervator ſolertiſſimus*, ſiquid adhuc aetati noſtrae reſervatum eſt, quod Te incolumi in lucem prodeat, confeſtim excipe, atque illuſtrandum adgredere: & hoc habeant haec ſtudia lenimentum, ut a Proceribus in R. Pub. Viris deſtituta, a privatorum ingeniis pro fortunae tenuitate fulciantur, & ab oblivione atque interitu vindicentur.

ACHE-

ACHERONTICVS
SIVE DE ARA SEPVLCRALI
DISSERTATIO
IN QVA ETIAM
DE LARIBVS ET GENIIS
NON PAVCA ADNOTANTVR
AD VIRVM CLARISSIMVM
PHILIPPVM LIB. BARONEM
DE STOSCH.

QVod tibi Viro, doctrina, ſpectataque omnis eruditae Vetuſtatis ſcientia clariſſimo, innotuerim: quod conatus meos in Tabulas Eugubinas, linguamque Etruſcam probaveris, non equidem ingenio meo, quod probe ſentio quam ſit exiguum; ſed ſingulari tuae dumtaxat humanitati, atque egregio, quo Antiquitatis ſtudia complecteris & foves, amori acceptum fero. Quae quum diligenter conſidero, gravius mihi onus incumbere ſentio, ut aliquam ſaltem Tibi, ſi non parem, pro tantis tuis in me meritis, referam gratiam. Id profecto non aliter a me praeſtari poſſe cenſeo, niſi illa ipſa opera, qua benevolentiam in me tuam conlatam eſſe expertus ſum. Excipe igitur, VIR CLARISSIME, hoc qualecumque obſequii mei teſtimonium, atque in illo unicam animi mei dotem demirare, ſummam nempe in Te obſervantiam. Rem igitur ut Tibi facerem gratiſſimam, ipſo etiam ſuadente Antonio Franciſco Gorio, amico meo optimo, de ingenuis litteris, deque Etruſcorum monumentis, quae nullis parcens laboribus & ſumtibus litterariae reipublicae bono in lucem frequenter profert, praeclare merito, adgreſſus ſum Diſſertationem hanc, ut ſperare lubet, Tibi iucundiſſimam, quam ACHERONTICVM inſcripſi; nam in ea ſermo eſt de *Aris ſepulcralibus veterum Etruſcorum*, & multa de LARIBVS & GENIIS, deque eorum cultu & ſacris praeſertim apud Etruſcos, Capitibus XV. comprehenſa, adnotantur, quae heic enumerare operae-pretium viſum eſt, ut unico conſpectu pateat, quanta eruditionis ſeges hinc colligi poſſit ab his, qui beato otio, meoque maiore fruuntur.

C DIS-

DISSERTATIONIS ARGVMENTVM.

Cap. I. *OCcaſio ſcribendi. Deſcribuntur Columellae quaedam, litteris Etruſcis exaratae, quae nuper defoſſae lucem adſpexerunt.*

II. Acherontici *titulus expenditur. Eius etymon traditur, atque veteri Italica lingua derivatur. Nomina aliquot Deorum, qui ex eodem themate profluxerunt. Veterum Acheronticorum librorum argumentum.*

III. *Deſcribitur Columella Muſei Paſſerii, litteris Etruſcis inſcripta. Variae circa illam eruditorum hominum opiniones.*

IV. *Probatur, Columellam Paßeriam ſepulcralem eſſe. Columellarum uſus in ſepulcris apud pleroſque populos.*

V. *Adtributa mortuis divinitate, ut libri Acherontici tradebant, Columnae iſtae ſepulcrales Arae vicem obtinuerunt. Arae ſepulcralis origo, & ratio. Mos referendi mortuos inter Divos publica & privata auctoritate.*

VI. *Divinitas a Diis tradi credebatur: impetrari vero ab hominibus. A Diis dabatur per ambroſiae communicationem.*

VII. *Impetrabatur vero multiplici genere ſacrorum. Inter haec piamina, adhibitae adſperſiones ex liquoribus, quae ambroſiam & nectar imitarentur.*

VIII. *Praeter adſperſiones ſuper cadavera factas, liquores etiam in vaſculis incluſi in tumulo ſepeliebantur. Item vaſcula vacua, quorum miniſterio in adſperſionibus uſi fuerant. Inter divinitatis ſymbola etiam coronae cum mortuo ſepultae: nonnulla de coronis Cuprenſibus.*

IX. *Forma ſepulcralium vaſculorum expenditur, quae Deorum inferorum imagines referunt, atque animalium Diis ſacrorum. Leones cur in ſepulcris effícti.*

X. *Expenditur differentia inter Aras ſepulcrales illorum, qui publica, aut privata auctoritate ſacrati eſſent. Etruſci defunctorum Laribus illas ſacrabant. Latini vero illorum Manibus. Lares Etruſcorum, & Latinorum Manes nihil aliud erant, niſi animae mortuorum.*

XI. *Manes cur plurali numero invocati.*

XII. *Praeter mortuorum Manes, Latini quoque Lares coluerunt: eorum verior etymologia. Ii erant parentum umbrae, quas clariori divinitatis gradu frui credebant, quam Manes; ideo frequentior eorum cultus. Larium nomina varia. Item illorum ſigna ex indubitatis notis deprehenduntur.*

XIII. *Genium quoque mortuorum veteres coluerunt. Geniorum traditio unde profecta ſit. Sub qua ſpecie in urnis effingi conſueverint. De multiplici Geniorum imagine in urnis exculpta. Mortuis, quum pro Diis haberentur, plures Genios adminiſtros adtribuerunt.*

XIV. *Geniae feminarum Iunones dictae. Cum Iunone Iovis nihil commune habuerunt. Genii etymon. Expenduntur plurima Etruſca Monumenta, in quibus Geniae expreſſae ſunt varia officia exhibentes.*

XV. *Inſcriptionum in Columellis adpoſitarum explicationes. Operis concluſio.*

CA-

CAPVT I.

Occaſio ſcribendi. Deſcribuntur Columellae quaedam, litteris Etruſcis exaratae, quae nuper defoſſae, lucem adſpexerunt.

COntemplanti mihi nuper in ſeceſſu meo Roncalienſi plurima Etruſcae magnificentiae monumenta, quae ad gloriam huic ſaeculo conciliandam in lucem prodeunt, & in quorum explanatione viri docti ingenium intendunt; occurrerunt mihi, inter cetera obſervatione digniſſima, Columellae quaedam marmoreae, quae litteris Etruſcis ſurſum deorſum vergentibus inſcriptae, in agro Peruſino, e quo prodierunt, adſervantur, inter quas illae, quae a Clariſſimo Gorio noſtro Tab. LIX. Vol. I. Muſei Etruſci publicatae ſunt. Quantum debeat doctrinae ac ſedulitati huius eximii viri, quicumque ad haec ſtudia capeſſenda animum adpulit, non eſt quod pluribus referamus: eius quippe Operis praeſidio deſtituti, ingens ea monumentorum Etruſcorum copia, quam publici iuris fecit, & quae in dies creſcit, certantibus undequaque amicorum votis, ut quam citiſſime excudantur, paene ignota adhuc latitaret, imo interiiſſet: neque in hac re ſummorum virorum doctrina, qui in his monumentis illuſtrandis operam impenderunt, quidquam ſine huiuſmodi ſubſidio profeciſſet; quum in re adhuc nova enucleanda maius adiumentum deſumi poſſit ex multiplici collatione monumentorum inter ſe ſe ſimilium, quam ex ipſis doctrinae fontibus, qui huiuſmodi ſtudiorum ſolitudinem, aut parum, aut nihil irrigarunt.

Dum igitur has columellas accuratius animo perpenderem, ut earum veterem uſum mihi liceret adtingere, Cl. Andreae Ioannellii Presbyteri Tudertis litteris certior factus ſum, alteram illis non abſimilem in Leucopetrenſi ſuo, qui pagus eſt in Tudertium & Peruſinorum finibus Tibridi adiacens, fuiſſe effoſſam, litteris quoque Etruſcis in quatuor lineas diſtinctis, ſpectabilem. Dum vero curioſius virum mei amantiſſimum circa id argumentum interpello, haud mora video columellam ipſam ad me delatam libero munere, conditione tantum adpoſita, ut, cum primum fieri poſſet, vulgaretur: nec diu moratus, aliam omnium longe ornatiſſimam Peruſiae in Nobilium Alphaniorum aedibus adſervari nunciavit, cuius exemplar ſummo artificio delineatum Vir Clariſſimus Comes Diamantes de Montemellino ad me tranſmittendum curavit. Interim vero Ioannellius, ut in hac indagine omnem mihi operam exhiberet, Peruſinorum atque Tudertium fines curſitat, atque ſcrutatur: renunciat demum

 huc

huc illuc plurima harum columellarum fragmenta reperiiſſe ; quae tamen, quia litteris deſtituta erant, minime ad me deferri curaſſe. Accepit tandem alterum huiuſmodi monumentum in agro Tuderte erutum fuiſſe. Adcurrit vir ſolertiſſimus, atque viſum deſcribit: huius tamen marmoris fatum, quod ipſemet in Diario Antiquitatum Tudertium Italico Idiomate recenſuit, Latine referre non pigebit. Haec ille: *Eodem anno MDCCXLI. in diſtrictu Oppidi Caſalaltae Tudertis Territorii, prope dirutum Caſtrum Colliſmedii, & vetus Monaſterium S. Viti, in agro Abbatiae S. Pancratii Collis Pepii, haud longe a Puliae fluviolo, in ſiniſtro latere viae publicae, quae Maevaniam atque Fulgineum ducit,*

Agricola incurvo terram molitus aratro,

(*nomen illi* Cecco Graſſo) *in ſcrobem incidit, coctilium ſaxorum fragmentis dudum oppletam, quam dum curioſius rimatur, incidit in lapidem Tiburtinum, in columellae octangularis formam exciſum, altitudine palmorum trium, & ſemis. Summus ſcapus deerat, dudum, ut puto, diffractus; quapropter, quo pacto, aut quibus ornamentis decoraretur, obſervari non poterat: latera, trium unciarum circiter latitudine, exculpta, ſenſim in baſim rudiuſculam atque impolitam deſinebant; latus tamen anticum, in quo litterae inciſae erant, ceteris amplius adparebat, atque illi poſticum reſpondebat. Baſis altitudinem palmi non excedebat: atque ad hunc finem, ut opinor, a ſcalptore ita rudis praetermiſſa eſt, ut aedificio alicui, ſive humi defigi poſſet. At pretium marmoris facit ſcriptura Etruſca perpendiculari linea exarata, huiuſce formae, quam exhibet Tabula XI. num.* 1. *Iam ante Calendas Iunii currentis anni MDCCXLII. quo haec ſcribo, ea de re certior factus ſum; quod ut comperi, locum adivi, & ſaxum ad arboris truncum reclinatum inveni, illudque emenſus exſcripſi. Adivi deinde Capitaneum Franciſcum Baldinium agri conductorem, ut, ipſo adnuente, monumentum una conferrem: paratus aequum pretium exſoluere, ſeu mallet, pari beneficio rependere. At ille neutrum admittens, ultro dono obtulit. Verum quia per quatriduum copia mihi negociis implicito illuc adeundi facta non eſt (exigebat nempe moles ſaxi, ut non minore quam quatuor hominum ſubſidio vectaretur) ubi illuc ſerius adceſſi, ſaxum evanuiſſe condolui, non ſine ſuſpicione ab ipſomet repertore iterum abſconſum, ut rem, quae a me aeſtimari comperit, alteri aliquando ingenti cum lucro venumdaret: ſive ratus (quae ruſticorum ſtultitia eſt) in ipſis ſolidi ſaxi viſceribus pecuniam occultari; quod in cauſa eſt, ut huiuſmodi ſaxa litterata, ut plurimum, a villicis confringantur, atque comminuantur, ut pretioſam hanc animam e ſaxo recuſante ſubripiant.* Hucuſque Ioannellius.

CA-

CAPVT II.

Acherontici *titulus expenditur. Eius etymon traditur, atque e veteri Italica lingua derivatur. Nomina aliquot Deorum, qui ex eodem themate profluxerunt. Veterum Acheronticorum librorum argumentum.*

HIs itaque excitatus officiis, in mentem ſubiit, columellam mihi dono datam Commentariolo proſequi, & quod unice vir amiciſſimus optaverat, typis evulgare. Quia vero illud profeceram diuturna ſpeculatione, ut pro certo compererim, has columnas in uſum ſepulcrorum, ut demonſtrabo, fuiſſe exculptas, atque in ipſis Arae ſepulcralis vicem obtinuiſſe, ad quae animabus defunctorum, quas inepte pariter, atque ſuperſtitioſe pro Divis habebant, propria ſacra, & quae a Ritualibus praeſcripta eſſent, peragebant, placuit adverſaria inſcribere ACHERONTICVM, ſive de ARA SEPVLCRALI. At quorſum, inquiet aliquis, horribile illud nomen adcitum eſt, ut Diſſertationi praefigeretur? Quorſum? Vtique ex fonte illo, unde vetuſtus ille Tages, Etruſcorum diſciplinae conditor, libros ſuos, in quibus de communicanda mortuis divinitate (in quo quidem argumento libellus iſte meus totus obverſatur) *Acheronticos* inſcripſit. Audiamus Arnobium Lib. II. ita adverſus Gentes diſputantem: *Neque illud obrepat, aut ſpe vobis aëria blandiatur, quod a ſciolis nonnullis, & plurimum ſibi adrogantibus, dicitur Deo eſſe ſe gnatos, nec Fati obnoxios legibus, ſi vitam reſtrictius egerint, aulam ſibi eius patere, ac poſt hominis functionem, prohibente ſe nullo, tamquam in ſedem referri patritam: neque, quod Magi ſpondent, commendaticias habere ſe preces, quibus emollitae, neſcio quae, Poteſtates, vias faciles praebeant ad caelum contendentibus ſubvolare: neque, quod Etruria Libris in* Acheronticis *pollicetur, certorum animalium ſanguine Numinibus certis dato, divinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta haec caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum.* Quia vero in Opuſculo hoc argumentum idem, quod libri *Acherontici* continebant, pertractatur: & quia titulus ille libris omnibus, in quibus ſacri ritus expenduntur, recte convenit; placuit titulum veterem, Etruſcae originis, Etruſcae tractationi, eidemque convenientiſſimum, aptare: ex quo colligere quiſque poteſt, horrorem illius tituli omni carere novitate.

Nec vero putandum eſt, ab Acheronte Inferorum fluvio nomen illud fuiſſe conflatum; quippe monet nos Diodorus Siculus in fine Libri *II.* fabulas illas de Acheronte in Aegypto fuiſſe

com-

commentas ; neque pridem in Graeciam adpuliſſe , quam potiſſimi Poëtarum Orpheus , Muſaeus , & Homerus illuc peregrinati , diſciplinam illorum hauſiſſent . Quomodo vero in Italiam ea figmenta, ſuis ipſis retentis nominibus , adpellere potuerint ſub Tagete , rudi adhuc Etruria , & plane ſine commercio , non video : praeſertim, quum ante Pſammeticum , qui fere reſpondet Tulli Hoſtilii aetati, Aegyptus advenis omnibus impervius fuerit , ut ex Herodoti Lib. II. Cap. 152. & 154. erudite demonſtravit maximum huius urbis decus , Hannibal Oliverius in Diſſertatione ad Tabulam Lerpirii , qua mirum in modum Etruſcae linguae ſtudium excitavit . Nec turbat Pauſaniae auctoritas Lib. I. qui ab Acheronte , atque Cocyto Atticae fluviis , putat Homerum primum omnium Inferorum fabulis ea nomina adtribuiſſe : eadem enim urget aetatis difficultas ; quum compertum ſit Homerum circa finem trigeſimi tertii ſaeculi floruiſſe , coaevum fere Numae Pompilio ; quapropter Tageti longe poſterior , cuius ſuperſtitioſa diſciplina ſub Numa maximam Italiae partem obtinuerat .

Reſtat igitur Acheronticorum librorum nomen ex veteris Italicae linguae fontibus promanaſſe , inter quos connumeranda eſt vox CERVS , quae *ſacrum* ſignificat : ex quo deducitur , *Acheronticum* nihil aliud importaſſe , quam *ſacrum* . Rem opportune examinavi in Notis ad Indigitamenta Iguvinorum Tab. III. num. 52. quae ne ad manus revocare oporteat , heic exſcribam . Ibi de Iguvinorum Deo ACERSONIO verba faciens , haec adnotavi : ACERSONIVS. Acerſonius *divinitatis titulus ex Cabirorum myſteriis profluxit . En illorum nomina , quae nobis vetus Apollonii Scholiaſtes in Argonautica propalavit* .

AXIEROS	*Ceres*
AXIOCERSOS	*Proſerpina*
AXIOCERSAS	*Pluton*
CASMILOS	*Mercurius*

in quorum tribus primis nominibus videntur occurrere veſtigia vocum ΑΞΙΟΣ, dignus , *ſive* optime meritus , *&* ΙΕΡΟΣ ſacer . *In voce vero* ACERSONIEM , *ſicuti in* AXIOCERSOS , *&* AXIOCERSAS *Samothracum , clare deprehenditur radix vocis* CERVS ; *unde Latini deduxerunt nomina* Cereris , caerimoniae , *urbis* Caeritum , acerrae , *& ſimilium : cuius poſtremae vocis etymon quodammodo innuit , ſed non adtigit Voſſius , quum ex Etruſco penu depromtam fuiſſe ſubſpicetur . Huius vocis* CERVS *duplicem invenio ſententiam . Prior Gothofredi , qui putat in vetere lingua* ſanctum *ſignificaſſe : cui adcedit Scaligeri auctoritas in derivatione vocis* caerimonia .

Te-

Teſtimonium antiqui Scriptoris nondum obſervavi, cuius dicto valeat confirmari; ſed ex Varrone Lib. IV. de L. L. argumentum aliquod mutuari poteſt; quo haec ſententia confirmetur; ibi nempe indicat locum Ceroliensem, *primae Regionis quartum* Sacrarium, *& alibi:* Cerionia, *quod hinc oritur caput ſacrae Viae. Fortaſſe* CERVS *eſt idem ac* ΙΕΡΟΣ, *quod* ſacrum *ſignificat, addita per proſtheſin littera* C: *quorum exempla plurima ſuppeditat nobis aureus libellus* de tranſmutatione literarum. *Altera opinio eſt Feſti, qui in* Matrem Matutam *ſcribit, in vetere lingua* Cerum manum *ſignificaſſe* Creatorem bonum: *quae quidem analogia optime conveniret cum Samothracum initiis, qui Cabiros ſuos eſſe rerum omnium principia crediderunt. Fortaſſe Cabirorum* Cerus *eſt ab Hebraico* חרס Cheres, *quod* Solem *ſignificat; unde in naturae ordine omnia derivantur & procreantur.*

De libris vero Acheronticis rurſus ſermonem feci ad Tabulam VI. num. 16. Indigitamentorum per haec verba: *Acherontici Tuſcorum libri, quos Tages ipſe deſcripſerat, & in quibus Religionis Ritualia continebantur*, ut ait Servius Aeneidos Lib. VIII. verſ. 398. *Non ab Acheronte dicti ſunt, cum quo adfinitatem nullam conſervabant (fabulae enim Aegyptiorum Graeciam minime adtigerunt, niſi Orphei temporibus, ut ſemel atque iterum tradit Diodorus Siculus Lib. II.) ſed a voce* CERVS, *e qua* Acherontici, *ſive* Akerontici; *unde fortaſſe* AKERVNIAMEM *Iguvinorum. Galli nuper deprehenderunt Deum* CERVNVM, *cuius imaginem cervinis cornibus inſtructam, referunt Acta Regiae Academiae. Diu putavi nomen id eſſe a frontis characteriſtica, quae Graecis* ΚΕΡΑΣ, *Hebraeis vero* חרן Cheren; *ſed Nationi doctiſſimae rerum ſuarum indaginem relinquamus.*

Vmbri noſtri habuerunt CERONEM *ſuum. Nam in veteri Codice manuſcripto, in quo Acta Martyrii S. Vincentii, Maevaniae Epiſcopi, continentur, qui ſub Domitiano (ut putat Ciattus) paſſus eſt, haec verba habentur:* „ Loquuntur Idolorum Sacerdotes: Tollite Magos, interficite ſacrilegos, qui maieſtatem Deorum, & iuſſa Principum contemnunt, dicentes non eſſe Deum Iovem, Herculem, Mercurium, Saturnum, Neptunum, CIRONEM, Minervam, Martem, Venerem, Iunonem, & Dianam, qui regunt orbem terrarum. „ *Huius ignoti ad hoc uſque tempus Numinis notitiam tibi debemus, Ioannelle ornatiſſime; quippe qui quum omnia paene univerſae Vmbriae Chartophylacia perluſtraveris: & medii aevi monumenta ſcripta, quae ſtudiis tuis conferebant, exſcripſeris, atque illuſtraveris: Acta etiam huius Martyrii, ex veteri Codice Maevanatis Eccleſiae exemplata, Diſſertatione luculentiſſima decoraveris, quae eſt inter Opuſcula Philologica, quae MSS. apud me nonageſimum primum locum obtinent.* Hucuſque, quae ad dictas

Ta-

Tabulas nuper exſcripſeram. Ex his omnibus patet, *Acherontici* titulum nihil allud ſignificaſſe, niſi *de rebus ſacris tractationem*: quas inter praecipuum locum obtinebant caerimoniae illae, quibus defunctorum animabus divinitatem antiqui Etruriae & Vmbriae incolae conferebant.

CAPVT III.

Deſcribitur Columella Muſei Paſſerii litteris Etruſcis inſcripta. Variae circa illam eruditorum hominum opiniones.

IGitur, ut ad propoſitum revertamur, Columella, quam cimelii loco cuſtodio, & quam ex infra dicendis, *Sepulcralem Aram* fuiſſe demonſtrabo, conſtat ex lapide Tuderte, qui Tiburtino fere reſpondet: & qui in Tudertium, & Peruſinorum finibus copioſe effoditur. Ex eo plerumque conſtant Monumenta illa Etruſca Peruſina, quae vulgo *marmorea* nuncupantur. Memini me alibi hoc uſum argumento ad comprobandum, veſtigia iſta Antiquitatis omnino ad urbes illas pertinere, quum conſtet in illis fuiſſe exſculpta. Vrnae vero illae, quae ex Graeco marmore alibi reperiuntur, maximam nobis ingerunt ſubſpicionem eſſe peregrinas, & proinde peregrinas memorias continere. Has vero noſtras, quae ex ſuburbanis rupibus exſciſae ſunt, patrio ingenio & artificio expreſſas eſſe, quis ibit inficias? Inde in illis eius populi hiſtoriam, ritus, & religionem tuto deſumimus: & ſi quid in illis alieni moris offendimus, illud ad populi aliunde procedentis origine indagandam minime confert. Itaque non eſt, cur Tudertes alienis opibus invideant, quum eorum paupertas ipſa adſcititiis aliorum ſplendoribus ſit valde utilior, atque praeſtantior. Forma lapidis haec eſt. Ex rudi quadam, atque impolita baſi, quae vel caemento firmari poſſet, vel humi configi (quod in ceteris omnibos obſervatur) adſurgit cylindrus teres, & paullatim decreſcens in ſummum uſque ſcapum, unde in conum deſinit. In antica quatuor Etruſcarum litterarum lineis inſignitus eſt, ut exemplar oſtendit adlatum in Tab. XI. num. II.

Huius praeclari lapidis hiſtoriam, quam in Antiquitatum Tudertium Diario idem Cl. Ioannellius exſcripſit, ſub numero CCXVI. referre lubet; nihil enim aeque gratius eſt doctis viris, quam ſimplex illa rerum hiſtoria, & plena veritatis, qua nihil tutius, atque optabilius ad litterarum incrementum: *Anno* MDCCXXXI.

prope

prope muros Caſtri Collis Pepii, qua ad Orientalem, & Meridionalem plagam ingentis aedificii parietinae Signino opere conſtructae obſervantur; quo in loco Sacella S. Crucis, & Sanctae Mariae Frontonis condita ſunt: quod poſtremum, licet mole exiguum, vetuſtiſſimi tamen operis eſſe obſervatur; emtus fuit lapis albi coloris, tereti figura, ad tres palmos productus, acuminatus in cupreſſi formam, ingenti atque rudi hypobaſi, quae ex eodem lapide conſtat, pondo librarum octuaginta quatuor, Etruſcarum litterarum lineis ex una parte inſignitus, quae ab acumine in hypobaſim uſque deſcendunt, uti in ſchemate adpoſito videre eſt. (Idem eſt quod adfertur in memorata Tabula XI. num. II.) *Praeclarum id monumentum a villico in ſtabulum domeſticum inductum, ita in pariete obfirmatum eſt, ut proſiliente cylindro in clavi ſpeciem, ruralem ſupellectilem inde ſuſpenderet: cui uſui ſexennio fere deſervivit, donec, nuncio ad me delato, locum inviſi, nec ſine labore pretio comparavi: quod deinde Paſſerio meo tranſmiſi, ut illuſtratum, atque typis editum, ſibi haberet.* Hucuſque Diarii Ioannelliani verba.

Sententia illorum, qui id ſaxum nil aliud eſſe, quam *Mutini* imaginem crediderunt, penitus adſpernanda non fuit; quum viri doctiſſimi, qui illud domi meae obſervarunt, idem adſerere non dubitaverint. In eadem ſententia fuit Cl. Gorius in Notis ad praecitatam Tabulam, in Muſeo ſuo adlatam Vol. I. in qua ipſe prima huius generis monumenta pubblicavit: quae quidem opinio minime damnanda erat, quum cetera huiuſmodi, quae nobis maiorem lucem ſuppeditarunt, adhuc latitarent. Horum igitur ſubfultus praeſidio, aperte negare non dubito, nihil commune iſthaec ſaxa cum foediſſimo Numinum habuiſſe: & quidem forma longe abeſt a Mutinis, qui aerei atque marmorei paſſim occurrunt: qui ſimul ſi conferantur, multa heic deeſſe ad Divinitatem illam integre referendam, cuius praecipua dos fecunditas erat, facile obſervabitur. Addatur ipſarum inſcriptionum, quae in illis inciſae ſunt, coniectura; nihil enim fere in iis continetur, niſi nomen mortuorum. Si vero Columellae iſtae, quotquot adhuc litteratae inventae ſunt, illius, ſive alterius Dei, imaginem referrent, notae illae formulam aliquam quodammodo in omnibus reſpondentem continerent; quemadmodum in dedicationibus, quae in ſigillorum Etruſcorum femore inciſae ſunt, obſervari diximus in Epiſtolis Roncalienſibus, occurrente praeſertim paene in omnibus nota illa compendiaria ꟼI, hoc eſt MI, quae donationem, ſeu dedicationem importat: quod quidem admirabile mihi viſum eſt, atque ad Etruſcae diſciplinae religioſiſſimam obſervationem longe lateque conſtantem comprobandam, aptiſſimum; quum ea ſigilla ſtilo, aetate, & loco

ſummopere differant. Quum vero ſaxa iſta in unius regionis finibus exſciſa eſſe conſtet, quanto magis formulam aliquam orationis communem omnibus continere debuiſſent?

Haeſi quoque diu anceps, an cylindri iſti ſic acuminati fulminis imaginem redderent, ex eo genere, quae per Haruſpices in fulguritis locis condebantur. Huius ſuperſtitionis egregium teſtimonium habemus apud veterem Perſii Scholiaſtem in Satyra II. Haec ille: *In uſu fuit, ut Augures, vel Haruſpices adducti ex Etruria, certis temporibus fulgura figurata in lapides infra terram abſconderent.* Sed neque haec coniectura placuit, quum baſis illa rudis atque impolita ad id potiſſimum videatur inſerviſſe, ut humi defixam reliquam exſculpti operis partem hominum conſpectui exhiberet. Praeterea inſcriptione minime opus erat in lapidibus illis, quos terra obrutos, horrendiſſima religio occultabat. Si tamen in hac re ulteriori coniecturae locus relictus eſt, puto fulgura illa, quae transfigurata in lapides, certis religionibus rite condebantur, ea eſſe, quae frequenter in Etruria emuntur: nempe ſegmenta quaedam ex rubro vivoque ſilice, ita artificioſe concinnata, ut ſagittae, vel lanceae mucronem adamuſſim referant. Plerumque unico cuſpide, eoque peracuto, inſtructae ſunt: duplici aliquando, quandoque, ſed rarius, ex triplici, rectis fere lateribus, quandoque etiam dentatis: quarum iconas ſubdimus in eadem Tab. XI. num. III. IV. & V. Lapides hi *Ceraunii* a pleriſque adpellantur, nomine figuram exprimente. Ex his lapidibus multos aetate mea erutos eſſe memini in agro Farneſiano, qui in Volſiniis eſt, ubi mihi natale ſolum, & unde materni generis origo, & peracta ſunt tempora primae meae infantiae. Multa de illis vana iactitare ſolent agrorum cultores, qui amuleti loco lapillos huiuſmodi circumferunt, atque cuſtodiunt. Fulminum enim cuſpidem eſſe dictitant: quem ſi quis una ſecum deferat, a fulminum ictu fieri putant immunem. Sunt praeterea, qui mucronatas has ſiliceas ſquamas iaculis infigi conſueviſſe putent, antequam metallorum uſus fieret vulgatior: cuiuſmodi Indos Occidentales in uſu habuiſſe, Scriptores illarum rerum abunde teſtati ſunt.

CA-

C A P V T IV.

Probatur, Columellam Paſſeriam ſepulcralem eſſe. Columellarum uſus in ſepulcris apud pleroſque populos.

AT ſi in tanta rerum obſcuritate ſententiae meae locus eſt, crediderim potius, Columellam hanc meam, ceteraſque eidem ſimiles, lapidis ſepulcralis vicem obtinuiſſe: quae nempe ad caput humati cadaveris adponi ſolebant, quo indicio ſepulturae locus indigitaretur. Huiuſce inſtituti auctores fuiſſe antiquos Orientis incolas, adſerere non dubito. Sic Perſae, Turcae, Mauri, uti omnium antiquiſſima gens Iudaica, acceptum a maioribus morem, atque ad haec uſque tempora obſervatum, tenaciſſime cuſtodiunt. Ex eodem certe principio veteres Etruſci inſtitutum hauſerunt, quibus non infrequens fuit ſaxa iſta mortuis praefigere, ut annua iuſta defunctorum capitibus, effuſione ſacrorum laticum, perſolverent.

Praecipuum vero argumentum, ex quo deducimus, Columellas iſtas nihil aliud eſſe, niſi reliquias veterum ſepulcrorum, ſumi poteſt ex inſcriptionum illarum contextu, quae in illis inciſae ſunt. In iis nihil plane videre eſt niſi nomina, & officia defunctorum: quae poſtrema licet nobis minus perſpicua ſint poſt Etruſcae linguae interitum; attamen nomina propria, adpoſitis praenominibus, eo prorſus more, quo a Latinis factum eſt, imo ſubſequentibus notis numeralibus aetatem indicantibus, in iiſdem perſpicue deprehenduntur: quod in Roncalienſibus fuſius demonſtravi, atque in ſequenti Diſſertatione in Columellam Alfaniam oſtendam: quibus ſi adiungatur altera, quam modo ex Diario Ioannelliano publicavimus, nihil in ea ſcriptum eſſe comperimus, niſi nomen

L. MELRIEI. ALISA

hoc eſt:

Lucii, ſeu *Lartis Melriei aeternae memoriae*.

Quod vero omnem prorſus adimit ſcrupulum, exemplar eſt praenominatae Columellae Alfaniae, quae non tantum litteris inſcriptis, ſed etiam emblematibus veterem uſum ſepulcralem manifeſtiſſime evincit; quippe quae in inferiore ſui limbo, anaglypho opere ſculpto, totam Etruſci funeris hiſtoriam, incomparabili ſolertia delineatam, repraeſentat.

Quam vero frequens eſſet apud veteres, praeſertim vero apud Graecos, unde Peruſini originem ſuam ducunt, uſus adponendi columnas haſce in ſepulcris, teſtimoniis Scriptorum ubique obviis, facile evincitur. Adeamus Poëtatum principem, Iliados Π. verſ. 674. quo in loco, de Sarpedonis funere verba faciens, ait:

Illic ipſum ſepelient & fratres, & amici
Monumentoque, columnaque; hic enim eſt honor mortuorum.

Idem quoque Iliados Λ. verſ. 363. Paridem deſcribens, ſagittam in Diomedem immittentem, ait, illum prope columnam ſepulcralem Ilii conſtitiſſe:

Sed Alexander Helenae maritus pulcricomae,
In Tydidem arcus intendit paſtorem populorum:
Ad columnam inclinatus viri iacentis in ſepulcro,
Ilii Dardanidae, antiqui in populo ſenis.

In vetuſta quoque Solonis lege, quam recenſet Cicero Lib. II. de Legibus, de his Columnis mentio habetur: *De ſepulcris autem nihil eſt apud Solonem amplius, quam nequis ea deleat, neve alienum inferat: poenaque eſt, ſi quis buſtum, aut monumentum, aut columnam violarit, fregerit, atque deiecerit*. Hinc Demetrius Phaleraeus, ut luxui ſepulcrorum occurreret: *Sepulcris novis finivit modum; nam ſuper terrae tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorem.* Non eſt igitur cur miremur, ſi tam frequenter illarum mentio fit ab Hiſtoricis. Sic apud Laërtium *in Diogene*, erectam ſuper illius tumulum columnam legimus: & apud Plutarchum in vita *X. Rhetorum* habemus, in Socratis monumento impoſitam columnam triginta cubitorum. De alia vero, quae ſepulcro Archimedis praefixa fuit, teſtis oculatus eſt Cicero Tuſculanarum Lib. V. Romanis quoque moribus inolevit, imo & municipalibus totius Italiae, ut columella ſeu cippus, inſcriptione praeſignatus, mortuo adponeretur. Hinc illud Perſii Sat. I. verſ. 36.

———————— *Nunc non cinis ille Poëtae*
Felix? nunc levior cippus non comprimit oſſa?

De his, ut puto, intelligit Lex: *qui ſepulcro*, Cod. *de Sepulcr. viol.* -- *Si quis igitur de ſepulcro abſtulerit ſaxa, vel marmora, vel columnas*. Sed ne in re ſatis trita diutius immoremur, adeundi celebres viri Gutherius de iure Manium Lib. II. Cap. XXIII. Rhodiginus Lib. IX. Cap. XLIV. qui materiam pro dignitate complexi ſunt.

CA-

CAPUT V.

Adtributa mortuis divinitate, ut libri Acherontici tradebant, Columnae iſtae ſepulcrales Arae vicem obtinuerunt. Arae ſepulcralis origo, & ratio. Mos referendi mortuos inter Divos publica & privata auctoritate.

At vero harum ſepulcralium Columnarum uſus & finis non ſemper idem fuit; primis enim temporibus, quum nondum adſentationum ſtudia hominum animos occupaſſent, rudia illa ſaxa, & illitterata erigebantur, ut ſepulturae locus deſignarent, ne quis imprudens locum effoderet, maiorum reliquias deiceret atque turbaret, indicioque monitus a religioſo loco abſtineret. Signabat exſurgens lapis parentum oſſa, & filiorum pietas habebat, unde dolorem mitigaret, quum caros ſuos, quos indicio ſaxi cognoſcebat, quodammodo adloqui, atque videre reputaret. Eadem prorſus ratione frequenter contingit in Chriſtianorum Coemeteriis obſervare ſepulcra forinſecus ſignis quibuſdam diſtincta, veluti conchis, numiſmatibus, vitreis picturis, & huiuſmodi rebus caemento infixis: quibus inſpectis, vel illitterati homines in illa coemeterialium ſemitarum ambage ſepulcra ſuorum reperirent. Sed poſterior aetas columnis ſepulcralibus ſculpturam nominis ſubiecit, adiecit titulos ambitio & faſtus; donec paullatim ſuperſtitio, quae ex ſingulis mortuis totidem Deos formabat, ſaxum conſecravit. Improba ſane ſuperſtitio, quae in amentiam uſque degeneravit; non enim impios quoſque Principes in caelum retulit, & templis honoravit; ſed privatos quoſque homines, imo ex infima plebe Circenſium habitu Deorum pingere auſa eſt, ut notavit maximus Bonarrotius ad vitreas picturas. Et quidem teterrima iſta impietas, qua Dii pro lubito fieri ſolebant, ex optimo puriſſimoque fonte derivata, ita deturpata eſt; quippe quae proceſſit ex antiqua illa, & a primis uſque parentibus transfuſa traditione, qua, quia in hominum mentibus conſtanter haerebat, pro certo tenebatur, bonorum animas fato functas, perenniter aliquando in caelo bene factorum praemia ſuſcepturas, in quorum ſpem vitae curricula ſancte pieque tranſegiſſent. Neque enim aliud ſignificabat frequens illa formula, impie licet ab illis uſurpata, *referri in Divos*, ac votis hominum invocari; niſi ſtatum illum beatae vitae, quo iuſtorum animae divino lumine perfuſae perfruuntur: quos quidem Chriſtiana Religio *Beatos* & *Sanctos* adpellat. Ethnici

Di-

Divos & *Conſecratos* nuncupaverunt. Praeclara ſunt huiuſce rei teſtimonia apud Plutarchum in Solone, ubi ait: *pium eſſe defunctos exiſtimare ſacros*. Imo in lege apud Ciceronem Lib. II. *de Legibus*, ſolemnia ſunt ea verba: *Leto datos*, *divos habeto*. In ſecundo vero de Natura Deorum haec ſcribit: *Suſcepit autem vita hominum*, *& conſuetudo communis*, *ut beneficiis excellentes viros in caelum fama & voluntate tollerent*. Et in Somnium Scipionis: *Omnibus*, *qui patriam conſervarint*, *adiuverint*, *auxerint*, *certus eſt in caelo*, *& definitus locus*, *ubi beati aevo ſempiterno fruuntur*. Et Plinius Hiſt. Nat. Lib. II. Cap. VII. *Deus eſt mortali iuvare mortalem*, *& haec ad aeternam gloriam via: hac proceres iere Romani: hac nunc caeleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis aevi rector Veſpaſianus Auguſtus*, *feſſis rebus ſubveniens*. Inde evenit, ut conditores urbium, atque artium inventores Aegyptus, Graecia, & Italia conſecraverit: ut Alabandi *Alabandum*, Tenedi *Tenen*, Sabini *Sabum*, Sardi *Sardum*, Latini *Latinum* coluerint. Neque ambigo pleroſque populos atque urbes fundatorem ſuum pari religione coluiſſe: imo viros artibus excellentes, aut bellica virtute claros, pro Diis habuerunt. Ita Achilles divinis honoribus habitus eſt in Leuce inſula, item Spartis, & Braſiis, ut teſtatur Pauſanias in Laconicis. Pari modo Agamemnon apud Clazomenios, & Aiax apud Athenienſes, ut idem Pauſanias refert in Achaicis: Menelaus vero Teracne, uti ſcribit in Laconicis.

Phoenices etiam hac ſuperſtitione non caruerunt, ſi divini iuris conſultiſſimo Maroni fidem adhibemus, apud quem Dido Sichaeum virum ſuum divinitate condecoravit, Aeneidos Lib. IV. verſ. 457.

Interea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, *miro quod honore ſacrarat*
Velleribus niveis, *& feſta fronde revinctum*:

quem ſecutus Ovidius *Heroidum*, inducit ipſam Didonem ita Aeneam adloquentem:

Eſt mihi marmorea ſacratus in aede Sichaeus,
Oppoſitae frondes, *velleraque alba tegunt*.

At vero, ut ad Latinos noſtros revertamur, Aeneas Anchiſen adiecit Divis, Aeneid. Lib. V. verſ. 47.

Ex quo relliquias, *divinique oſſa parentis*
Condidimus terra, *maeſtaſque ſacravimus aras*.

Ipſe

Ipſe deinde Latinum Iocerum ſuum conſecravit, cui Iovis Latialis nomen inditum eſt: demum & ipſe a poſteris conſecratus ſub Iovis Indigetis nomine, ut tradit Livius Lib. I. & Feſtus ad *Oſcillum*. Annam Perennam, Divam ex mortali muliere factam, memorat idem Ovidius Faſtor. III. Poſt Romuli quoque, & Herſiliae coniugis apotheoſin: quorum primus ſub Quirini nomine; altera vero Horae venerati ſunt, ut narrat idem Ovidius Metamorph. Lib. XIV. Acca quoque Laurentia, quae Romulum nutrierat, & Acca Tarrutia, quae populum Romanum heredem inſtituerat, & Flora, pari beneficio in Romanos inſignis, divinitatis encomium meruerunt; unde duplicia Accalia, & Floralia in Calendariis relata ſunt. Hoc deinde decus additum fratribus Gracchis, ut memorat Plutarchus in eorum vita: *Populus Romanus ſtatuas illorum poſuit celeberrimis Urbis locis: & ubi illi occiſi ſunt, ſacella aedificavit, coluitque, & ſacrificia in his quotidie faciebat, procumbebatque multitudo, ut Deorum templis. Ipſa etiam Cornelia mater fertur dixiſſe, dignas eorum corpora ſepulturas habere*. Eumdem quoque honorem adhibitum fuiſſe Curtio, qui ſe pro patriae ſalute in lacum iniecerat, ſubſpicari licet ex Livii verbis Lib. VII. referentis: *Dona & fruges ſuper eum a multitudine virorum congeſtas*. Quid vero dicam de monſtroſo Apotheoſeos abuſu florente imperio, propemodum neſcio: quum trium fere ſaeculorum ſpatio nihil frequentius Romae auditum ſit, quam Divos, & Divas, & Divorum nepotes, & pronepotes, eorumque templa, & Sacerdotia, demum & *rivales Divorum*, Divos denique ex Catamitis. Quae tamen ſolemnis caerimonia in Romulo Maxentii filio, qui CONSERVATOR URBIS adpellatus eſt, facile finem habuit. Sed hae omnes, quas enunciavimus, conſecrationes ſolemnes fuerunt, quae ſcilicet Senatuſconſulto celebrabantur, ſubſequentibus deinde peculiaribus Sacerdotiis, quorum officio publice, atque ſolemniter nova Numina piarentur. At longe plura ea fuerunt, quae privato iure quaelibet familia ex totidem mortuis conſecravit. Itaque in veteri lege apud Ciceronem loco praefato inter utramque diſcrimen adnotatur: *Divos & Ollos, qui caeleſtes ſemper habiti, colunto: &* Ollos, *quos endo caelum merita vocaverint, Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum. —— . Deorum Manium iura ſancta ſunto, homines leto datos, Divos habento: ſumtum in Ollos, luctumque removento*. Quam quidem ſtultitiam carpens Tertullianus in Apologetico Cap. XIII. iure ac merito notavit, hominum ſtatuas ſibi uſurpaſſe Deorum habitus & inſigna: mortuorum ſilicernia nihil differre ab epulo Iovis: ſepulcralem obbam a ſacrificiorum ſimpulo: ab haruſpice pollinctorem: adeo infixa erat in-

mente hominum primaeva illa traditio, humanitati noſtrae, ſi bene ſanɛteque tranſacta eſſet, interminabilem in conſortio piorum manere felicitatem: qua repromiſſione nihil ſolemnius apud Platonem, cuius cum divinis litteris conformitatem, doctiſſime uti ſemper ſolet, illuſtravit inclitae patriae meae ſplendor praecipuus, Auguſtinus Steuchius *de perenni Philoſophia Lib. X.*

CAPVT VI.

Divinitas a Diis tradi credebatur: impetrari vero ab hominibus. A Diis dabatur per ambroſiae communicationem.

HAnc autem divinitatem animabus impertiri a ſolis ſummis Diis crediderunt: impetrari vero etiam ab hominibus ſacrificiorum & precum ope, quas religio abſtruſior auguſtiores aptioreſque credidiſſet. Sed a Diis etiam adhibitam caerimoniam quamdam communiter veteres crediderunt, qua opitulante divinitatem ſuam animabus fato functis communicare mentiebantur. Quaenam autem fuerit, non uno in loco a Graecis Scriptoribus, pariterque Latinis tradita eſt: ex quo auctorum conſenſu deduci poſſe reor, traditionem illam, non e Poëtarum arbitrariis figmentis; ſed ex ipſis Ritualium arcanis fuiſſe deſumtam. Ea in hoc ſita erat, ut Dii potandam ambroſiam animabus ipſis propinarent: quam ubi illae labiis adtigiſſent, decus divinitatis adſequebantur. Male porro, qui haec tradiderunt, de animae natura ſentiebant, putantes eam organis corporeis adhuc poſt mortem implicari, quibus potum abſorberet, atque traiiceret. Quia vero nihilo meliora de Diis credebant; quippe iis tenuiſſimum quidem, ſed tamen materiale corpus cum permeante ſanguine (*ichor* nuncupabatur) adtribuerunt: facile in hunc errorem lapſi ſunt, ut ſpiritum functum corpore aliquid ex terreo contubernio retinere putarent, cuius margine circumſcriptus, priorem formam conſervaret. Fortaſſe, quae vulgo de ambroſiae potione tradebantur, allegorice a ſapientioribus, qui rectius de Deo & de animae natura crediderunt, ſumebantur. Vt vero ad propoſitum revertamur, maximam virtutem in ambroſia repoſuerunt: ubi enim homo vivens illam adtigiſſet, etſi nondum divinitatis capax erat, obtinebat tamen Deorum videndorum poteſtatem, ut ait Servius Georgic. IV. verſ. 415. Oblata vero animabus poſt mortem, imo cadaveri infuſa, ecce mortuus

iam

iam Divus erat. Ita Homerus Iliad. Ψ. verſ. 670. Iovem inducit ita Phoebum adloquentem:

Eia, age nunc, dilecte Phoebe, atro ſanguine purga
Iens ex iaculis Sarpedonem: & ipſum deinde
Valde procul exportans, lava fluminis fluentis,
Inungitoque ambroſia, & immortales veſtes inducito.

Pari quoque ratione Achilles adiicitur Divis apud Q. Smyrnaeum Paralipom. Δ. verſ. 693.

——————— *Tunc deſuper ex Olympo*
Iupiter effudit ſuper corpus Aeacidae rorem
Ambroſium:

quapropter Thetis a Neptuno paullo poſt certior facta eſt, filium ſuum ad Divos tranſlatum iri:

Non enim hic cum Manibus inferis, ſed cum Diis degebit;
Sed mox ad lucidas caeli ſedes evehetur,
Atque ego ipſe muneris loco coram Diis inſulam tradam
Ad Pontum Euxinum, ubi pro Deo habebitur perpetuo.

Eodem modo apud Ovidium Metamorphoſeωn Lib. IV. verſ. 250. Leucothoën additam caelo legimus.

Nectare odorato ſpargit corpuſque locumque,
Multaque praequeſtus: Tanges tamen aethera, dixit.

Libro vero XIV. verſ. 605. eodem ritu Aeneam ex homine Divum factum eſſe refert:

Luſtratum genetrix divino corpus odore
Vnxit, & ambroſia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum: quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem; temploque, ariſque recepit.

In idem denique myſterium reſpexiſſe videtur Horatius, qui, ut Auguſto adhuc viventi aurem vellicaret, ait Lib. III. Ode III.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus arces adtigit igneas,
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

CAPVT VII.

Impetrabatur Divinitas multiplici genere ſacrorum. Inter haec piamina, adhibitae adſperſiones ex liquoribus, quae ambroſiam & nectar imitarentur.

DIvinitas igitur a ſolis Diis concedebatur; impetrabatur vero, ut dicebamus, ab hominibus. Quot autem ſuperſtitiones, qualeſque initiationes, demum & incantamenta adhibuerint, ſi pauca tantum excipiamus, quae vel ab invitis Scriptoribus tradita ſunt, noſcere nobis denegatum eſt in tanta veterum reticentia, qui totam huius praeſtigii dignitatem in ſilentio, & vulgi ignoratione repoſuerunt. Exoratas tamen neſcio quas Poteſtates, Deos inquam, quos nominari Religio vetabat, refert Arnobius loco citato: eademque fere habentur apud Servium ad III. Aeneidos: *Labeo* (ait ille) *in libris, qui adpellantur de Diis, quibus origo animalis eſt, ait, eſſe quaedam ſacra, quibus animae humanae vertuntur in Deos, qui adpellantur animales, quod de animabus fiant. Hi autem ſunt Dii Penates, & Viales*. Rurſus vero idem Arnobius Lib. II. Ethnicos increpans: *Quid illi ſibi volunt ſecretarum artium ritus, quibus adſamini, neſcio quas Poteſtates, ut ſint vobis placidae, neque ad ſedes remeantibus patrias obſtacula impeditionis opponant?* Plato vero in Phaedone ait, a proprio Genio animam in locum ſibi deſtinatum adduci: *Ferunt enim quemlibet hinc illuc emigrantem ab eo Daemone, quem vivens ſortitus fuerat, in locum quemdam duci, ubi oporteat omnes una collectos iudicari: ac deinde ad inferos proficiſci eo duce, cui mandatum erat, ut hinc decedentes ad illa loca traducat. Sortitos vero illic, quae oportebat ſortiri, tempuſque debitum commoratos, ab alio quodam duce rurſus huc reduci . . . . . Quum vero ad ea loca, ubi alii quoque animi ſunt, pervenerit, quiſquis admodum immundus eſt, & obnoxius criminibus, hunc quidem animum omnes fugiunt, atque declinant: nec reperitur ullus, qui vel ſocius, vel dux eius fieri velit . . . . . Qui vero puram moderatamque tranſegerit vitam, Deos ſocios duceſque nactus, ibi habitat, ubi unicuique convenit*. Et ecce rurſus praetermiſſo nomine eaedem Deitates iudicantur, de quibus intellexit Arnobius. Ex his vero *Poteſtatibus*, ſeu ductoribus, unum fuiſſe Mercurium coniicio, cui morientes ſupplicabant, ut eorum animas placido itinere in meliores ſedes deduceret, ut colligitur ex Valerio Maximo Lib. II. Cap. VI. rurſus ex Virgilio Aeneid. Lib. IV. verſ. 239. & Horatio Lib. I. Ode X. verſ. 10. qui illum animas Orco evocare, & laetis ſe-

ſedibus reponere ſcripſerunt, quibus Euripides in Alceſte addit etiam *Plutonem*. Sic enim Chorus pro eius anima preces fundit:

> *Vale : benevolus te ſubterraneus Mercurius,*
> *Et Pluto excipiant.* ——————

Precibus vero etiam caerimonias addiderunt, illam praeſertim, qua ambroſiae adſperſionem imitabantur, liquoribus ad id deſtinatis, ut illam divinitatem, quam ope verae ambroſiae habere non poterant, effuſione ſimilitudinariae obtinerent: Ethnicorum enim Religione cautum erat, ut ea, quae ſpiritaliter circa animam fieri, atque inſenſibilium miniſterio exhiberi non poterant, ſenſibilibus quibuſdam rebus, actibuſque corporeis, qui analogiam aliquam cum ſpiritalibus conſervarent, imitarentur: quod iampridem obſervavit Servius in Lib. II. Aeneid. verſ. 116. *Sciendum in ſacris ſimulata pro veris accipi : unde quum de animalibus, quae difficile inveniuntur, eſt ſacrificandum, de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur.* Rurſus vero in Lib. III. Aeneid. verſ. 370. per haec verba: *In ratione ſacrorum par eſt animae & corporis cauſa; nam plerumque, quae non poſſunt circa animam fieri, fiunt circa corpus, ut ſolvere, vel ligare, quo poſſit anima, quae per ſe non poteſt, ex cognatione ſentire: inde eſt*, unum exuta pedem vinclis in veſte recincta. *Bene ergo Helenus cuncta corporis ſolvit, ne qua parte animae religata ad Numen adcedat.* Quam doctrinam luculentius expoſuit Lib. IV. verſ. 515. *In ſacris, ut ſupra diximus, quae exhiberi non poterant, ſimulabantur, & erant ficta pro veris.* Multa huius diſciplinae exempla ex Eleuſinorum, Orgiorumque initiis adduci poſſunt, in quibus adhibita ſimilitudine eorum elementorum, in quibus animas cruciari reputabant, illarum ſcelera praemature elui tradiderunt. Taceo oſcilla fictilia, quae pro veris hominum capitibus Saturno dicari in more poſitum fuit, de quibus in Notis ad alteram partem veterum Lucernarum fuſius diſſerui. Vnum tamen praetermittere nolui, excitatus exemplis veterum cadaverum in Tuderte nuper effoſſorum, inter quorum adſtrictos dentes, aereos nummos invenire datum eſt. Nihil aliud haec caerimonia importabat, niſi ſimilitudinem quandam portitorii illius, quod ab animabus Charonti perſolvi nugabantur. Idem dici poteſt de placenta illa, quam cum mortuo tumulabant, de qua ita Suidas Lib. V. *Placenta dabatur tanquam pro Cerbero, & obolus merces portitorii;* quamquam illam utique in ſepulcro corrumpi obſervarent, neque unquam a Cerbero delibatam. Sed haec imagines erant eorum, quae a ſpiritibus corpore ſolutis fieri deſiderabant.

 Quia

Quia vero ipſum nectar in commercio homines non habebant; eius ſimulacra eſſe conſtituerunt *vinum*, *lac*, *mel*, denique & *unguentum*: ſiquidem nectar, ſive ambroſia, quae promiſcue uſurpari comprobat Athenaeus Lib. I. etiam pro Deorum unguento uſurpata fuiſſe, docet idem Servius in Aeneid. Lib. I. verſ. 407. Quapropter crediderunt ipſa unguenta & balſama nectaris & ambroſiae vicem aptiſſime gerere potuiſſe; ut ex illis non tantum cadavera, atque oſſa ambuſta imbuerent, adſpergerentque; ſed ex illis implerent ampullas, quas ſecus cadaver depoſitas, atque illi conſepultas, dum nobis eruere contigit, inanis illius & ſupervacuae pietatis officium miſerti ſumus. Mel quoque nectaris nomine ob ſuavitatis ſimilitudinem adpellavit Virgilius Aeneid. Lib. I. verſ. 437.

———— cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas:

Et Georgic. IV. verſ. 163.

———— aliae puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.

Vinum quoque pari adpellatione decoravit in Egloga V. verſ. 71.

Vina novum fundam calathis Ariuſia nectar.

Et Georgic. IV. verſ. 384.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam.

Et *Baccheum nectar* illud adpellavit Statius Lib. II. Silvarum. Ex quo vero cognovimus, antiquos vice nectaris, vino, lacte, melle, & balſamo cadavera ſpargere conſueviſſe, ut illis divinitatis omen darent, coniectare licet, haec omnia nominibus minime communibus, ſed ex myſteriis efformatis, nominaſſe: quae tamen nobis interciderunt, ſicuti profecto ex hominum memoria exciderant portentoſa illa, atque multiplicia victimarum, & hoſtiarum nomina, quae nuper in Indigitamentis Pontificalibus veterum Iguvinorum contineri animadverti. Ne vero penitus temere ſubſpicionem hanc protuliſſe videar, exemplum adfero ex Virgilio, qui Aeneid. IV. verſ. 512. Didonem deſcribens, ſacra Deis Inferis praeparantem, ait, ſparſiſſe

———— latices ſimulatos fontis Averni:

ſimu-

ſimulatos, inquam; quia veros nuſquam locorum habere poterat: eo tamen nomine nuncupari inſtitutum erat, quia illos ipſos ſimulabant. Sic pariter cum in Iſidis ſacris aqua ſpargeretur in templo, aqua illa, undecunque interim hauſta foret, de Nilo tamen eſſe dicebatur, ut ait idem Servius in 1I. Aeneid. verſ. 116. Igitur haec omnia in cauſa fuere, cur tanto ſtudio unguenta ceteraque libamina in funeribus, & in annuis inferiis ſuper mortuorum oſſa diffunderent: ut umbratilis iſta divinitas, quam homines dediſſent, annuis ſubſidiis inſtauraretur: excogitata etiam operculorum ſepulcralium cautela, in eum modum concinnatorum, ut foraminibus pervia humores inſtillatos in ipſum os defuncti perducerent, ne ſepulcrum aperiri, atque oſſa revelari opus eſſet, quod veluti piaculo erat.

CAPVT VIII.

Praeter adſperſiones ſuper cadavera factas, liquores etiam in vaſculis incluſi in tumulo ſepeliebantur. Item vaſcula vacua, quorum miniſterio in adſperſionibus uſi fuerunt. Inter divinitatis ſymbola etiam coronae cum mortuo ſepultae: nonnulla de coronis Cuprenſibus.

VAſa vero, quibus iſta libamina mortuis miniſtrabantur, in ipſum rogum iniecta, flammis comburenda relinquebantur, ipſoque exſtincto, ita ut erant ſaepe ambuſta, ſecus cineres ſepeliebantur. Adſervantur Piſauri in Muſeo Nobilium de Bavaria ampullae quaedam vitreae, in cinerario quodam repertae, quas ita ignis compreſſerat, & quaſi liquaverat, ut vix priſtinae formae defluentis imaginem aliquam ſervent. Huc referantur exempla ex Scriptoribus expetita, nempe ex Homeri Iliados Lib. Ψ.

In (pyras) *autem poſuit mellis, & olei amphoras.*

Virgilii Aeneid. Lib. VI. verſ. 224.

——————— *congeſta cremantur*
Thurea dona, dapes, & fuſo crateres olivo.

Statii Tebaidos Lib. VI. verſ. 201.

Pal-

Pallentique croco ſtrident ardentia mella,
Spumanteſque mero paterae verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratiſſima cymbia lactis.

Ovidii Faſt. Lib. III. verſ. 561.

Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillae.

Aſt ubi corpus minime comburi, ſed humari contingeret, vaſa ipſa pura adhuc, & nullo, ut opinor, humanae vitae uſu inquinata, quibus extrema pietatis officia exhibita eſſent, una cum corpore ſepeliebantur, atque inde effoſſa, eruditorum virorum nunc penetralia condecorant. Vbi enim funebre officium vaſa contigiſſent, inde efferri non licebat, ne vita hominum mortuali ſupellectile pollueretur, ut comprobavi in Prolegomenis ad domeſticas Lucernas §. XVI. Non ſolum vero vaſa iſta vacua, & munere ſuo functa, ad inſtar ſacrarii, in ſepulcro ſeponebantur; ſed & nonnulla alia vaſa liquoribus plena, & quae praetermitti Religio non ſinebat. Hinc vir quidam de uxore ſua conqueritur apud Ariſtophanem in *Concionantibus*, quod illum, veluti mortuum in lectulo dormientem, reliquiſſet, nec quidquam vero funeri defuiſſet, niſi: *quod coronam capiti ipſius non impoſuerat, neque lecythum prope collocarat*. Liquores vero, qui inibi adponebantur, fere ii fuerunt, quibus nectar ſignificaretur, vinum, lac, mel. Audi Euripidem in Oreſte;

Cape in manus has inferias, & meas coronas,
Et veniens ad Clytemneſtrae ſepulcrum,
Dimitte ibi mel cum lacte mixtum, & vini ſpumam.

Ideo vero haec in aptis vaſculis incluſa tumulo condebantur, ut diutius penes cadavera conſervata, caerimonia impleretut, qua inepte putabant divinitati animarum conlabenti, ſuppetias ferri. Adparent adhuc in vitreis ampullis, quarum ingentem copiam collegimus, huius moris veſtigia; ex his enim nonnullae albicante craſſaque cruſtula interne obductae ſunt, qualis ex glutinoſa lactis ſubſtantia diuturnitate exſiccata contrahi credendum eſt: aliae vero aureo colore, nullis tamen compactis cruſtulis, interne pollent, ut balſamum in his olim fuiſſe incluſum, ſuſpicemur: in quo cum nihil terreum, quod ſubſideret, & obdurari poſſet exſiſteret, tinctura tantum ſuperſtite, totum evaporatum eſt: quod etiam docti viri, qui cimelia haec prae manibus contrectarunt, probaverunt.

Ple-

Pleraeque vero ex his ampullis nihil craſſum, aut terreum interne contraxerunt, & pellucidum undequaque vitri ſplendorem nulla interna concretione maculatum ſervant: quibus quidem diutius contrectatis, atque examinatis, pro certo habemus, nullum in iis liquorem craſſioris ſubſtantiae fuiſſe incluſum, ac ſimplici tantum cum aqua infuſa fuiſſe olim conſepultas. Ampullas iſtas ad lacrimas propinquorum colligendas compactas fuiſſe credunt plerique, ac proinde adpellant *lacrimatoria*; mihi tamen minime vitio detur, ſi ab ea ſententia receſſero; futile quippe mihi videtur argumentum Inſcriptionum, quibus illa ſubnititur, adſerentium mortuos fuiſſe cum lacrimis tumulatos. Multa doloris ſigna titulis ſepulcralibus expreſſa ſunt, quae modum animi ſine fine dolentis ſignificant, non caerimoniam tumulationis: ut ſi alicubi aliquem cum dolore aut moerore, terrae demandatum legamus, minime perturbationes iſtas incluſas urceolis reputemus. Ita prorſus memini, me quinquennium iam uxorem incomparabilem in pace praemiſſam cum lacrimis extuliſſe; phialae tamen omnino abſuerunt. Credibile potius eſt, luſtrales aquas in iis inditas: praeſertim, quum in duplici lucerna apud Bartolum Tab. XIII. e XIV. quarum prima in Muſeo meo adſervatur, Genii hinc inde arae ſepulcrali adſtantes cernantur, qui altera manu e cornu potorio libamina effundunt: altera vero vas aquae luſtralis in parvae ſitulae formam effictum ſuſtinent: eius, inquam, formae, cui adprime reſpondet alterum vas aquae luſtralis, quod Camillus ſuſtinet expreſſus in marmoreo anaglypho, nuper in Caeſarum palatio defoſſo.

In quibuſdam vero ſepulcris phialas aliquas maioris moduli invenire datum eſt, e quibus unam, palmo maiorem, ex cryſtallo elegantiſſime elaboratam, atque litteris Etruſcis exſtantibus in fundo exſcriptis inſignem, in Tuderte repertam, nuper mihi dono dedit Cl. Domitianius, cuius imago depromitur Tab. X. num. I. cui addidimus alteram, pariter ex cryſtallo, rotae beneficio exquiſitiſſime elaboratam, prominentibus circumquaque bullis, quae in Piſaurenſi reperta fuit. Hanc exhibet eadem Tab. X. num. VI. In his, quia ceteris mole praeſtant, inditum olim fuiſſe vinum, quo oſſa combuſta lavabantur, reputavi. Mos iſte ex Aeneid. VI. verſ. 227. comprobatur:

Relliquias vino & bibulam lavere favillam:
Oſſaque lecta cado texit Corynaeus aëno.

Quae enim proxime cadaver adtigerant, plerumque ſepulcris incluſa comperimus; ut de pyrae carbonibus frequens experientia docet;

ad-

adtamen de his nullum adhuc idoneum auctorem profero & coniectationem hanc meam Viri docti perpendent.

Catini fictiles, paterae, ac lances, quarum plurimas identidem collegimus, ex quibus tres Etruſcis litteris inſignes, typis vulgavit Cl. Gorius Muſei Etruſci Tab. XII. XIII. & LXXXV. alterius ſuperſtitionis teſtes ſunt, qua mortuorum ſepulcris anniverſarias epulas inſtaurabant, quae ſtultitia aetate etiam Divi Auguſtini ab Ethnicis ſervabatur; ſic enim ille Sermone xv. de Sanctis: *Quum ſolemnitatem hanc* (dedicationis) *in Eccleſiis merito religioſa obſervatio introduxerit; miror, cur apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſae de corporibus animae cibos requirant.* Eruuntur praeterea frequenter ex ſepulcris urceoli ſcitiſſime elaborati, quibus haec vina conferebantur, quorum nonnullos elegantioris formae nuper ex Tuderte tranſmiſſos producimus Tab. IX. quarum potiſſimam partem Franciſci Antonii Domitianii, ſtudiorum noſtrorum meritiſſimi, munificentiae debere confitemur. At inter cetera notatu digna eſt lagenula illa ex ea forma, ex qua plerumque conſtant menſurae liquidorum, quae decuſſi ſignata eſt in eadem Tab. num. iv. Quanquam haec ornamentis deſtituta ſit, in pretio tamen ſummopere habendam eſſe reputamus, quum Etruſcae menſurae adhuc ignotae *decimam partem* in ea poſſideamus: quae ut erat nota ſua obſignata, ex taberna in ſepulcrum conceſſit, & haec noſtra tempora expectavit. Continet aquae pluvialis libram unam, uncias quinque: nec vero turbet nota numerica, Romanis etiam communis. Hos ab Etruſcis notas illas fuiſſe mutuatos, nemo, qui Tabulas noſtras Eugubinas inſpexerit, in dubium revocaverit: neque pauca huius notae X. in vaſculis Etruſcorum depictis, exempla obſervantur. Vaſculum iſtud in ingenti ſcrobe diruti ſepulcri fragmentis coacervata, cum ingenti fictilium vaſorum & urnarum fruſtulis, inter quae non pauca Etruſcae aetatis teſtimonia deprehendit Cl. Ioannellius, paene integra reperta eſt, & modo in Muſeo noſtro adſervatur.

Quia vero de coronis mentio incidit (ne hoc Acheronticae divinitatis obſequium praetermiſiſſe videamur) aliqua de iis ſubnectamus. Coronas primum Deorum tantum, ac Manium proprias fuiſſe memorat Plinius Lib. XXI. Cap. III. quia nempe Manes divinos honores participare reputabant. Hinc tegulam velatam coronis ad ſepulcra exponi dixit Ovid. Faſt. Lib. II. verſ. 537. & mortuos coronari in uſu fuiſſe tradunt Tertullianus de Corona, & Clemens Alexandrinus Lib. VII. Paedag. Cap. III. Silentio tamen minime praetermittendae erant veterum Cupreſſium coronae, quarum

plu-

plurimas ex aere conflatas, cadaverum capitibus impoſitas, aut digitis conſtrictas, repertas eſſe nuper tradidit clariſſimus, atque mei amantiſſimus, & antiquae Cuprenſis gloriae inſtaurator Paciaudius. Nodis illae in girum diſpoſitis inſtructae ſunt, ad gratiam ei donario conciliandam: fortaſſe floribus aut frondibus temporario honore veſtiebantur, ſtipite tantum ſuperſtite. Aheneas coronas Romae inventas eſſe teſtatur Flaminius Vacca, alteramque Chriſti monogrammate ſignatam protulit Baronius ad Saeculum IV. Cicero quoque pro Flacco, auream coronam mortuo impoſitam memorat: *Poſſem recitare pſephiſmata Smyrnaeorum, quae fecerunt in Caſtricium mortuum . . . . . ut imponeretur aurea corona mortuo*. Alterius non abſimilis meminit Valerius Maximus Lib. III. Cap. 1I. num. XXIV. & Livius Lib. VII. & XXIV. Aheneas tamen Cuprenſium coronas ad defunctorum virtutem pertinuiſſe puto, atque ex illis fuiſſe, quae vel ſacrorum certaminum victoribus, vel bellica virtute praeſtantibus viris donabantur, de quibus Cicero de Legibus Lib. II. *Quod coronam virtute partam & ei qui peperiſſet, & eius parenti, ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet*. Huc pertinet Lex XII. Tabularum: QVEI. CORONAM. PARET. IPSVS. PECVNIAEVE. EIVS. VIRTVTISVE. DIDITOR. IPSEIQVE. MORTVO. PARENTALEBOS. EIVS. QVOM. ENTVS. POSITOS. EST. QVOMQVE. FORIS. EXFERTOR. IMPOSITA. SE. FRAVDED. ESTOD.

CAPVT IX.

Forma ſepulcralium vaſculorum expenditur, quae Deorum Inferorum imagines referunt, atque animalium Diis ſacrorum. Leones cur in ſepulcris effícti.

VT autem libamina illa, quae ab hominibus miniſtrari diximus, ex ipſo veluti Deorum dono proceſſiſſe viderentur, etiam vaſa excogitata ſunt, quae peculiari ſua forma hanc ipſam myſterii vim demonſtrarent. Occurrunt enim in veterum tumulis vaſcula quaedam ita concinnata, ut Serapidis, ſeu Iovis Stygii caput pectore tenus expreſſum referant, interne vacua, modio deſuper patulo, ex quo in ſimpuli morem immiſſus humor effunditur, ut quodammodo ex ipſo Dei ſinu ſuffragium divinitatis videatur effundi. Sed haec minime Etruſcis

communia fuerunt; quum, Arnobio teſte, ſciamus, hanc Religionis novitatem minime antiquam eſſe in Italia. Sic ille Lib. iI. *Quid vos Aegyptiaca Numina, quibus Serapis atque Iſis eſt nomen, non poſt Piſonem & Gabinium Conſules in numerum retuliſtis veſtrorum Deorum?* Paterae vero, quibus primaeva Italiae ſuperſtitio id officii explebat, Deorum imaginibus conſignatae erant, quorum Religione parem auctoritatem caerimoniis conciliarent. Hinc, ut puto, proceſſit ea diſciplina, qua ſepulcrales paterae, qua aereae, qua fictiles, qua penicillo, qua graphio, qua caelo elaboratae, tanta eruditionis ſegete refertae fuerunt, in quibus plerumque Dii ipſi funebribus fabulis intermixti, cum mortuis communicant.

Huic artificio proxime illud adcedit, quo vaſa ipſa in ſacrorum animalium ſimilitudinem configurata dedicabantur: qualia aetate noſtra contigit revelari, detectis potiſſimum tot Etruſcorum ſepulcris, quibus poſtremum id ſtudium familiariſſimum fuiſſe comperimus: quae quidem animalia, liquores ex patulo ore, vel perforato pectore effundendo, quaſi vicaria Deorum ſuorum, quorum figurae erant, poteſtate, mortuos caelo initiarent. Horum animalium ſchemata, ex prototypis Muſei mei adamuſſim expreſſa, proferimus, rati minime obvia ab eruditis fore habitura; non enim pridem huiuſmodi a me viſa ſunt, quam amicorum munificentia, ex agro Tuderte defoſſa eadem ad me miſſa ſint. Habes ſchema vaſis fictilis, nigri coloris, ad libamina fundenda, in muſtelae ſpeciem concinnati, quod vide ſis in Tabula VIII. num. iiI. Altitudine aequat palmum unum. Indicat A infundibulum: B vero foramen ſive orificium, per quod concepta libamina reddita. Muſtelam refert omni parte ſua integram. Alterum ingentis cornu ſuperne patuli ſpeciem refert, & deſinit in leunculum femore tenus prominentem: cuius quanta ſit elegantia, & quantum artificium in artubus ſcientiſſime expreſſis, ſignificari vix poteſt. Hoc ipſum vide expreſſum in eadem Tabula VIII. num. iI. Altitudine ſua palmum I. & uncias IV. aequat. Nigro emicat colore, repertumque eſt Tuderti in ſepulcro Etruſco hoc ipſo anno MDCCXLII. Producitur in pectore leunculi eleganter ſculpti exſtans veluti fiſtula perforata, per quam immiſſus liquor in artificioſae fontis imaginem cum impetu proſilit. Ad huius vaſis figuram illuſtrandam (quippe ex fictilibus prima in lucem prodiit) nonnulla adieci in eadem Tabula VIII. num. iiI. IV. V. VI. & VII. ex Etruſcis ſigillis & urnarum operculis depromta: ex quibus coniectare licet id genus poculi maxime in uſu apud Etruſcos fuiſſe, praeſertim vero in funeribus, quum inter manus mortuorum

haec

haec vaſcula, in caput cum leunculorum, tum aliorum animalium deſinentia, ſculpta videamus.

Modus haec vaſa adhibendi in funeribus mire oſtenditur in veteri Lucerna mei Muſei, quam dudum vulgaverat Bartolius in eximia veterum Lucernarum collectione. Genii ſepulcrales in Tabula XIV. habitu ſuccincto baſibus inſiſtentes, hinc & inde aram ſepulcralem cuſtodiunt. Manu demiſſa vas luſtrale ſuſtinent: altera vero elevata huiuſmodi recurva pocula adtollunt, & quodammodo capitibus imponunt: e quorum ima parte, quae fiſtulae huius noſtri reſpondet, ſaliens liquor in arcum proſilit, & in aram recidit: fortaſſe, dum implerentur, digito ſiphunculus comprimebatur; ubi vero ſupra caput ſacrificantis elatum eſſet, amoto digito, recluſoque ſpiraculo, latex incluſus impetuoſe proſiliebat. Exhibet Tabula VIII. icunculam hanc, quam vide ibidem expreſſam num. VIII. Non ambigo, huiuſmodi cyathos in conviviis etiam adhibitos, quos cornua potoria adpellabant, ſumto ab Heroibus exemplo, qui animalium cornua pro poculis uſurparunt. In iis vero foramen iſtud infimum minime fuiſſe reor, quod neque bibentibus, minus vero propinantibus, adcommodatum eſſe poterat.

Vaſa iſta proprio & peculiari nomine *ancones* vocabantur, de quibus fit mentio in Lege *Tabernae* 13. *ff. de fundo inſtructo*, ibi: *Inſtrumenta tabernae nonniſi loci inſtrumenta ſunt, ut doliaria vaſa*, ancones, *calices, & trullae, quae circa coenam ſolent traiici.* Hanc vocem ad trutinam expendit, atque erudite de more illuſtrat Prateius. Lex iur. *Sunt calices non rotundi, ſed in cubitum flexi, & angulum habentes, unde & illis nomen tributum.*

Muſtelae vero, & leonis imago, & leunculorum capita, in quae haec pocula deſinunt, optime ſepulcris conveniebant; ut enim in Roncalienſibus indicaveram, in muſtelam converſa eſt Galantis, quae Alcmenae parienti opem tulerat; quapropter Herculi gratiſſimum animal putabatur, in cuius etiam ditione leonum erant imagines: ex quo enim Hercules vivens in Infernum penetraverat, multaque ibi virtutis ſuae teſtimonia reliquerat, inter Inferos Deos cenſus eſt, ut nulla lege prohiberetur in ſepulcris eius ſimulacra collocari: quod tamen a ceterorum Religione alieniſſimum erat, ſi illos tantum excipias, per quorum initia hominum animas criminibus expiari poſſe reputarunt. Hinc factum eſt, ut antiqui ſepulcrorum loca leonum figuris indicarent. Audiamus Dionyſium Halicarnaſſeum, Romanar. Antiquit. Lib. I. *Non deſunt, qui lapideam leonis effigiem, quae pro roſtris in loco Romani Fori praecipue viſitur, ſuper Fauſtuli corpore poſitam eſſe dicant, invento &*

ſepulto ubi occubuerat. Item Acronem ad Horatium Epod. XVI. *Varro pro roſtris ſepulcrum Romuli dixit, ubi etiam in huius rei memoriam duos leones erectos fuiſſe conſtat*. Inde in uſu habuerunt ſplendidioris aevi Romanorum proceres ingentia leonum ſimulacra ſepulcris inſculpere, quorum unum eximii operis, ac ingentis molis e veteri buſto defoſſum, ſaepe miratus ſum Romae in Aedibus Barberinis: alterum paris artificii in Hortis Mediceis Romae cuſtodiebatur, cui Flaminius Vacca ſculptor inſignis, atque ob Diarium Romanum ab eruditis omnibus commendatus, quod media tantum parte e marmore proſiliret, poſticam fecit: alterum denique ceteris minime imparem delineavit ex veteri ſepulcro in via Tiburtina Sanctius Bartolius inter ſua Sepulcra. Leonum imagines videre eſt in Divae Helenae porphyretico ingenti ſarcophago in quadriportu Lateranenſi. Demum nil frequentius eorum capitibus in arcis marmoreis, quae paſſim Romae deiectae, in domorum impluviis, atque hortulis ubique exſtant. Sed ne Etruſcos ſilentio praetereamus, qui hunc ipſum morem docuerunt, ſervaruntque, non pauca eorum ſepulcra leonum capitibus ornata exhibebit Cl. Gorius, qui ſe non pauca obſervaſſe in Muſeis per epiſtolam monuit.

CAPUT X.

Expenditur differentia inter Aras ſepulcrales illorum, qui publica aut privata auctoritate ſacrati eſſent. Etruſci defunctorum Laribus illas ſacrabant: Latini vero illorum Manibus. Lares Etruſcorum, & Latinorum Manes nihil aliud erant, niſi animae mortuorum.

ADſcriptis igitur inter Divos paene omnibus mortuis, quos vivorum ambitio caeleſti honore dignos reputarat, unum ſupererat, ut columellae illae ſepulcrales, quae ſignandis tantum corporibus antiquitas inſtituerat, in aram ſepulcralem, ſepulcra vero in templa ſacrarentur. Haec inſania, adoleſcente adhuc mundo, rarior fuit, nec niſi ſummos viros proſecuta eſt; quapropter Diodorus Lib. XI. Leonidae & ſociorum facinus commemorans, qui ad Termopilas score interierant, haec ſubdit: *Sors glorioſa, mors praeclara, ſepulcrum ara*. Sic Andromache apud Virgilium Aeneid. Lib. III. verſ. 305.

Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrimis, ſacraverat aras.

In

In ſepulcro quoque Polydori ex eodem Libro, verſ. 63

——————— ſtant Manibus arae,
Caeruleis maeſtae vittis atraque cupreſſo.

Aras item erexit Aeneas parenti, Aeneid. Lib. V. verſ. 47.

Ex quo relliquias divinique oſſa parentis
Condidimus terra, maeſtaſque ſacravimus aras.

Nec aras quidem, ſed templum a Didone erectum Sichaeo memorat idem Virgilius Lib. IV. verſ. 457.

Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis; & feſta fronde revinctum.

Hac tamen inſania Romae nihil frequentius: ut enim Prudentii verbis utar:

Et tot templa Deûm Romae, quot in urbe ſepulcra
Heroum numerare licet. ————————

Nec enim in aris & templis tantum conſtitit ambitio, & in ingentibus illis, atque aerario gravibus conſecrationibus; ſed ad perpetua etiam, ſemperque duratura ſacerdotia, collegia, ludos, & pulvinaria proceſſit: quorum teſtimonia ſuperſunt adhuc ubique obvia in marmoribus, communicata etiam ubique terrarum, omnibus paene populis, adſentatione principis urbis.

Hae vero arae, quas modo *cippos*, modo *columellas*, tandem & *ſaxa* adpellata eſſe comperimus (non enim in verborum diſputationibus immorandum putamus) ipſis mortuorum animabus ſacrae erant, quas inter Deos referebant: quod etiam, adiecto ut plurimum epigrammate, perpetuo teſtatum eſſe voluerunt. Hoc tamen intererat inter illorum animas, qui Senatuſconſulto ſolemniter ſideribus adſcripti forent, atque eorum, qui privato iure, ac domeſticis tantum ſuffragiis eſſent conſecrati, quod priorum arae ſingulis Divorum nominibus inſcribebantur; ceterae vero *Diis Manibus* mortuorum, quorum Religio minus ambitioſa; quia nempe communis cunctis, ex ipſis veterum inſtitutis emanaverat. Obſervavimus in iis Proluſionibus, quae in linguam Etruſcam in ſeceſſu

Ron-

Roncalienſi ſcriptitavimus, fuiſſe in moribus Etruſcorum, ut ſepulcrales urnas mortuorum Laribus dedicarent. Sic enim ipſi bonorum animas corpore functas nuncupabant, quas Latini *Manes*: quorum nominum differentiam ex Divo Auguſtino de Civit. Dei Lib. IX. Cap. 11. animadvertimus: *Animas hominum Daemones eſſe, & ex hominibus fieri Lares, ſi meriti ſint: Lemures, ſi mali: Manes vero, ſi incertum ſit, bonorum eos ſive malorum eſſe meritorum*. Id etiam liquet ex Apuleio *de Deo Socratis*, qui ita ſcribit: *Genius eſt animus humanus exutus, & liber ſtipendiis vitae: nunc veteri Latina lingua reperi* Lemurem *dictitatum. Ex his, qui quieto & pacato numine domum poſſidet*, Lar *adpellatur familiaris: qui vero propter adverſa vitae merita, nullis potitus ſedibus, incerta vagatione punitur*, Larvam *perhibent. Quum vero incertum eſt, quae utique ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine* Manium Deum *nuncupat. Honoris gratia Dei vocabulum additum eſt*. Hoc vero *Manium* nomen nihil niſi *Deos bonos* ſignificabat; nam in vetere lingua *bonum* Antiqui dicebant *manum*, ut tradit Varro de Ling. Lat. Lib. IV. cui nomini fere reſpondet illud, quo Lacedaemones, & Arcades mortuos ſuos adpellabant, ut tradit Plutarchus Quaeſt. Graec. V. *Qui ſunt apud Arcades & Lacedaemonios* chreſti, *ideſt* boni? *Lacedaemonii Tegeatibus reconciliati, foedus pepigerunt, & communem columnam ad Alpheum poſuerunt, in qua inter alia foederis pacta hoc ſcriptum erat: Meſſenios regione pellunto: neminem* chreſtum *ſive* bonum *faciunto*. Hoc Ariſtoteles interpretans, ait: *Eos ſignificari Tegeatarum neminem debere interfici, qui auxilii cauſa Laconicis rebus ſtuduere*. Vnde arguitur apud illos populos vocari conſueviſſe mortuos eodem, ut apud Romanos, *bonorum* nomine addito, ut ait Apuleius, *honoris gratia* Dei *vocabulo*.

Ex praedictis omnibus manifeſte adparet, ſub *Deorum Manium* nomine, nihil, praeter hominum ipſas animas, intelligi conſueviſſe. Quamquam enim nonnulli (ut in rebus obſcuris adſolet) diverſimode dubitarint; coſtantior tamen graviſſimorum Scriptorum auctoritas ab hac, quam praemiſimus, non diſſentit. Addamus Servii auctoritatem adprime opportunam, qui ad III. Aeneid. verſ. 63. haec prodit: *Dii autem Manes ſunt animae illo tempore, quo, de aliis recedentes corporibus, needum ad alia tranſierunt:* & mox; *unde videmus vetuſta ſepulcrorum monumenta* DIIS MANIBVS *eſſe inſcripta: in qua etiam ſententia videtur eſſe Apuleius de Daemonio Socratis:* Manes, *inquit*, dicuntur animae melioris meriti, quae in corpore noſtro Genii dicuntur: corpori renunciantes in *Daemones:* quum domos incurſionibus infeſtant, *Larvae:* contra ſi aequi & faventes eſſent, *Lares familiares*. Hinc Perſius hominum animas poſt mortem fieri *Manes* pronunciavit Sat. V. verſ. 151.

In-

Indulge Genio, carpamus dulcia: noſtrum eſt,
Quod vivis: cinis, & Manes, & fabula fies.

Manſit haec formula uſque ad inferioris aevi tempora; quibus Chriſtiani Imperatores *Manes* pro animabus, ſecuti veterem intelligentiam, adpellaverunt. Audiamus Theodoſii & Valentiniani legem *de Sepulcris* latam in Cod. Theodoſiano: *Quis enim neſcit quietos ſolicitari funeſtis auſibus Manes?* Habemus praeterea auctoritatem Chriſtiani marmoris apud Gruterum pag. MLVIII. num. I.

DEBITA SACRATIS MANIBVS OFFICIA.

cui non modicum ſplendorem commodari mihi viſum eſt ab altero Tudertis Eccleſiae marmore, in quo eadem nuncupatio repetitur:

SANCTIQVE TVI MANES NOBIS PETENTIBVS ADSINT.

C A P V T XI.

Manes cur plurali numero invocati.

QVomodo vero factum ſit, ut defuncti hominis anima, quae una eſt, plurali *Manium* numero deſignaretur, vix inveniri poſſe puto. Fortaſſe ex veteris dialecti inſtituto introductum erat, ut nomen illud ſingulariter non pronunciaretur: nec aliter, quam plurali numero pateretur declinari. Exempla nobis huiuſmodi ſuppeditabunt Grammatici, quorum rationem aliunde, quam ex uſu, ipſi poſtulare non permittunt. Nec etiam a veroſimili aberraverimus, ſi putemus, Manes ipſos rudiori aevo non ſingillatim cultos; ſed in ipſa eorum multitudine, communibuſque ſacrificiis, unde inolevit multiplici tantum numero conſueviſſe nuncupari. Ex quo vero Religio cunctorum ad ſingulos etiam converſa eſt, retinuit in ipſa cultus novitate veterem nuncupationem, ut *unius* etiam *Manes* eſſe dicerentur. Fortaſſe etiam ii, qui unam tantum animam in homine, ut par erat, cognoverunt, quaſdam eius potentias ſive effectus ex illa diſtinxerunt, ut quodammodo plures animas in illo adſtruendas eſſe crediderint; quinimo &, praeter animas, totidem quoque umbras in eo numeraverunt,

verunt, quarum etiam peculiarem rationem habendam eſſe tradiderunt. Hinc Servius in illud Virgilii Aeneid. Lib. V. verſ. 81.

Nequicquam cineres, animaeque umbraeque paternae:

ait: *Vocativus pluralis eſt; nam Plato, & Ariſtoteles, & omnes periti dicunt, in homine quatuor eſſe animas: unam* vitalem, *ut in vermibus, qui tantum moventur: aliam* ſenſualem, *ut in mutis animalibus, in quibus eſt ſenſus & timoris & gaudii: tertiam* intellectualem, *ut in hominibus, qui & recte cogitare, & recte iudicare poſſunt: eſſe etiam quartam infra homines, quae vocatur* naturalis, *ut eſt in herbis, & in arboribus*. Deinde: *His rebus colligitur hominem harum omnium animarum eſſe participem &c. De umbris autem facilis eſt probatio; nam ſi quatuor ſint animae, ſequitur, ut tot ſint umbrae*. Hinc illorum, quorum animas caelum tenere putabant, umbras in Inferno cruciari crediderunt: ita praelaudatus Servius in Aeneid. V. verſ. 722. & Aeneid. X. verſ. 819. Quid vero ſub umbrae nomine intellexerint, facile colligitur ex his, quae ad VI. Aeneid. verſ. 739. idem Servius tradidit, reliquias nempe coniunctionis illius ſeu vinculi, cuius ope animam naturae caeleſtis, totamque divinam corpori adligari, atque illi communicare crediderunt: quod Platonici *vehiculum* nuncupabant: alii ſpiritum animalem: alii denique pro libito variis nominibus deſcripſerunt; non enim putabant, animam ipſam, nullis corporeis ſenſibus circumſeptam, poſſe cruciatibus mancipari: quae quidem difficultas etiam antiquiorum Sanctorum Patruum ingenia contorſit; cuius tamen difficultatis ſolutionem facile ex Angelici Doctoris ſcriptis expetemus.

C A P V T XII.

Praeter mortuorum Manes, Latini Lares quoque coluerunt: eorum verior etymologia. Ii erant parentum umbrae, quas clariori divinitatis gradu frui credebant, quam Manes; ideo frequentior eorum cultus. Larium nomina varia. Item illorum ſigna ex indubitatis notis deprehenduntur.

ANimas mortuorum non tantum ſub Deorum Manium nomine Religionibus propriis proſecuti ſunt veteres Ethnici; ſed aliis etiam ritibus ſub nomine *Larium*. Hoc praecipue intererat, inter eorum caerimonias, ut Dii

Ma-

Manes in ſepulcris & cenotaphiis colerentur : *Lares* vero ipſa in domo, praecipue vero domeſtico in foco. Vnde Larem foci Genium adpellavit Arnobius Lib. IV. atque hinc focos ipſos coagmentatis vocibus *focularia* adpellaverunt. Superſtitionis originem indicavit Servius ad VI. Aeneid. verſ. 152. *Apud maiores, ut ſupra diximus, omnes in ſuis domibus ſepeliebantur; unde ortum eſt, ut Lares colerentur in domibus: unde etiam umbras larvas vocamus; nam Dii Penates alii ſunt*. Ex loco etiam Apuleii *de Deo Socratis*, clare colligitur, *Lares* genus eſſe animarum, melioris meriti, quae domum poſſidebant: ex Divo pariter Auguſtino, adſerente, iuxta Ethnicorum errorem, ex hominibus fieri *Lares*. Arnobius vero Lib. III. plura de iis veterum teſtimonia perpendens, ab aliis ait confundi cum Curetis, qui occultaverant Iovem: ab aliis exiſtimari Indigetes Samothracios: rurſus aërios Deos, & Heroas a quibuſdam adpellari: nec defuiſſe, *qui Larvas eſſe dicerent, quaſi quoſdam Genios defunctorum, animas mortuorum*. Poſtrema haec ſententia magis adridet, quum potiori Scriptorum conſenſu confirmata eſſe videatur. Animadvertimus enim in Proluſionibus Roncalienſibus, mortuorum animas, quas Latini Manium nomine conſecrabant, ab Etruſcis *Lartes* eſſe dictas, quibus plerumque ſepulcrales inſcriptiones dicatas fuiſſe obſervavimus. Male igitur Lares, quaſi *lauras* dictos a *vicis*, quod vicis praeeſſent, putavit Arnobius; quum eius origo ex Etruria potius acciri debuiſſet. De Etruſci vero nominis origine nonnulla in iſdem Epiſtolis Roncalienſibus tentare placuit, quibus iuvat modo coniecturam alteram producere: eſſe ſcilicet id nomen Orientalis originis, derivatumque ab ΑΡΤΕΣ, quo nomine Perſae Heroas intelligebant. Sic Stephanus in ΑΡΤΑΙΑ: -- Arteos *vocant Perſae homines priſcos*: & Heſychius in ΑΡΤΑΙΟΙ: -- Artei, *Heroes apud Perſas*. Inde procul dubio inolevit, ut Perſae, Medi, Armeni, & plerique alii Aſiae populi virorum principum nominibus, boni ominis cauſa, vocem illam praefigerent, itaque formarentur *Artabani*, *Artabazi*, *Artachaees*, ſive *Artacis*, *Artayctis*, *Artaxerxis*, *Artambanis*, *Artaphernis*, & ſimilium praeclara illa nomina, quae vel ſacrae Litterae, vel geſta cum Graecis bella celebrarunt.

Lartes igitur, quaſi *Artes* per proſtaſin, apud Etruſcos ipſi ex mortuis ſuis Heroës, ſive animae divinitate donatae adpellatae ſunt: cui quidem notioni adprime conſonant ea, quae ex Latinis de Larium natura praemiſimus. Ex piorum enim animabus quaedam eius eſſe indolis credebantur, ut certis locis conſiſtere minime paterentur. Hinc Virgilius in VI. Aeneid. has ita loquentes inducit verſ. 673.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,

Aliae vero ſive prioris ſedis amore, ſive alterius, quas fati lex, aut caſus obtuliſſet, privatas domos occupabant, quas caerimoniis ac ſacris delinitae tuebantur, ac beneficiis cumulabant: quandoque vero violatae, malis modis divexabant: quapropter Lar ille familiaris, qui in Plauti Aulularia Prologum agit, ait, ſe theſaurum ſibi in foco creditum ex familiaribus omnibus, qui de ſe male meriti eſſent, filiae illi reſervare, a quo diurnis honoribus colebatur. Genius vero, quem male aliqui cum hominis anima confundunt, ut alibi demonſtravimus, differebat a Lare; quia Genios ex Deis progenitos; Lares vero ex animabus reputabant. Rurſus Geniis menſam eſſe ſacram; Lari vero focum: iterum illum mero, hunc igne honorari conſueviſſe, tradit Lex XII. Cod. *de Pagan. ſacrif.* Par tamen ſuperſtitio utriuſque cultum adaequabat, quum apud pleroſque piaculo inſtar putaretur, cibum ſumere, niſi pauxillum ex eo in menſa Genio, in foco Lari libaretur. Praeclarum huius rei teſtimonium ſuggerit nobis Plutarchus de Fortuna Roman. qui narrat: *Ocriſiam virginem identidem primitias & libationes a regia menſa accipere, & ea ad focum perferre conſueviſſe: quae, quum aliquando pro more ea in ignem iniiceret, ſubito collabſa flamma, genitale viri membrum e foco exſtitiſſe: virginem perterritam eo oſtento, rem Tanaquilidi expoſuiſſe. Hanc, ut erat cordata ac ſapiens mulier, divinam eam rem cenſuiſſe, virginemque ſponſae in morem ornatam cum ſpectro illo concluſiſſe. Amorem hunc alii Lari, alii Vulcano adſcribunt. Inde ergo natum Servium.* Inde

——————— *cultrixque foci ſecura patella,*

dicitur a Perſio Sat. III. quem locum ita illuſtravit vetus Scholiaſtes: *Cultrix foci, quia in ea delibandae dapes poſitae, ad focum feruntur:* quas libationes ΜΙΚΡΟΝ ΚΡΕΑΣ, ideſt *parva ſegmenta*, vocaverunt. Varro Lib. IV. de L. L. *Quapropter bonum civem legibus parere, Deos colere, & in patellam dare* micron creas, ſcripſit.

Quum haec de Laribus, eorumque cultu ſcriberem, & fere iam ſub prelo eſſent, forte factum eſt, ut inventum Arimini aereum ſimulacrum remotiſſimae vetuſtatis, in manus meas inviſendum pervenerit: quod extemplo a me delineatum, miſi Cl. Gorio. Hoc exhibet Tabula XI. palmi menſuram excedit: ſolidum plane eſt, ut pleraque opera adparent, quae rudiore adhuc in Italia conflandi arte, ducta ſunt. Alterum quoque ſimplicioris opificii argumentum obſervatur in ipſa brachiorum inſertione; quum enim

in-

inexperto artifici magnum negocium faceſſeret, ſtatuam integram cum brachiis unica flatura educere, fecit adpoſititia: ex quo factum eſt, ut ſiniſtro brachio avulſo ac deperdito, cavea, cui olim inſertum erat, modo adpareat. Signum hoc haerebat multo cum plumbo columellae, eidemque infixum erat; at villicus, qui amico meo venumdedit, columellam ſubinde ſe ſe adlaturum repromittens, nuſquam adparuit.

Iuvenis in hoc ſigno repraeſentatur, qui brevi tunica indutus eſt, latiore faſcia praecinctus. In tunica, quae mammam ſiniſtram tegit, quidam veluti nodus prominet, cui reſpondent alteri duo ſub cingulo ad latera obſignati: qui licet minime pervii ſint; adtamen ad fibulas ſive corrigias continendas, quibus tunica vel toga ſuperior, iuxta regionis uſum, contineri poſſet, fuiſſe concinnatos, iidem indicio ſunt. Calcei, inſolito quodam more deorſum repandi, in pedes defluunt, atque in inferiora complicantur, nullo artificio elegantes, praeter quam in poſtica lineolis impreſſis. Calceorum ſuturam artifex demonſtravit, ut ex corio aut ſimili ſolida materia compactos fuiſſe adamuſſim exprimeret. Recentiora etiam Etruſcorum opera caligas haſce dependentibus coriaceis ſegmentis venuſtiſſime ſegmentatis atque undulatis, ut quandoque minorum ferarum capita imitentur, ſumma cum elegantia expreſſerunt. Hinc autem cognoſcimus, quanto antiquius hoc ſignum haberi debeat, in quo nullae ſculpturae illecebrae obſervantur.

Aliquem vero ex Diis in hoc ſigillo repraeſentari, ipſa columella, cui infixum erat, indicio eſt: *illarum enim mos fuit adtolli ſupra ceteros mortales*, ut ait Plinius; illis enim breviuſculae hae ſtatuae infixae, ſive in templo ſive domi eſſent, ſtabili quadam ſede, ubi venerari debuiſſent, perſtabant, hominum contrectationi minime obnoxiae.

Cui vero ex coetu Numinum haec tribuenda ſit, ex ipſo dexterae manus, quam protendit, geſtu, facile poteſt coniectari. Quum enim pro certo habeamus, Laribus *micron creas*, de quo dicebamus, ideſt parva ciborum ſegmenta, ſive offulas offerri conſueviſſe; caerimoniam hanc ipſa manu mihi videtur exprimere, quum inter pollicem & indicem, globulum quemdam contineat, eiuſdem fere proportionis, quam apud nos hodie habet nux digitis contenta. Quapropter eo geſtu de domeſticorum patera primitias illas, quibus delectaretur, ſe accipere oſtendit, ut proniori cultu homines ad eam ſuperſtitionem exhibendam invitarentur. Neque vero iis adſentiar, qui miniſtrum aliquem ſacrificantem, & thura digitis offerentem, in hoc ſimulacro fortaſſe credent; non enim

video, cur ſacrificantis imago columnae ſuffigi deberet. Non enim ſacrificantium hominum ſimulacra cultui oblata ſunt; ſed Deorum ipſorum ſacrificantium more expreſſorum, aut ſacrificia excipientium. Adcedit etiam, ex quodam Religionis inſtituto, thura tribus digitis, non duobus, in focum iactari debuiſſe: idque colligitur ex Ovidio Faſt. Lib. II. verſ. 573.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

Et Lactantius V. 19. *Nam cruciari, atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehenſa in focum iactare.*

Redeo nunc ad Larium cultum, de quibus ſermo paullo ſupra a me inſtitutus. Huc quoque ſpectat illud Ovidii Faſt. Lib. II. verſ. 636.

Et libate dapes: ut grati pignus amoris
Nutriat incinctos miſſa patella Lares.

Praeter vero ciborum primitias,

——— *unguento Lares humeſcere nigros*

dixit Prudentius contra Symmachum. Laneis quoque orbibus, ſeu mavis corollis, aut taeniis, focum cingi dixit Propertius Lib. IV. Eleg. VI.

Terque focum circa laneus orbis eat:

cui addimus picturam Etruſcam ex vaſe Muſei Etruſci Tabula CXXXI. in qua ſacrificuli ad aram adcedunt, cui fortaſſe focus imponi ſolebat, quam taenia dependentibus lemniſcis incingit. Cum hac conſonat altera fere ſimilis apud Dempſterum Tab. XXVII. In alio vero monumento, adlato in Muſeo Etruſco Tab. CLXXII. triplex ille orbis laneus focum cingit. De ſertis vero & coronis Lari donatis, teſtimonia exſtant plura apud Plautum in ipſo Aululariae Prologo, & Actu ſecundo Scaena VIII.

Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas:
Haec imponentur in foco noſtro Lari.

Praeſertim vero rore marino & myrto coronari Lares conſueviſſe, tradit Horatius Lib. III. Carminum Ode XIV. verſ. 15.

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Item

Item ſertis ſpiceis, ut canit Tibullus, ſi bene memini, Lib. I. verſ. 11.

Hic (Lar) *placatus eat, ſeu quis libaverit unam,*
Seu dederit ſancte ſpicea ſerta comae.

Farre quoque placatos tradit Iuvenalis Sat. IX. verſ. 137.

——————— *Lares, quos thure minuto,*
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Demum libis, ſeu placentis contentos fieri, tradunt ipſamet Larium ſigna, quarum in ſacris antiquitatem Graeci ad Cecropis uſque tempora referunt: qui, ut narrat Pauſanias in Arcadicis, patria liba tantum Diis obtulit: apud Romanos vero ipſe Numa illarum uſum introduxit in ſacris. Sed & inter honores praecipuos Laribus adtribui ſolitos, erant ipſae bullae pueriles, quae de illorum collo, ubi iuſta aetatis ſpatia exceſſiſſent, Laribus ipſis familiaribus ſuſpendebantur, ut probat illud Perſii Sat. V. verſ. 31.

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Imagines Larium bullatorum profert ornatiſſimus amicus meus Gorius in Tabula CI. Muſei Etruſci num. I. & II.

Quia vero, quoad fieri poteſt, propoſiti noſtri eſt Latinis Etruſca ſubnectere, anaglyphum ſepulcrale Muſei Etruſci Tab. CXXXIII. num. 2. proferimus, in quo mulieri morienti, tanquam ei, quae iam iam *Lar* futura eſſet, vir armillam adfert, tribus dependentibus bullis ornatam, eo ferme modo, quo Valentiae ſimulacrum ornatur apud Dempſterum Tab. XLI.

Lari vero alia etiam nomina adtributa fuiſſe coniicio, quum Deos quoſdam in Religionibus Romanorum fuiſſe ſciam, quos officio & nomine Lari adfines fuiſſe conſtat: *Laterculum* nempe foci Deum, quem aliqui a lateribus dictum putant; quia foci, rudiori aevo ex crudis lateribus fiebant. Ego *Laterculum*, non a lateribus; ſed quaſi diminutivum *Laris*, non aliter ac ſi dixiſſes *Larculum*, puto adpellatum. Huius Dei, cuius perrara admodum occurrit mentio, vix pauca delibavit Voſſius de Idolatr. Lib. VIII. Cap. XVII. cui ſubnectendum puto *Lateranum*, qui eiuſdem originis eſſe aperte videtur.

Quum adfirmare non dubitaverimus, Lares nil aliud fuiſſe apud Antiquos, quam mortuorum animas, ſcrupulum fortaſſe ingerunt

ea,

ea, quae de Laribus tradit Ovidius Faſt. Lib. II. Eleg. XVI. & Lactantius Firmianus de falſa Religione Lib. I. nempe ex *Lala*, quam *Laram* & *Larundam* adpellarunt, dixeruntque Menuſio geminos eſſe natos:

——— ——— qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in aede Lares.

At de publicis Laribus Compitalitiis ſeu Vialibus manifeſte ibi intelligit Ovidius, quos veluti ceterorum principes ipſi Reipublicae praefuiſſe, plurimis Scriptorum teſtimoniis commonemur, quum idem Ovidius Faſt. Lib. V. verſ. 145. adfirmaverit:

Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet; & vici Numina trina colunt.

Nos autem de privatis ſermonem inſtituimus, qui de privatorum animabus efformati ex Acheronticis myſteriis, privatis in domibus colebantur.

Antequam Lares miſſos faciamus, par eſt, ut aliquid de eorum ſimulacris, quae in foco venerabantur, proferamus: quae quum trita ubique ſint, ac in omnibus paene Muſeis obvia occurrant; non tamen ita facile diſcernuntur: quum modo pro Geniis, modo pro Penatibus uſurpari audierim: & ſi quando pro Laribus adſumuntur, nulla tamen ratione, cur ita diiudicentur, comprobatur. Signa Larium iuvenili aetate expreſſa ſunt, quae dextera pateram ſuſtinent, ſiniſtra vero una ſeu plura liba, ſuperne quandoque decuſſata, aut radiata. Habitus eorum palliolum eſt, quod e ſiniſtro humero retrorſum per dexterum femur recurrens, iterum in brachium ſiniſtrum reiicitur, exſerto dextero: quae veſtis forma Etruſcis fuit familiarior. Pallium breviuſculum eſt, nec praeter genua praetenditur: tibiae nudae ſunt, at caligulis recurrentibus fulciuntur. Sub palliolo quandoque tuniculam oſtendunt; quandoque penitus nudum pectus: quod etiam in picturis & ſculpturis Etruſcis obſervatur. Caput vero corona redimitum eſt, peculiari ritu compacta; frondes enim, ex quibus conſtat, ita in altum adſurgunt, ut coronae radiatae ſpeciem exhibeant, numero fere ſenario; neque enim maiori aut minori conſtare adhuc obſervavi. Haec coronae ratio ſpeciali religione Laribus tribuebatur, eoſque a ceteris Diis diſcernebat. Ita Feſtus in *Donaticae*: -- *Donaticae coronae dictae* (ait ille) *quod his victores in ludis donabantur, quae poſtea magnificentiae cauſa inſtitutae ſunt ſuper modum aptatum capitibus, quali amplitudine*

fiunt

ſiunt quum Lares ornantur. Quae ut exemplis facilius comprobemus, Larium ſigilla duo ex Muſeo noſtro proferimus in Tab. II. num. II. & III. cui addidimus alterum num: I. ex Maſciolio, ſatis conſpicuae magnitudinis: quorum capitibus adſurgentes illae coronae impoſitae ſunt, ut vere *modum capitis*, ut ait Feſtus, *excedant*: quae cum aliquando duriuſcule expreſſa ſint, ut radiatam coronam, iuxta ea, quae praemonuimus, imitentur: quandoque etiam, ſed minus caute, pro ſignis Apollinis uſurpata ſunt.

C A P V T XIII.

Genium quoque mortuorum veteres coluerunt. Geniorum traditio unde profecta ſit. Sub qua ſpecie in urnis effingi conſueverint. De multiplici Geniorum imagine in urnis exſculpta. Mortuis, quum pro Diis haberentur, plures Genios adminiſtros adtribuerunt.

EX eiuſdem diſciplinae traditione factum eſt, ut praeter mortuorum animas, quas rite pro meritorum modo aut *Manes* aut *Lares* adpellabant, quaedam alia Numina, in cuius tutela ipſae ſingulorum hominum animae eſſe credebantur, in ipſa ſepulcri religione colerent. Quae autem coniunctio intereſſet inter animam & Genium, ut una cum illa coleretur, explicavit Servius in VI. Aeneid. verſ. 743. Haec ille: *Quum naſcimur, duos Genios ſortimur: unus eſt, qui hortatur ad bona: alter, qui depravat ad mala. Nec incongrue dicuntur Genii; quia cum unuſquiſque genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur, quibus adſiſtentibus poſt mortem, aut adſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem*. Vt vero prioris vitae ſpatia emenſa eſſent, ſancte nempe pieque, vel e contra impie ac ſceleſte, Genii iſti poſt mortem, animam in meliora loca deducebant: imo cum ipſis corporis reliquiis morari credebantur: ſeu potius animam ipſam adverſati deſerebant, ut ait Plato in Phaedone: *Hanc quidem animam* (impiam) *omnes fugiunt, atque declinant: nec reperitur ullus, qui vel ſocius, vel dux eius fieri velit*. Inde factum eſſe putat, ut animae illorum, quas rerum ſenſibilium immoderatus amor quadam veluti corporea contagione praegravaſſet, truces atque terrificae circa ſua ſepulcrorum loca obverſarentur; unde ſenſim ſub horribili ſpecie hominibus ſe ſe obiectarent. E contra cum piorum animabus fieri putabat idem divinus Philoſophus: *Qui vero puram moderatamque*

tamque tranſegerit vitam , Deos ſocios , duceſque nactus , ibi habitat , ubi unicuique convenit . Dii iſti idem ſunt , quos Graeci *Daemonas* , Latini *Genios* adpellaverunt . De his haec etiam tradidit idem Servius in III. Aeneid. verſ. 63. *Hos* (Genios) *ne mortua quidem corpora deſerere crediderunt , conſumtiſque etiam corporibus ſepulcra inhabitare* . Quapropter Aeneas ex Anchiſes tumulo ſerpentem prodeuntem obſervans , haeſit incertus , crederet

——— *Geniumne loci , famulumve parentis* .

Horum itaque Geniorum , quos mortuorum reliquiis adſiſtere credebant , imagines frequenter in ſepulcris efformabant , ſeu alati pueri ſpecie , ardentes taedas inclinantis , ſymbolo deficientis humanae vitae , quam face de radiis Solis rutilante Prometheus argillae communicaverat. Suſtinent Genii aliquando ſepulcralem titulum , ut quos viventes amaverant , non desererent mortuos , eorum ſacra participantes . Frequenter etiam ad ſepulcri oſtia iidem ſerta ſuſpendunt : quandoque clipeos mortui imagine exculptos adtollunt : aliquando libamina effundunt , lucernas inſtruunt : denique omnia funeris officia obeunt , ut eo ſimulacro ad paria Religionis munia exhibenda ſpectatores adlicerent , ſive , ut alibi non raro innui , quia Deos & Genios habitu ſacrificantium efformarunt . Vnde vero proceſſerit , quod gemini efformarentur , non eſt in promtu definire : fortaſſe utriuſque Genii , boni nempe & deterioris , imaginem paribus lineamentis efformarunt , quod poſt bene actae vitae teſtimonium ipſe malus Genius naturam ſuam cicuraverit .

Sed fortaſſe verius de malo Genio nulla in picturis habita ratio eſt , & multiplicitas Geniorum ob ipſam divinitatis opinionem mortuis adſcripta eſt ; Deorum enim divinitatem Geniorum numero adaequabant : ſic Iovem tradidere triginta millia Geniorum in famulatu habuiſſe , qui per terras undequaque vagantes hominum opera obſervarent . Sic Heſiodus Oper. & Dier. verſ. 250.

Triginta millia ſunt in terra multorum alumna
Dii Iovis miniſtri , cuſtodes mortalium omnium ,
Qui ſane & iudicia obſervant , & prava opera ,
Aërem induti , paſſim oberrantes per terram .

Itaque Planetis omnibus peculiarem Geniorum multitudinem adtribuerunt : quod ex Platone & Proclo conſtat in Libro de Anima & Daemone : imo Diis paene omnibus adſcripſerunt , ut marmora

ſcri-

ſcripta atque ſculpta abunde teſtantur, in quibus Deorum ſuorum ſymbolis decorati, eius divinitatis imaginem ſtudiis reſpondentibus praeludere videntur. Sic in noſtris lucernis, Apollineus Genius agit Cytharoedum, Minervius aegida quaſſat & galeam, Martialis Gradivum ſimulat.

Ratio, cur Diis ii adminiſtri adſcriberentur, ea fuit, quia Deorum maieſtatem, quam Poëtae fabulis deturparunt, minime poſſe nobis inclinari ſapientiores crederunt, neque cum hominibus communicare, niſi intermediae quaedam poteſtates, quas a Graecis Daemonas aut Heroës, a Latinis Genios adpellatos diximus, diſcrepantes adeo naturas ſociarent: quique ad nidorem ſacrificiorum adacti, vota hominum Diis renunciarent: rurſuſque ad ima reduces, divinae beneficentiae munera hominibus referrent, nec ſine illorum ope divina illa ſpecies intellectui mortalium panderetur. Audiamus rurſum Platonem in Convivio: *Omnis natura Daemonum inter mortales Deoſve eſt media. Quam vim habet? Interpretatur, inquit, & traducit humana ad Deos, divina ad homines: horum quidem preces & ſacrificia; illorum vero praecepta, ſacroſque ſolemnes, inſtitutiones & ordinem. In utroque medio conſtituta totum complet, ut univerſum ſecum ipſo tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit, Sacerdotumque diligentia circa ſacrificia, expiationeſque & incantationes, & divinationem omnem, atque magiam. Deus quidem homini non miſcetur; ſed per id medium commercium omne, atque colloquium inter Deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis, & dormientibus.* Quapropter non eſt cur miremur, ſi mortuorum animabus inter Divos adſcriptis, ut veteres Acherontici promittebant, Genii praecipui addicerentur, atque illorum imagines efformarentur in tumulis, eo potiſſimum geſtu, ut piorum in mortuos officia in ſemetipſos exprimerent, quorum officium erat recentibus Divis vivorum officia renunciare, atque exponere quae circa eorum ſepulcra pietatis officia impenderentur, atque inde, ſi quid boni a Divis ipſis proficiſci poterat, viventibus conferrent.

CAPVT XIV.

Geniae feminarum, Iunones dictae. Cum Iunone Iovis nihil commune habuerunt. Genii etymon. Expenduntur plurima Etruſca Monumenta, in quibus Geniae expreſſae ſunt, varia officia exhibentes.

MOnumenta Latinorum Genios mares conſtantiſſime ſemper exhibuerunt: Etruſca vero & Genios & Genias efformarunt. Quum enim Deos nullius ſexus eſſe putarent, atque pro religionum placito modo maſculos, modo feminas effingerent, eadem ſuppetebat libertas, ut Genios etiam & maſculos & feminas, ut magis commodum erat, exprimerent: in quo ſuperſtitionis genere Etruſci noſtri Graecos ſecuti ſunt, apud quos non tantum Genios & Genias Deorum famulas atque miniſtras obſervamus; ſed illum etiam rerum omnium Principem, atque Geniorum omnium anteſignanum Daemonem, quem omnium generatorem adpellavit Orphaeus, ſub humana quidem figura, ſed ambiguo ſexu natum eſſe dixit Pauſanias in Achaicis, nomenque illi eſſe *Agdeſtin*. Si tamen in hac Religionis promiſcuitate regula ulla obſervata eſt, ea potiſſimum fuit, ut Genii viris, Geniae vero mulieribus adtribuerentur: quas Latini magis uſitato nomine *Iunones* nuncupabant, quarum unam ex inſigni ſigillo palmaris menſurae delineatam damus ex Muſeo Maſciolio Tabula XII. Harum quaelibet mulier ſuam peculiarem propriamque obtinebat, non ſecus ac de viris dictum eſt; quapropter Iuvenalis, ſervulorum carpens adſentationem, qui per Genium dominae iurare ſolebant, ait:

Et per Iunonem dominae iurante miniſtro.

Iunones iſtae nihil commune habuerunt cum Iunone altera, quae Iovis putabatur & ſoror & coniux, niſi nomen; quum revera nil niſi Geniae eſſent. Alibi innuimus, hanc nominum promiſcuitatem, quae tantum nobis faceſſit negotium, ab eo Religionis arcano proceſſiſſe, quo cautum erat, ut vera Deorum nomina minime in vulgus propalarentur: quaeque in uſu hominum erant, nihil fere importarent, niſi generica quaedam adtributa, ſub quorum ſignificatione, modo unum, modo alterum ex Diis intelligebant. Credo etiam, pleraque ex iis nominibus, quia minime Latina forent, ob verae originis ignorationem ſenſim fuiſſe deformata, ut vix ullum antiqui thematis veſtigium retineant.

Haec

Haec calamitas, ni valde fallor, Genii nomen ab antiqua pronunciatione corrupit, praeſertim, quia littera G antiquiores carebant. Ego (ſicuti Ianum & Ianam ex veterum Indigitamentis reſcivimus, & Martem & Marteam, & Deum Lacium & Deam Laciam, & Salum & Salaciam, & Larem & Laram, & alia ſexcenta, in quibus eiuſdem originis nomen, & maſculo & feminae adcommodatum obſervamus) ſubſpicor & *Iunum* & *Iunonem* pro Genio & Genia ſignificanda uſurpatum: cui ſubſpicioni fundamentum aliquod tribuit Dionyſius Halicarnaſſeus, qui Lib. III. Horatii expiationem deſcribens, ait, erectas fuiſſe duas aras, unam Iunoni Sororiae, alteram vero patrio cuidam Genio, cui nomen *Ianus*, Δαίμονος Ιανοῦ. Ianum intelligi heic poſſe non adducor ut credam; neque enim Dionyſius, Romanarum rerum peritiſſimus, Ianum ab iis venerari inter potiſſimos Deos, ignorabat, a quo ſacrorum omnium, & precum exordia ſumebantur, ut illum in Daemonum coetum ablegaret: docti Γενιοῦ legere mallent: quod ego pro captu meo retinendum putarem, neque ex hoc loco abiiciendum; quia nomine minus uſitato in tam antiqua re enarranda uſus ſit, eſſe ducerem: & ſi qua Codicibus ab amanuenſibus iniuria facta eſt, *Iunum* in *Ianum* hi commutarunt. Quapropter aerea ſigilla, mulierem ſtolatam referentia, pateram & placentulas continentia, quae domi a mulieribus colebantur, ea qua viri Genios religione, Iunonum quidem ſimulacra ſunt; ſed ex his Iunonibus, quarum ſingulae ſingulis feminis praeſidebant, & quas novo forte, ſed proprioris ſignificationis vocabulo, Genias placuit nuncupare. At de his peculiari Diſſertatione nobis alibi propoſuimus pertractandum.

In ſepulcris vero, ut innuimus, nunquam Genias Latini efformarunt: e contra paſſim Etruſci: nec in feminarum tantum caſibus exprimendis; ſed in virorum etiam uſurparunt: qua cultus differentia praemoniti, Etruſca opera a Latinis ſegregamus. Mirum vero, quot formis illi Genias ſuas expreſſerint; modo enim ſecundae & faventes alumnos ſuos tuentur & fovent, ut in Muſeo Etruſco Tabula CXXIII. & in Dempſteriana Tabula XXV. in qua ipſa Genia fune coërcet monſtrum illud, quod lupino capite e puteo prodiens, reliqua ſui parte in illo occulitur, & armatum virum adgredi conatur, ceteris proſtratis. Marmor iſtud, ignotae adhuc ſignificationis, explicamus ex Pauſaniae loco in Eliacorum poſteriore Cap. VI. ubi Lybantis Genium deſcribit, qui in Temeſſenſes miſerrime graſſabatur: *Colore* (ait) *is fuit vehementer atro, omnique cetera ſpecie maxime formidabilis: amictus, lupi pellis erat. Hunc ab Euthymo ſuperatum, in mari ſe ſe praecipitem demerſiſſe, memorant.* In hoc vero marmore

more lupinum illud tegumentum ita caput protegit, ut pro ſolido lupino capite a pictore delineatum ſit.

Geniae iſtae, quae adeo obviae occurrunt in Etruſcorum Cinerariis, frequenter malleo, haſta, & machaera inſtructae, ſepulcri dignitatem tuentur, & condito cineri maieſtatem & religionem conciliant. Horum exempla videre eſt in parergis Operis Dempſteriani, rurſuſque in Tabulis VII. & LXXXIV. At quandoque hae concitatae & furentes interſunt certaminibus, pugnatores excitant, imo & in necem impellunt: ex quibus clare deſumitur utriuſque Genii & boni & mali imagines in his ſaxis efformari ſolitas fuiſſe. Hinc eſt, quod doctiſſimi viri ſub uno eodemque habitu, iiſdemque lineamentis, & Genias & Furias deſignari ſubſpicati ſunt. In aliis demum ſculpturis Geniae iſtae alia obeunt officia, quibus aut luctus exprimitur, aut reverentia conciliatur: vel denique proprium aliquod pietatis officium deſignatur, quibus ſuam cum mortuo coniunctionem, atque adfinitatem manifeſtiſſime exprimunt; ubi enim mortuos ipſos in Divos relatos eſſe credebant, ſubditos Genios in famulatu habere cenſuerunt, quorum intermedia poteſtate ſacrificiorum officia ſuſciperent, & faventes precantibus praeſto eſſent.

CAPVT XV.

Inſcriptionum in Columellis adpoſitarum explicationes. Operis concluſio.

ARgumentum adſcititiae divinitatis, quae nutu hominum mortuos occupabat, ingens quidem, varium ac perdifficile, qua veterum ſilentio, qua temporis diuturnitate involutum, vix paucis adtigimus, ut aliquid de uſu Columellae noſtrae ſepulcralis delibaremus. Reſtat, ut ipſum marmor adlatum in Tab. XI. n. 1. aliquot obſervationibus proſequamur. Lubet enim epigraphen, Etruſcis litteris exaratam, explanare pro viribus, nec ſilentio praetermittere partem hanc domeſtici Cimelii potiſſimam planeque nobiliorem. Quod vero in lucubratiunculis Roncalienſibus, atque in Diſſertatione de Columella Alfania mox adferenda indicavimus, heic opportune iterum in mentem revocamus, videlicet nihil in his inſcribi conſueviſſe, niſi nomina mortuorum, atque ea, quibus ornabantur officia ac dignitates. Vox A+IИ+V+ -- TVTNITA nomen defunctae feminae ſonare puto. Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. X.

Ta-

Tanitiam quendam memorat, cuius liberalitas in Accam Laurentiam nominis diuturnitatem ei comparavit. Vocum diſcrimen vix conſiderabile eſt in tantis Etruſci dialecti diſcriminibus, & pro multitudine regionum, earumque varietate.

Huic adfinia nomina *Tutnaſa*, *Tutnui*, *Tutnal* ſuggerunt nobis monumenta Peruſiae apud Marchionem de Pinna, & apud Dempſterum Tabula LIII. & Schedae V. C. Gabrielis Gabrielii. FASTI, ı+ƨA8, in caſu obliquo, ut puto, nomen patris eſt: quanquam ut plurimum, ubi feminarum nominibus adponitur, viri potius, quam patris ſoleat indicare. Sic in Ollis ſepulcri *Cuelniorum* Montis Aperti mentio fit mulieris, quae ex Metellorum gente prognata, in Cuelniam familiam connubio adſcita, adpellatur:

THANA : METLNE : CVELNE :

Et *Tirpſinia* illa *Caimlinio* nupta, in Cinerario apud Dempſterum Tabula LXXXVI. vocatur:

THANA : TIRPSINIA : CAIMLINIS.

& huiuſmodi plura, quae in Epiſtolis Roncalienſibus expendi.

Faſti nomen ı+ƨA8, apud Etruſcos familiare fuit, & fortaſſe *Fauſto* vel *Feſto* Latinorum reſpondet: ſic *Faſtum*, *Rufrum*, & *Faſtum Sentinitatem*, & alios in Cinerariis obſervavimus; imo & *Fauſtolum* nutritorem Romuli ſuggerit nobis Romana Hiſtoria, quem in Tuſcorum finibus ſatum ea aetate, qua Etruſcorum opes tenebant Italiam univerſam, non multum difformi dialecto nuncupatum fuiſſe reor: atque inde fortaſſe Romani *faſtos*, & *nefaſtos* cum ceteris religioſi ritus deſumſerunt; utrumque tamen, ut pleraque alia, a Graeco φάω, quod eſt *dicere*, derivatum eſt. Si mavis *Faſtum* noſtrum *Feſto* reſpondere, per facilem protheſin deduces ex eodem fonte, apud quem ΕΣΤΙΑΝ eſt *feſtum diem celebrare*. In hoc vero marmore, praeter parentis nomen, aliud ſubſequitur, intermedia tantum particula contracta Ǝꓘ. VE, quam in Roncalienſibus Animadverſionibus titulum aliquem officii vel dignitatis ſignificare conieci. Proxime ſequitur ƎЯAƆ⅃Ǝ. ELCARE, cui titulus ille adtribuitur. In dedicatione veteris Etruſci ſimulacri, quod a nobis ibidem expenſum eſt, nomen proprium ELCHINES deprehenditur. Ex duobus nominibus, quae feminam ſubſequuntur, primum ad patrem pertinet, poſtremum ad virum. Pervulgata eſt inſcriptio CAECILIAE Q. CRETICI F. METELLAE CRASSI, & alia huiuſmodi

trita

trita ac communia. Dictio VΑϯƎƎƎΛVΑ : *Aulevetru*, ni fallor, ΑΥΛΗΤΡΙΣ Graecorum eſt, quae vox mulierem tibicinam, cuiuſmodi Etruſci in ſacris utebantur, ut marmora oſtendunt, ſignificat. Quod poſtremum ſuccedit ΛΑϽVΑƎ : *Erucal*, idem eſt, ac ſi dixeris *Iunonium*, ſive aedem Iunonis. Eius ſuperſtitioni ſumme addictos fuiſſe Peruſinos, e quorum finibus hoc marmor prodiit, evincit Appianus Alexandrinus Lib. V. de Bel. civ. ubi habetur, quod *Peruſini Etruſco more Iunonem colebant*. ΛΑϽ : KAL vero ΚΑΛΙΑΣ eſt, nempe *domus*, vox uſurpata frequenter & pro templo, ut apud Plutarchum in Camillo, apud quem legitur ΚΑΛΙΑΔΑ ΤΟΥ ΑΡΕΟΣ, *templum Martis*. Haec dicendi forma Hebraeis quoque communis eſt, qui domum Dei pro templo frequenter ſumunt: ſic in Pſalmo CXXXIII. verſ. I. *In atriis* בית *domus Dei noſtri* : & Pſal. CXXXIV. verſ. I. *Qui ſtatis* בבית *in domo Domini* : & Hieremiae Cap. XIX. verſ. 14. בית *in atrio domus Domini*.

OPERIS CONCLVSIO

SIVE COROLLARIVM

In quo plures Columellae ſepulcrales vetuſtiſſimae, Etruſcis litteris inſculptae, nunc primum adferuntur & explicantur.

QVantum debeamus Gorio viro doctiſſimo, qui Etruſcorum monumentorum ingentem & cumulatiſſimam hanc ſeriem illuſtravit, & publico bono in lucem protulit, quoad vixero ſummis laudibus extollere minime deſinam. Nec dubito, quatuordecim ab hinc ſaeculis paene innumera Etruſcae nationis monumenta, nullo vindice, effoſſa fuiſſe, quorum pretium quum ignoraretur, nec litterae intelligerentur, rudium hominum iniuria & oſcitantia peſſumdata, & frequenter in calcem redacta periere. Maximae huiuſmodi iacturae & exſcidii teſtes mihi ſunt diſertiſſimi viri Comes Gabriel Gabrielius, & Felix Ciattius, qui Etruſcae magnificentiae illuſtres reliquias, quae eorum aetate adhuc exſtabant, ab oblivione atque interitu vindicata, litteris mandarunt: quae tamen hodie a nobis diligenter inveſtigata, nec inventa,

venta, penitus intercidiſſe dolemus. Huiuſce interitus miſerandaeque cladis & ego ipſe teſtis ſum, qui annum agens decimum ſextum, quum Peruſiae ſtudiorum gratia commorarer, multa huiuſcemodi in hortulis ſuburbanis obſervavi, atque, iam tunc Genio meo in haec ſtudia prorumpente, deſcripſi: quae quidem hodie a me conquiſita, minime reperiri nunciatum eſt. Fortaſſe haud ultra aetatem noſtram, quae nunc frequenter effodiuntur Etruſca monumenta perdurarent, temporum calamitate, atque hominum odio mutuo decertante in his Philologicae eruditionis ſubſidiis evertendis, ni virorum doctorum auxiliatrices manus adcederent, ac ruinae praeſto eſſent: quorum praeſidio tanta eruditioni antiquariae, praeſertim Etruſcae, adceſſio facta eſt, ad ea quae ad hoc tempus vel latuere, vel ignorata ſunt, excitatis ingeniis noſtris, ut redivivam Etruſcarum Antiquitatum ſcientiam, non ſine ſumma voluptate, in hac hodierna ſtudiorum luce ſpectamus. Gratias igitur ſolerti huius clariſſimi Viri providentiae maximas rependent poſteri, quique impenſius hac tempeſtate colunt Antiquariam ſcientiam, omnigenae eruditionis theſaurum; nam quum heic conſtitiſſem, meiſque lucubrationibus finem impoſuiſſem, ad alias ſepulcrales Columellas, Etruſcis litteris inſculptas, ſacriſque Acheronticis dedicatas, de quibus hac ipſa occaſione diſſeruimus, & non pauca pateſecimus, illuſtrandas, licet multis diſtentum mei muneris curis, peramice inlexit excitavitque, ne quid huic meo in Acherontica Etruſcorum monumenta Commentario deeſſet: praeſertim vero, quum eruditae Vetuſtatis cultoribus ea penitus ignota, eorumdemque in ſacris Manium *Deorum* uſus plane a nemine antea inveſtigatus fuiſſet.

Sepulcralium Columellarum ſive Cipporum, agmen primum hi ducunt, qui aequis hinc inde faciebus adſurgunt in craſſioris tabulae ſpeciem ſuperne arcuatae: qui mos Latinorum uſitatiſſimus poſtea fuit. Hi quoque religioſo in loco, in quo defuncti corpus humabatur, infigebantur: nec inde ſine piaculo dimoveri poterant. In his pariter, praeter nomina dumtaxat mortuorum, interdum etiam eorum officia & dignitates, nil aliud notabatur inſcribebaturque. Exordiamur a ſepulcralibus Cippis, quorum ſchemata habes in Tabula XIV. Hos e faucibus temporis eripuit egregius Antiquitatum ſcrutator Comes Gabrielius, Patricius Eugubinus, quos, quum ad Gorium mihi amiciſſimum miſiſſem ex eius Schedis exſcriptos, ad me iterum Gorius remiſit, ut pleno huic Syntagmati adiungerem, additis nonnullis meis obſervationibus. In eo igitur Peruſino, qui in eadem Tabula XIV. num. 1. obtinet, ita ſcriptum eſt: ɑꟼɔIAM VI: hoc eſt: *Iu Maiker*.

Per-

Pertinet haec inſcriptio ad gentem Iuliam, quae Peruſiae & Tuderti magnopere claruit, quorum monumentis ſub Imperatoribus Auguſtis nil in ea urbe frequentius. Hinc edocemur, gentem illam indigenam fuiſſe, non advenam, neque poſt Coloniae deductionem adſcitam. De his tamen plura adnotavimus in Commentariis ad marmorae iuſdem urbis. *Maicer* pro *Macer*, cuius cognominis ſignificationem paene Etruſcam eſſe, in iiſdem Notis animadvertimus. In alio Cippo legitur:

𐌕𐌄𐌕𐌀𐌍 hoc eſt *Tetan*
𐌕𐌄𐌕𐌀 *Teta*
𐌕𐌖𐌋𐌀𐌓 *Tular*

In operculo Oſſuarii cuiuſdam, a Cl. Gabrielio deſcripti, legitur *Tetim*. Praeterea in Tabulis CXCII. CXCIII. CXCIV. & CXCV. Muſei Etruſci occurrit nomen 𐌕𐌄𐌕𐌉𐌍𐌀: *Tetina*; alibi vero 𐌕𐌄𐌕𐌉𐌍𐌀𐌕𐌀: *Tetinata*, & ex his plura ſimilia, qnae ad gentem *Tetiniam*, apud Etruſcos, ut videtur, ſatis frequentem, videntur pertinere. Fortaſſe *Tetan* ex Titi praenomine corruptum eſt, quod etiam frequenter in plures formas inflexum reperitur, ut *Tetum* pro *Teito*, & *Tito* dicerent. Itaque *Tetum*, *Teti* filium, *Tullum* in hac Etruſca inſcriptione deprehendo. Legimus *Tular Ramnal*, ſive *Tullum Ramnetem* in ſaxo ſepulcrali in Diſſertatione Praeſtantiſſimi Bonarrotii apud Dempſterum §. 44. pag. 95. pariterque in altera inſcriptione, quam in rupe exſciſam primus omnium notavit, pervulgavitque Coſmus de Arena in Hiſtoria Marchionum Tuſciae pag. 10. & Bonarrotius loco ſupraſcripto retulit, quae haec habet:

𐌕𐌖𐌋𐌀𐌓. 𐌌𐌐. 𐌀. 𐌅𐌉𐌔. 𐌅𐌋: *Tular. Mp. A. Vis. Vl.*
𐌀𐌖. 𐌂𐌖𐌓𐌂𐌋𐌉 *Au. Kurkli.*

Notanda eſt hoc loci nota compendiaria *Mp.* quae forte idem ſignificat, quod apud Latinos *Marcipor*. Litera A ſolitaria ex his, quae alibi demonſtravimus, officium indicat *Aulemi*. *Vis* plerumque a *vis*, & a *vils*, & ab *vene*, ſignificat *vivere* apud Etruſcos: & ei voci plerumque ſubnectuntur notae annorum numerales. *Aulemius Kurklus*, ſive *Curculus*, *Corculus*, ille fortaſſe eſt, qui ſepulturae officium praeſtitit memorato ſuperius Tullo. Optimum factu viſum eſt Cl. Gorio hunc ipſum ingentem lapidem adferre in eadem Tab. XIV. num. III. tum etiam quia ipſe vidit, menſuſque eſt, & exſtat in praediis Ampliſſimi Senatoris Ferrantis Capponii, Comitis & Equi-

Equitis, Patricii Florentini. Locus, in quo ingens hoc ſaxum tanquam e rupe exſciſum ad hoc tempus perennat, litteris tamen hodie aliquantulum labefactatis & fatiſcentibus, eſt fere in vertice praealti collis, non vero ad eius crepidinem, ut notat Coſmus de Arena, in Paroecia S. Andreae ad Morgianum in Plebanatu Antellae (qui quidem locus adpellatur vulgo *Boſco di Marcignano*) Romanos pedes fere XV. aequat longitudine ſua: altitudine vero Romanos pedes fere VI. Porro litterae uncias ſex eiuſdem pedis altitudine adaequant. Vidit etiam, & accuratam huius ſaxi deſcriptionem dedit Gorio noſtro V. C. Bindus Simon Perutius, Patricius Florentinus, & Academicus Etruſcus, ut idem Gorius me monuit. Inſigne hoc vetuſtatis monumentum, quod in hac Acheronticorum lapidum ſerie locum haud inutiliter habere poteſt, diligenter ex archetypo delineatum habes in Tabula XV. num. II.

In Nobilium Gaddiorum Hortis Florentiae alter Cippus reperitur ex arenario lapide, cuius uſus frequentior apud Faeſulanos, hac quidem inſcriptione inſignitus, ut vides in eadem Tab. XV. num. I.

IVϘVƎM . ϘAↃVϮ	*Tular Mvurui.*
Ↄ . MAИIƧ1A1 . VA	*Au. Papſinam. L*
Ↄ . MIИƧϘVↃ . A	*A. Curſnim. L*

Iterum heic occurrit nomen ſeu agnomen *Tulli*; apud Latinos enim *Tullius* gentis nomen eſt, in plurima cognomina diſtinctum *Montanorum*, *Longorum* &c. *Tullus* vero cognomen eſt, ut in *Metilia*: quinimo praenomen eſt, ominis cauſa dictum, quaſi *tollendus*, o litera in v converſa, ut adnotat Sigonius. An vero ϘAↃVϮ *Tular* hoc noſtrum uni potius, quam alteri tribuendum ſit, prorſus neſcio; quum inflexiones Etruſcorum nominum adhuc penitus lateant: praecipue cum ſubſequatur ..IVϘVƎM: *Mvuruius*, quod reponendum ſit, nec ne, inter nomina vel inter cognomina, ignoramus; vehementior tamen ſubſcipio nos urget, ut nomen familiae iudicemus, *Tular* vero praenomen; ſubſequuntur enim praenomina & cognomina duorum liberorum, qui tumulum patri exſtruxerunt, intermiſſo familiae nomine, quod etiam Latini in more poſitum habuerunt, ut ſenſus huiuſce eximiae inſcriptionis ſit:

TVLLO MVRVIO
AVLVS PAPSINA FILIVS
AVLVS CVRSNIMVS FILIVS

Nota illa ſingularis ⅃ . *liberum* ſeu *filium* apud Etruſcos deſignat, ut alibi obſervabam, argumento exemploque inſcriptionis Piſaurenſis, & aliarum inſuper Etruſcarum. Inter praenomina vero AV & A, quae in uno lapide occurrunt, diſcrimen aliquod intercedere exiſtimo, ſicut in Latinis praenominibus T & TI *Titi* & *Tiberii*, quae ab ipſo uſu, diſcriminis cauſa, introducta ſunt. Etruſca monumenta habent . ⅃VA . VA *Av. Aul.* & IMƎ⅃VA *Aulemi:* quae forte unum idemque ſignificant Magiſtratuum officium ac dignitatem: ubi vero A ſolitaria occurrit, fortaſſe ſimplex praenomen eſt. At haec indicaſſe ſufficiat, ut viri docti diligenti ſtudio ac meditatione difficultatem hanc felicius ſuperent.

His expoſitis, ecce iterum Cl. Gorius per epiſtolam me monet, alias non paucas adhuc exſtare, a ſe vel inventas vel conquiſitas, conditaſque in Muſeo ſuo Columellas ſepulcrales: rogatque ut de his quid ego ſentiam, & quae ſenſerim, cito citius declarem: cui quidem amiciſſimi viri officio ut morem geram, quid de illis cenſeam lubentiſſime proferam. Exhibetur in Tabula XVI. num. I. ſumma columnae pars, quae in ſphaeram deſinit. Hanc ipſe Gorius vidit, deſcripſitque Cluſii apud Nobiles Puccios: idemque me monuit, huic ſimiles, ſed ſine inſcriptione, & quidem non paucas, columellas ſe vidiſſe Volaterris, ex Etruſcis Hypogaeis nuper erutas: itemque alias ſe obſervaſſe referentes ovum baſi impoſitum, vel etiam ad metae ſpeciem e marmore tophaceo exſciſas. In Cluſina igitur inſcriptionem Etruſcam ſphaere inſculptam, ita interpretor:

: ⅃AHƆqA+ HOA AƧAAAꟼ : OA

Ath : Pavaſa Athn Tarknal :

Vox *Tarknal* ſive *Tarcnal* in aliis monumentis : ⅃AHƆqAV: *Varknal* eſt, ut in marmoreo Peruſino Cinerario, relato inter parerga Dempſteriana Tom. I. pag. 102. ſcriptumque in eo eſt:

: ⅃AHƆqAV . I+AHI+HƆƧ . I+ƧA8

Faſti . Suntinati . Varcknal :

In alio Cinerario apud Felicem Ciattium Peruſiae Etruſcae Lib. I. pag. 33. legitur:

• HA⅃Ɔ⅃AV qIƎ . Ǝ⅃AO • MqAI⅃qqV+ • IOqA⅃

Larthi Turrliarm Thale Eir Valklan.

At

At in Muſeo Etruſco Tabula CXLIX. in Vrna Peruſina, quae exſtat in aedibus Nobilium Criſpoldiorum, inſcriptio ita ſe habet:

ɅAИqAƎ : IƎИV8A : ИƧAH

Haſa : Aſunei : Varnal

Vtri tamen lectioni fidendum ſit, plane neſcio: unum vero pro certo hinc deſumimus, Etruſcam linguam vel pluribus dialectis abundaſſe, vel caute pedem figendum eſſe, nec omnino pictoribus ſculptoribuſque, qui haec monumenta exararunt, utpote minus cultis viris in tota republica, credendum eſſe: neque tanquam arcanum aliquid cenſendas eas voces, in quibus frequentiſſimae vocalium omiſſiones eas plerumque minime effabiles reddunt. Illud vero circa huius vocis ſignificationem notandum eſt, eam ſemper in fine ſepulcralium epitaphiorum reperiri, quod etiam in hac Cluſina obſervatur: eiuſque in ɅA *al* deſinentiam genitivi caſus indicium eſſe, non ſemel in meis Roncalienſibus Epiſtolis perſpicue oſtendi. Forte *Varna* Etruſcorum, Latinorum *Vernae* reſpondet, quod expendent viri eruditi. Haec tamen praemiſimus, ut in medium adlatis exemplis ſtatueremus, inſcriptionem hanc Cluſinam inter ſepulcrales recenſendam eſſe.

Particula compendiaria OA: *Ath*, Etruſci praenominis, ſive nominis magis noti indicium eſt. Vrna inter parerga Dempſteriana Tom. I. pag. 235. habet: VI+A: *Atiu:* & in Tabula LXXXII. num. 2. item legitur: VI+A: *Atiu:* ita quoque in Tab. LI. rurſum: ƎIA+A: *Atate* in Tab. LXXXV. num. 2. quae & ad *Attiam* familiam commode referri poſſunt. Rurſus in Tabula LXXX. inter nomina legitur: ɅAIИVOA: *Athunial*, quod forte ſpectat ad *Antoniam*. Sed ne longius a Cluſio, regali Etruſcorum ſede, in qua praeclarum hoc monumentum erutum fuiſſe conſtat, longius abſcedamus, alterum exemplum proferamus ex alio Cinerario, quod olim in ea civitate exſtabat ad Divae Muſtiolae, & luſtrali aquae continendae inſerviebat, uti Schedae Gabrielianae teſtantur.

AƧIɅA ИI+Ǝ+ IИ+ИqA AIИ+Ǝ+ : OA

Ath : Tetnia Arntni Tetin Aliſa.

Ex quibus intelligimus, quod in eo Cinerario ſepulta fuerit *Athia Tetinia filia Arnthalis Tetinii bonae memoriae*. *Arnthal* vero militare officium fuiſſe conieci in iiſdem Roncalienſibus. Heic vero non inveriſimili coniectura indicatam obſervamus *Athiam Pavaſam*, *Athii*


Vernam, ex illis, quae in familiam quodammodo adſcitae, communi nomine donabantur, eoque utebantur, ut Romanorum liberti conſueverunt.

Omnium maxima in eadem Tabula XV. num. I. nunc primum prodit marmorea Columna, quae Romanos pedes ſeptem excedit, quamque ſepulcralem eſſe minime dubitandum eſt. Exſtat haec in Muſeo Goriano, ex dono Nobiliſſimi Ornatiſſimique Viri Ioannis Altoviti Patricii Florentini: cuius epigraphe, quae βουστροφεδὸν exprimit, quum aliquot in locis iniuria vetuſtatis labefactata ſit, ope autographarum Schedarum Cl. Ioannis Baptiſtae Donii, qui eam octoginta fere ab hinc annis in Aedibus Nobilium Valoriorum exſcripſerat, integritati ſuae reſtituta a Gorio eſt.



Vbi pp Amnia Vilempna Lua Lavupa Viriami.

Voces in ſaxo minime diſtinctas, quae nota eſt maximae remotaeque vetuſtatis, ſeiunxi, fretus auctoritate & exemplo aliarum veterum Etruſcarum inſcriptionum, in quibus nonnullae ex iis, quae heic obſervantur minimo diſcrimine occurrunt. Praenomen aut nomen eſt ꓲHꓱ: *Vbi* ſeu *Vei*. Famoſa illa Vrna Peruſina, cuius ferale emblema ſuperius explicavi Cap. XIV. pag. 59. quae adſertur in Dempſteriano Opere Tabula XXV. haec habet:



Vei : Tnem : Veſim : Arnthial

Rurſus in eadem Tabula XV. num. II. Cippus ſepulcralis, planis faciebus arcuatus, quem nobis ſervavit Clariſſimi Bonarrotii diligentia in ſuis Schedis, e quibus autographum ipſum accepit Gorius, exſtabat ante annum MDCC. prope Panzanum Etruriae oppidum ad duo milliaria, in loco nuncupato *Muro a Sala*; ſed hominum incuria, qui invenerunt, paullo poſt in ſubſtructionibus iterum ſepultus, ut ferunt, hodie non exſtat. In eo haec adnotata Etruſcis litteris, cuius voces tria puncta, quod notatu dignum, diſpeſcunt ac diſtinguunt:



Hoc eſt: *Mi Larum Ariamam Anammem Clan.*

For-

Formula ıм : *Mi*, heic quoque obſervanda in principio inſcriptionis, quae, ut in Roncalienſibus (quas emendatiores auctioreſque tradam edendas: & hoc munus ſibi poſtulat noſter Gorius) dictum eſt, conſecrationem & dedicationem deſignat. At vero *Mi Larum* idem mihi ſignificat ac *Sacrum Laribus* ſeu *Manibus*. Nomen *Arianam* proprium videtur, quod Latinorum *Ariis* reſpondet. *Anammem* Latine *Anemium* diceremus. In Ollis Montis Aperti occurrit titulus: *Larth Keenle Fulnal Velia Anam*. Rurſus in ſepulcrali Cippo, qui anaglypho ornatur apud Dempſterum Tabula LXXII. num. 2. *Larthi Ammem* ſcriptum eſt, de quo infra iterum ſermo. Vox *Clan* ſolemnis eſt in fine aliarum Inſcriptionum, quas vide in Muſeo Etruſco Tabula CXXXVI. & apud Dempſterum LXVIII. cuius tamen ſenſum prodere in promtu non eſt.

Geminata littera ⅂⅂. *pp* ad formularum compendia, ſive notas pertinet: & L L Latinarum Inſcriptionum reſpondet: & *Larthis* ſeu *Lartis Leiberum*, nempe *filium* exprimit, uti fortaſſe non infeliciter alibi explicavi. Nomen proprium eſt: AIИMA: & ad *Anniam* familiam referri debet, quo nil notius ac frequentius in Latinis vetuſtis ſepulcris: AM⅂MEИIЯ: *Vilempna* cognominis vicem locumque tenere coniicio. De vocula AV⅃ *lua*, quae ſequitur, quid dicam, in promtu non eſt. De A⅂VE⅃: *lvupa* vero, quae V⅂V⅃ in plerique Etruſcis Cinerariis legitur, non abs re coniici poteſt *ſepulcrum* indicare, ut in meis Roncalienſibus adlatis exemplis monui. Poſtrema vox ſupereſt ...IMAIЯIЯ: *Viriami*, quod nomen pariter proprium ſonare videtur. Antequam Acheronticum hoc ſaxum, multis nominibus inſigne, miſſum faciamus, illud, quod ſupra tetigeram, adnotandum eſt, poſtremam illam vocem βουστροφεδὸν, more nempe bovis aratoris ſcriptam eſſe, quem in aliis quoque Etruſcis monumentis alibi obſervavi. In Latinis vero lapidibus vix antiquiſſimi huiuſce uſus exemplum invenies, niſi forte in uno ex illis CXXV. pervetuſtis Vaſculis inſcriptis, quae elapſis annis in Vinea S. Caeſarii Romae effoſſa atque inventa ſunt, quae quidem elegantiſſimo Commentario illuſtravit Vir Clariſſimus aeque ac Religioſiſſimus P. Ioannes Franciſcus Baldinius: quaeque edita ſunt in Vol. III. Diſſertationum Academicorum Etruſcorum Cortonenſium. Inter ea haec ſub num. LXX. inſcriptio occurrit:

CACILIA
AИIA . A . D . K . IAИ .
AIJIƎAƆ

Quae

Quae poſtrema vox pro Etruſca in Latino monumento facile ſumi poſſet, niſi compertum haberemus in ea contineri idem nomen *Caeciliae*, quod deorſum e contrario, converſo Vaſculo, repetitum eſt. His ſaxis explicatis, ad alia, quae pariter nunc primum in lucem prodeunt cura & ſtudio Cl. Gorii, gradum faciamus.

Succedit num. IV. altera perelegans marmorea Columella ſuperne coronata, cui merito illud, quod notat Plinius, aptari poſſe videtur: Coronas nempe antiquitus ornamentum fuiſſe Sepulcrorum & Manium. Huic altera num. V. omnino ſimilis eſt, ſed abſque epigraphe. Ioannes Targionius, Medicus Florentinus, & Magliabechianae Bibliothecae Praefectus, Vir Clariſſimus, Gorio narravit, ſe finitima circa Volaterras & Piſas loca perluſtrantem obſervaſſe duas columellas, ſuper defunctorum tumulos antiquitus erigi ſolitas, quarum unam vidit inſcriptam fuiſſe, alteram puram; nam his in locis frequenter duae in hanc formam ſculptae columellae effodiuntur: hae vero exſtant in Goriano Muſeo, ex agro Volaterrano tranſportatae, curante humaniſſimo Viro Martino Gottio, Parocho Eccleſiae S. Michaëlis, cuius locus dicitur *a Celli*, qui diſtat Volaterris millia paſſuum novem, nec longe a Piſis abeſt. Breviuſcula eius inſcriptio Etruſca haec continet:

MƎMIƧV ⅃AIOMꟼA IM *Mi Arnthial Vſimem*.

De particula IM: *Mi*, quae initio occurrit, atque officio *Arnthial*, nonnulla ſuperius obſervavimus. Etruſcae linguae adnotanda eſt indoles, quae nomina propria in MƎ: *em* libenter inflectit ac declinat; ut *Larthi Ammem*. *Vkem*. *Kuelnem*. *Aulem*. *Aſatem*. & huiuſmodi plura. Huc ſpectat alia Vrna, quae pariter aquae luſtralis uſui addicta Cluſii ſpectabatur in ſacra Aede Corporis Chriſti, quam profero ex Schedis autographis Cl. Gabrielii, Patricii Eugubini.

⅃ANIꝉIV . MV⅃ƎV . INVꟼꝉƎꝉ · IƎƎ
Vei . Tetruni . Veluum . Vitinal

Veiia legebatur in alia Cluſina ad D. Muſtiolae, ex eodem MS. Codice Gabrielio, hiſce litteris:

AƧƎꟻIƎ . IꝉIꝉ . ⅃ƎƎ . AIIƎƎ
Veiia . Vel : Titi . Vipvſa

Vtrumque ſepulcrum ad *Veiam* familiam pertinuiſſe videtur, quae

a Veiis

a Veiis urbe eiuſdem nominis adpellationem mutuata eſt : quod Etruſcis quoque ſolemne fuit , uti exemplis *Vtinatum* , *Sentinatum* , ac *Petinatum* in Roncalienſibus comprobavi .

Ecce in Tabula XVI. alias huiuſmodi Etruſcas lauticias exhibet amicus meus Gorius , auſpice Nobiliſſimo Eruditiſſimoque Viro Ioanne Antonio Peccio , Patricio Senenſi , ex Equeſtri Ordine D. Stephani , de patriis Antiquitatibus , quas collegit & illuſtravit , optime merito , qui ad Gorium miſit Acheronticos duos lapides a ſe accuratiſſime delineatos , cum reliquis Vrnis Etruſcis ad Montem Apertum inventis in praediis Nobb. Tommaſiorum effoſſis anno MDCCXXVIII. quae eiuſdem Tabulae XVII. ream implent , quorum omnium monumentorum dilucidatio exhibenda a me eſt ob argumenti adfinitatem .

In Cippo lapideo adlato num. I. praecedit littera M , cuius officium incompertum mihi eſſet , ni dudum in votivis Etruſcis Inſcriptionibus deprehendiſſem notam hanc compendiariam initium eſſe formulae dedicationis , atque *donum* deſignare . Secunda littera s litterae L , cui valde ſimilis eſt , niſi quod ſuperne paullulum retrorſum arcuatur , vices gerit , & voci ΘϤΑ⅃ *Larth* initium praebet , quam quidem ad formulam pertinere ſatis abunde monſtravi . Etruſci enim *Laribus* , ſeu *Lartibus* haec marmora inſcribebant , ut Latini *Diis Manibus* . Poſt litteras *Lar* , ſequitur nota ϥ , quae Latinorum R aequivalet . In caſu vero noſtro , quod dilucidius expendemus ad inſcriptionem in hac Tabula adlatam num. III. exprimit Etruſcum O , ſive Latinum TH. nam ex litterae orbiculo haſta per oſcitantiam inferne producta eſt . Sequuntur elementa quaedam , quae forte in ſaxo fugientia , nihil hodie exprimunt . Succedunt his haec nomina : ΑΜVϺ V>ΑVΜ : hoc eſt , *Murcu* , *Numa* . An vero *Murcum* pro *Marcum* heic expreſſerit quadratarius , ſeu potius ad *Murciam* gentem hoc monumentum pertineat , incertum mihi eſt . Vnum id in votis habeo , & ſummopere efflagito , ut Etruſca omnia marmora ſcripta in unum conferantur , & in lucem producantur , quod ut ſperare lubet , Gorius huiuſmodi curarum cupidiſſimus , aliquando publico bono praeſtabit , addita locorum notitia , e quibus eruta ſunt , ut familiarum Etruſcarum origines & ſtemmata , quadam veluti collatione facta , proferantur : quod multum ad Etruſcae linguae intelligentiam conferre poteſt , ne in nudis mortuorum nominibus ſignificationes a veritate alienas perquiramus , ut in Inſcriptionibus familiae *Veſiae* Peruſinorum contigit .

In Cippo adlato in eadem Tabula XVII. num. II. praecedit con-

conſueta formula *Laris* , antepoſita lineola omnino otioſa , facile ob ſaxi vitium . Inſcriptiones plerumque habent integrum ΙΟΘΡΑΛ *Larthi* in caſu dandi , *Diis Manibus* : at ſub alia quoque deſinentia reperiri hanc vocem in Roncalienſibus animadverti : quam varietatem diverſis Etruſcae linguae dialectis tribuendam puto , variis etiam eiuſdem nominis declinationibus ſive inflexionibus ; demum imperitiae ſculptorum , qui non raro , utpote rudes & indocti , errare ſolent : quod etiam cum Graeca tum Latina marmora inſcripta teſtantur . Non enim defuncto homine ad eius nomen monumentis inſcribendum Haruſpices , aut didaſcalos accerſitos puto , ſed ſervulos , quorum manu adhibito atramento , vel graphio , ſive imperiti ſcalptoris feſtinantis opificio , eorum nomina in ſepulcris ſcribebantur . Hinc multiplex , atque immenſa illa characterum Etruſcorum varietas & licentia exorta videtur , quae etiam in vetuſtis Romanorum epitaphiis , adcedente etiam temporum fluxu ac varietate , obſervatur . Eapropter intermedias in hoc ſaxo voces , veluti deſperatae lectionis , miſſas facio , una tantum poſtrema : ΜΙΜΑΜΑ : *Amamim* expenſa , quam inter nomina propria ablegandam eſſe cenſeo . Legitur : ΜƎΜΜΑΝΑ : *Anammem* : in Cippo adlato in Tabula XVI. num. III. & in alio , quem vide in eadem Tabula XVI. num. III. legitur : ΑΙΜΜΑ : quae nomina huic noſtro conſona ſunt .

Olla fictilis , quae in eadem Tabula XVII. exhibetur num. III. non paucis ſcripturae mendis exarata , vix legi poſſet , ni ſcriptoris eiuſdem perverſam ſcribendi rationem beneficio collationis comperiſſemus . Siquidem ΑΝΑΡ *Rana* pro ΑΝΑΘ *Thana* epigraphi ſculptor praemiſit , feminarum nempe Etruſcarum communem titulum in reliquis obvium ; atque heic idem recurrit ſphalma , de quo ſupra monuimus , productam nempe fuiſſe in orbiculo Etruſcae Θ haſtulam , ut ii , quibus vocis ſignificatio incomperta eſt , libentius R pro TH legendum credant . Vox , quae ſubſequitur , nomen familiae exprimit , quod minime pronunciari poteſt ob intermiſſas , ſive interpolatas a ſcriptore aliquot litteras , quas accuratius incidit in eodem nomine in fine tertiae lineae , nempe : ΑΝƆVXVI . In prima enim linea Δ pro IV *vi* notavit ; eſt enim trigonus ex littera V & I ſubiecta , veluti nexus , ſive ad ſcripturae facilitatem , ſive ad pugilli lapſum referas , ita compactus . Littera X facile expreſſa pro Ж : quibus ſuppletis , legi facile poterit *Thana Vikukne* , ſive *Vicucne* , cui altera *Vicucna* , quae inferius ſcripta legitur , titulum fortaſſe poſuit . Secundae lineae ſenſus nemo niſi Oedipus aperiet , quum pronunciari minime poſſit : in tertia

vero

vero ante vocem *Vicucna*, lunulae illae inverſae minime novae ſunt, quum occurrant & in alia inſcriptione ſepulcrali Muſei Etruſci Tom. I. Tabula CLXX. atque aliis in monumentis, quae in Roncalienſibus meis expendi ; at in ſcriptura hac deficit lineola illa recta, cui lunula in ceteris ſuperponitur : ad Alphabetum vero Etruſcum non pertinet, ſed ad notas numerales. In extrema linea nil notandum ſupereſt niſi VAAИ : *Naau*, repetita Etruſco more vocali, ad emphaſin pronunciationi conciliandam. Plurimi tamen faciendum eſſe hoc monumentum, opportune mihi ſuggeſſit laudatus Gorius ; quum & in Etruria interiore ita expreſſum ⍁, nempe A cernamus, ut in Capuanis numis & ſcriptis monumentis nuper obſervavit Vir doctiſſimus Mazochius, qui ea refert in Diſſertatione ſua in Tom. IV. inter reliquas Academicorum Etruſcorum Cortonenſium, & Celeber. Marchio Maffeius in ſuo Alphabeto recenſuit. Vtrum vero ad *Navios*, ſeu *Naevios*, aut *Nautios*, Etruſcas familias, haec dictio pertineat, adfirmare minime auſim.

Ad quartum eiuſdem Tabulae XVII. monumentum gradum facio, in quo, ut in ceteris, littera q pro TH uſurpatur ; legitur enim VIqↄ : *Lriu*, vox nihili, quae compendiaria eſt vocis : VIOqAↄ : *Larthiu*, pro qua aliquando ſolum : OqAↄ. & IOqAↄ ſcripſerunt, ut videre eſt in Muſeo Etruſco Tom. I. Tab. CXCI. & CXCIII. & apud Dempſterum Tab. LIII. LIV. LXXXIII. & LXXXIV. Ea vox, quae ſequitur, nempe : ƎqAИIƎ, ni fallor, indicat defuncti familiam, nimirum *Vinariam*, ſeu *Vinaſiam* ; nam S & R mutuo commutatas docet Quinctilianus Inſtit. Lib. I. Cap. IV. & Lib. X. Cap. X. ut pro *ara* dixerint *aſa*, & pro *aurum*, *auſom*, &c. Poſtremam voculam miſſam facio utpote explicatu difficillimam.

Vrna num. V. adlata *Larthi Seunei* inſcripta eſt, uſurpata rhombi figura pro littera q. hoc eſt R, quam mox in trigonum deformavit ſcriptor in voce, quae initio ſecundae lineae ſequitur, *Arnta*, quam pro *Arntia* pariter exaravit, hoc eſt *Arnthial* : qua voce militare munus & dignitatem indicari alibi praemonui. Eadem littera R, vario inſuper circuitu inſcripta eſt in poſtrema voce *Rskeſa*. In Vrna cineraria apud Dempſterum Tabula XLIV. num. 2. eadem vox inſcriptionem claudit, ſive alia ſit parum ab hac diverſa ; ſic enim habet :


AƧƎqO ƎƧƎИV8 AOqAↄ

Lartha Funeſe Threſa

Haec nota O. TH. quae varia forma ſcripta eſt, adnotanda & in altera Vrnula cineraria, relata in hac ipſa Tabula XVII. num. VI. quam

K alibi

alibi haud ita ſcriptam > invenies, quam fortaſſe ſculptor ◇ ita exprimere debebat. At qui nam erit, cui non volupe ſit legere in hac inſcriptiuncula illuſtre *Architae* nomen inter Etruſcos familiare? Videtur enim : ıɘиıʁƆ : *Cainei*, ſive *Caio* : MɘИʁ . ıʁTıʞʁʁ : *Architae Anemio* poſitum fuiſſe monumentum. *Anemios* plures in Etruſcorum monumentis invenio, & video in Notis Muſei Etruſci Tom. I. pag. 410. ubi Cinerarium, quod ſubiicimus, in Cortonenſi Agro effoſſum, adfertur cum hac epigraphe : *Larts Anemi Velſinal*, ſive *Felſinal* .




Anemios quoque reperio in Ollis ſepulcralibus Montis Aperti, & in Tabula CXLI. Muſei Etruſci. Heic vero cognominis locum gerere puto. Quem vero *Caium* & *Caiam* Latini dixerunt, Etruſci quandoque *Cainium* & *Cainiam*, ni fallor, pronunciarunt, ut in Muſeo Etruſco Tom. I. Tabula CLVII. in Vrna fictili Muſei Bucelliani. *Caini* quoque videre eſt ſcriptum in Vrna fictili, effoſſa in Agro Senenſi, quae exhibetur in Dempſteriano Opere Tabula LV. cum hac epigraphe :

OƧ ıИıʁƆ ꝉıVꟼMVı : ʁıИʁO

Thania : Iumpuit Caini Sth

quibus adde marmoreum Cinerarium nuperrime Politiani effoſſum, quod exhibet Tabula XIV. num. IV. in quo ſcriptum defunctae nomen ɘИıʁƆ ʁıꝉƧʁ8 *Faſtia Caine*. Non ambigo tamen, *Caios* & *Caias* frequentiſſime apud eoſdem Etruſcos occurrere, ut oſtendit Cinerarium, quod Peruſiae exſtat in Muſeo Vinciolio, adlatum in eadem Tabula num. III. in quo : ʁıqʁƧV ʁıʁƆ : *Caia Ruſvria* legitur. His adde exemplum alterum, quod occurrit in fictili

fictili Vrna litteris ex atramento pictis, quae adſervatur, teſte Gorio, Florentiae in Muſeo Cerretanio, cuius ſchema perlubet adferre.



Cai, nempe *Caii* praenomen praefert defunctus ex Herennia Familia, quae ex Etruria originem habuit: quae etiam cognomen ex ea ſuſcepit, uti vetuſta marmora teſtantur, in quibus Q. HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS DECIVS CAES. eiuſque mater HERENNIA ETRVSCILLA legitur. Alia etiam Etruſci praenominis *Caii* occurrunt in Etruſcis ſepulcris exempla, quae in meis Roncalienſibus cumulate adnotavi. Id forte apud ipſos factum eſt, quum corruptis paullatim moribus, atque ipſa lingua in Latinam abeunte, nomina ſua ac praenomina victoris Populi more conformarunt. Huius autem vocis originem ex primaevae linguae fontibus in Etruſcam deſcendiſſe, ibidem oſtendi. At diutius, quam optaveram, a propoſito diverti; ſed aliter vix fieri poterat in re tam multiplici, tamque ſecum coniuncta.

His ea qua potui diligentia elucidatis, alios ſepulcrales Etruſcorum Cippos, anaglypho opere exſculptos, expendendos ſupereſſe, manu de tabula iam dimota, peramice monuit V. C. Gorius, de hiſce antiquitatibus praeclare meritus. Pauci hi ſunt, ſed eorum, quos meis lucubrationibus illuſtrare conatus ſum, augent quammaxime numerum & pretium, & inter Acheronticos recenſendi videntur. Principem obtinet locum Cippus ille Etruſcus, quem in lucem primus omnium protulit Cl. Senator Bonarrotius in Dempſteriano Opere Tabula LXXII. num. 2. quique in eius aedibus exſtat, olim Faeſulis antiquiſſima Etruriae urbe effoſſus, conſtatque e lapide arenario, cuius in eo loco maxima copia eſt. Hunc ipſum iterum exhibet Tabula XVIII. num. 1. in hoc Opere adlata. Cippus alter eidem ſociatus num. II. conſtat e lapide tophaceo, & Volaterris ſpectatur in Aedibus Nobb. Maffeiorum, cuius inſcriptionem mancam & mendoſam apud Dempſterum, idem Gorius quum

Volaterris eſſet, & Etruſca monumenta perveſtigaret, ad archetypi fidem reſtituit, curante ac favente Hippolyto Cigna, ut mox patebit. Defunctorum virorum imagines, quorum nomina indicant inſcriptiones, in his expreſſas eſſe militari habitu, minime dubitandum eſt; quare eorum quoque dignitas ſummopere augetur. Scio, viros doctos ſubſpicatos eſſe, imagines haſce Martem referre; quum eodem fere cultu exſtent antiquiſſima illa Martis ex aere ſimulacra Tuſcanico opificio conflata: quam quidem opinionem nunquam impugnare auſim, prohibente nimirum, qua auctorum exiſtimatione, qua ipſa rei perobſcurae incertitudine. Si tamen ulteriori coniecturae locus ſupereſt, ſubſpicari probabilius quis poſſet Ducum aut Magnatum, quos militaris auctoritas ſpectabiliores reddidit, imagines hiſce ſepulcralibus Cippis inſculptas: quod quidem duplici ratione poterit comprobari: ex figura nempe eorumdem lapidum, quae in ſepulcralibus obvia eſt; in ſacris vero monumentis omnino ignota: praecipue, quum in altera harum ſculpturarum Militis figura vitem centurionalem, aliqua ſui parte frondentem, manu teneat: quo quidem argumento fretus, alibi coniecturis adſecutus ſum, hoc militiae inſigne Romanis Centurionibus ſolemniſſimum, ab Etruſcis, ut pleraque alia, acceptum fuiſſe; quapropter, ubi Etruſcorum Vaſculorum picturas explicare mihi contigit, imagines illas virorum, qui huiuſmodi bacillis mediocriter incurvis innituntur, pro Centurionibus, ſeu ceteris hominibus praeſtantioribus militiae gradibus inſignitis, accipiendos eſſe duxi. Quam opinionem meam quum Cl. Gorio exponerem, is alterum Cippum prope Faeſulas item effoſſum anno circiter MDC. in praedio Nobilium Carliniorum mihi contemplandum propoſuit, in quo Militem dubio procul expreſſum eſſe armis inſignem videmus in eadem Tabula XVII. num. III. Periit, ut remur, inſcriptio Etruſca, quum Cippus inferius fractus ſit. Licet autem hic antiquitatem Cippi, cum Faeſulani tum Volaterrani ſuperius editi, non aequet, ſed ad ſequiora tempora referendus ſit; tamen Etruſcum opus redolere, nemo eſt qui non videat, praeſertim ex ornatu illo faſtigii Tuſcanici, qui ſimpliciori priſcarum aetatum cultui ſucceſſit.

Adcedunt alia rationum momenta, ipſa nempe ſcripturae ſignificatio, qua defuncti nomen ſepulcrali conſueta formula exprimitur; nam Faeſulanus Cippus haec habet: MƎMMA : IΘꟼAᴎ: hoc eſt: *Larthi Ammem:* quaſi *Larthi* ſeu *Larti Ammemio*. In alio Cippo apud Bonarrotium in Appendice §. XLIV. legitur: MƎMMAИA: *Anammem:* forte *Anemiae* gentis nomen apud Etruſcos inſignis. Hic vero Cippus ad *Ammemium*, ſive A. MEMMIVM pertinet, omiſſa inter-

terpunctione. In altero vero Volaterrano huiuſmodi epigraphe ſculpta eſt, quae nunc primum accuratius integriuſque exhibetur, nempe

ƎꓘIMAƎVAƎIƧVV :⁘:⁘: ƎꓕIꓕMAƎMAIM

Mi Amem Titu .... Vehſie Vlenike.

& fortaſſe *M. Titio*, ex gente *Titia*, dedicatum fuiſſe Cippum deducimus: in qua quidem epigraphe priora duo tantum vocabula ſuperius explicata intelligo, nempe *Mi*, quae indicant, *Sacrum Manibus Titu*, ſive *Titi*. Vox: MƎNIAIM: *Mi Amem* bis occurrit in Etruſcis ſepulcralibus titulis: primo in ara illa rotunda, quae apud Dempſterum producta eſt in Tabula XLVI. in qua, praecedentibus lictoribus, vir armatus virum togatum excipit, cuius inſcriptio incipit: ЯAOИꓨA AИAИIM: *Minana Arnthar:* quae quidem poſtrema vox officium militare deſignat, ut alibi patefeci. Iterum ea dictio occurrit in Inſcriptione illa, quae in abſide Cryptae Cornetanae nuper detecta eſt, in qua circa finem legitur: VꓶVꓶ: *lupu*, quod *ſepulcrum* indicat, ut alibi pariter non uno in loco oſtendi. An vero *Miaana*, *Mianu* ſit a μυέω *initiare*, unde μύστης, *Initiatus*, ſive *Sacerdos*, nondum adfirmare datum eſt. Ex his Cippis ornatis defunctorum imaginibus originem duxiſſe arbitror ſtatuas ſepulcris impoſitas, quae honoris gratia viris de republica meritis Romani ab Etruſcis edocti erigere ac ponere conſueverunt, teſte Plinio Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Cap. II. cuius etiam honoris frequens mentio in Romanorum monumentis. Reliquam Etruſcae inſcriptionis partem, quae fortaſſe defuncti viri officium indicat, utpote temporis edacitate corruptam, quum irriti conatus noſtri ſint, praetermittimus.

Primum igitur, ut vela colligam, antiquiſſimis temporibus uſus apud Etruſcos invaluit, ſuper defunctorum humata corpora ſimplices ac rudes Columellas ſtatuere, praenotato in his defuncti nomine, atque etiam interdum eius dignitate ſive officio. Poſitas etiam duplices ſepulcrales columnas in defunctorum honorem, ſuperius adnotatum eſt, quarum una ornata inſcriptione, altera vero vacua & ſimplex, quae humi defigebantur, uti veriſimile eſt ad caput una, altera ad pedes, quo pariter ritu religioſus ſepulcri locus, ut arbitror, declarabatur. Subſecutis poſtea temporibus antiquis plane, uſum inoleviſſe arbitror ponendi Cippos planam utrimque facie in palae ſuperne rotundae ſpeciem, addita & in his epigraphe Etruſca, qui etiam humi infigebantur, & Diis Manibus ſacris caerimoniis dedicabantur. Mox etiam ad maiorem defuncti dignitatem & decus, aeternamque poſterorum memoriam

eo-

eorumdem defunctorum imagines in iiſdem Cippis inſculpti conſueviſſe crediderim, quem morem priſci Romani ſecuti ſunt. Poſt hos Cippos defuncti imagine ornatos, conſecutis ſeculis, alii quoque locum ſuum habuere cum imaginibus defunctorum, qui uti convivari & epulari ſolebant in lectulis, genio ſuo indulgentes expreſſi ſunt, cuius iconiſmum huic meae lucubrationi addendum eſſe cenſuit Gorius amicus optimus in Tabula XVIII. num. IV. nam, dum haec ſcriberem, detexit in compluvio Aedis ruralis Noſocomii inſignis S. Mariae Novae, ultra Pontem ad Sevem tertio fere miliario, qui locus vulgo dicitur *Travignuoli*. Hic Cippus totus e lapide arenario conſtat, anaglypho opere in tria ſegmenta diſtinctus; quorum in primo viri in biclinio epulantes exhibentur, adiecto ad auguria exploranda infra lectum gallo: in ſecundo pugiles ad tibiae ſonum, Etruſcorum more, pugnaturi ſpectantur: in tertio venatio cervi, quem canes inſectantur, exhibetur. Superne ad Cippi ornatum, Etruſcorum ſculptorum & pictorum more, acroſtolia ſculpta ſunt, & utrinque prope faſtigium leunculi quieſcentes, quos superiore Cap. IX. ſepulcrorum ornamenta fuiſſe, & apud Etruſcos ſatis frequentia, adnotavimus. Cippus muro adfixus adhaeret, & facile eius poſtica pars Etruſca inſcriptione inſignitur.

Expectabas fortaſſe a me meliora, Vir Clariſſime, & ingentis tituli fiducia blanditus, veluti quidpiam e Tagetis commentariis recitaturus eſſem, ſuſceperas diſſerentem; at puto noveras imbecillitatem meam, antequam tibi tanta pollicerer. Nondum ſe tota vetus Etruria patefecit, nec iniuriam viginti fere ſaeculorum, totidem annorum induſtria reparavit: plura ſane ex paucis admodum monumentis revelata ſunt, cetera manent poſteros: ubi ſeries uberior illorum coaleſcat, & noſtrum iam deficientium ſolicitudines ingenia ſuccedentia ſuſcipiant, multo his plura ipſi patefacient. Nos in hac ſuppetiarum tenuitate caecutimus: nec Deus nobis talia otia fecit, ut in pauculis iſtis diuturniore adhuc meditatione immoraremur; ex quo enim bonarum artium curam, quae regum olim erat gloria, privatorum munificentia ſuſcepit, multa quidem excitantur, quae deſiderium magis ingerunt eorum plurium, quae deſunt, quam beneficium pauciorum, quae obtinentur; turbata praeſertim excurſionibus militum paene univerſa ſede humani generis, praecipue urbe noſtra, noſque vel ipſi naturae ignotos inſectata eſt ea foeda calamitas, ut annum iam & amplius domeſtica obſidione ignoti hoſpitis teneremur. Non eſt igitur cur mireris, Vir Praeſtantiſſime, me in tanto rerum moerore ad Acherontica conſcribenda animum adpuliſſe.

DE

DE
ETRVSCORVM FVNERE
DISSERTATIO

AD VIRVM CLARISSIMVM

DIAMANTEM COMITEM DE MONTEMELLINO

PATRICIVM PERVSINVM.

OMnes homines, eoſque praeſertim, qui virtutem & ingenuas litteras colunt, magno in patriam ſuam amore inflammari debere, natura ipſa docet: & exempla, quae domi foriſque ob oculos verſantur, ſuavi quodam lenocinio ad hanc caritatem impellunt. Tanta enim eſt eius vis, ac tam mirabile in nobis eius pietatis ſtudium atque officium, ut Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum adfixam, a ſapientiſſimo viro immortalitati antepoſitam fuiſſe, minime mirum videatur. Si qui vero ſunt, qui patriam diligunt, quorum exemplis Peruſinae Hiſtoriae monumenta refertiſſima eſſe conſtat, inter hos profecto Tu ipſe, MONTEMELLINE NOBILISSIME, ſumma cum laude recenſendus es, qui eam tuis virtutibus egregie ornas, eruditione *illuſtras*, *auctiſque* tuis, atque maiorum tuorum praeclaris cum laudis tum gloriae monimentis, quotidie amplificas, & celeberrimum eius nomen aeternitati commendas. Quid enim illuſtrius, quid utilius, quam eruditas priſci aevi reliquias ab oblivione atque ab interitu vindicare? Quid glorioſius, quam ea, quae latent, & ſitu & ſqualore obſita ignorantur, in lucem proferre in commune eruditorum hominum bonum, litterarumque praeſidium atque ornamentum? Haec ſunt patriae eximia decora, haec ſtudiorum iucundiſſima incitamenta, ingeniorum deliciae, cultorum omnium vetuſtatis amores ac ſtudia, hac praeſertim aetate, gratiſſima longeque iucundiſſima. Hiſce monumentis non tantum nititur, ſed & magnopere fulcitur Hiſtoria, quae, ut ait Cicero, teſtis eſt temporum, lux veritatis, vita memoriae, magiſtra vitae, nuntia vetuſtatis. Iiſdem etiam, tamquam ardentibus facibus, ac mirifice lucentibus, qui patrii fuerint mores, qui ritus, quae conſuetudines, diſcuſſa vetuſtorum temporum caligi-

ne,

ne, diſcimus, certoque lumine ac fundamento cognoſcimus. Quantopere vero patriam tuam diligas, luculenter oſtendit Muſeum tuum, omnibus eruditae Antiquitatis cimeliis, & quidem perraris atque eximiis, refertiſſimum: quod profecto eruditis omnibus ſtudioſiſque hominibus in pubblicum litterariae reipublicae bonum patere & vis, & cupis. Oſtendunt praeterea cum alia, tum haec, quae a Te delineata accepi veterum Peruſinorum praeclariſſima monumenta, quae ad Gorium noſtrum, virum egregie de his meritum, tuique amantiſſimum, ac cultorem eximium, miſi, ut meis Obſervationibus illuſtrata, eo curante, quamprimum optata luce fruerentur, Teque auſpice ac favente, nunc primum per manus volitarent virorum doctorum, qui Tibi, MONTEMELLINE COMES ERVDITISSIME, gratias, ut auguror, maximas & immortales referent, & laudes tuae induſtriae ac ſolicitudini meritiſſimas pro hoc tuo munere lubenter rependent.

Age nunc, quia haec monumenta anſam & copiam praebent diſſerendi de ETRVSCORVM FVNERE, tuo beneficio nunc primum eruditorum hominum conſpectum ſubeat patera illa ex aere, Etruſcis litteris & emblemate nunquam antea viſo inſignis, quae nuper effoſſa eſt, & adſervatur in Muſeo Nobiliſſimi Comitis Vincentii de Gratianis, Patricii Peruſini, de Etruſcis Antiquitatibus, quas eximio ſtudio & cura colligit, optime meriti, e quo Tu ipſe accepiſti, & mecum humaniſſime communicaſti. Hanc poſtea excipiet Columella marmorea, Etruſcis litteris & baſe ornata, in qua adparatus & ritus funeris ſingulari emblemate exprimuntur. Sacrificalis patera, quae exhibetur in Tabula XIX. tantam continet elegantiam, ut in ea exornanda & ingenio & manu certaſſe videatur antiquus Artifex; ita tamen, ut *opificii ſtilus*, quod ſacris hiſce vaſculis peculiare eſt, nec a Mythologiae praeceptis, nec ab inſtitutis priſcae Religionis aberraret. In eius diſco gemini fratres Neleus & Pelias exprimuntur, quorum par iuventa, par corporis vigor, & cultus parem aetatem ac fortunam ſignificant; nullo enim indumento, nulliſque, praeter haſtam, armis inſtructi ſunt, Heroum nempe more, quos conſtantia ipſa animi ad egregia facta ſatis muniebat & obfirmabat. Tota vero paterae hiſtoria non obſcure facinus illud indicare videtur, quum iidem Heroës Tyronem matrem primum agnoverunt, ſublataque thori aemula noverca, ab his calamitatibus, & moerore, quo angebatur, eam liberarunt. Porro puella haec Salmoneo progenita, tanta corporis pulcritudine praecelluiſſe traditur, ut inter feminas longe omnium formoſiſſimas connumerata ſit, teſte Propertio Lib. II.

Eleg.

Eleg. XIX. verſ. 49. qui ad Iovem pro amica aegrotante preces fundens, ita eam celebrat:

Sunt apud infernos tot millia formoſarum:
Pulchra ſit in ſuperis, ſi licet, una locis.
Vobiſcum Antiope, vobiſcum candida TYRO,
Vobiſcum Europe, nec proba Paſiphaë.

Hanc Neptunus adamavit, ac tandem adſumta Enipei forma compreſſit: quod nec ſilet idem Propertius Lib. I. Eleg. XIII. ad Gallum verſ. 21. inquiens:

Non ſic Aemonio Salmonida miſtus Enipeo
Taenarius facili preſſit amore Deus.

Hanc fabulam & Ovidius Metamorph. Lib. VI. ſubindicat, quum Neptuni adulteria recenſet, & Amorum Lib. III. Eleg. VI. verſ. 43. ita ait:

Siccus ut amplecti Salmonida poſſet Enipeus,
Cedere iuſſit aquam: iuſſa receſſit aqua.

Fuſius tamen rem totam aperit Apollodorus Biblioth. Lib. I. his verbis: *Ceterum Tyro Salmonei filia ex Alcidice, quae, quum apud Cretheum Salmonei fratrem aleretur, Enipei fluminis amore flagravit, atque ad illius fluenta continenter adcedens, propter amnem conqueri minime deſinebat. Neptunus interim ſumpta Enipei forma, cum ipſa concubuit. Haec autem, quum geminos clanculum peperiſſet, infantes exponit. Adiacentibus autem pueris & equariis paſtoribus praetereuntibus, equarum una, quum infantium alterum ungula, caſu quodam, tetigiſſet, faciei partem lividulam reddidit. Tum equarius infantes ambos ſuſcepit alendos, &, cui lividula reddita eſt faciei pars, Peliam nominavit, quaſi Livium dixeris: alterum vero Neleum vocat. Qui quum ad iuſtam integramque aetatem perveniſſent, agnita matre, novercam, quod eius opera parentem male adfectam percepiſſent, facto in eam impetu, occiderunt: quae, tametſi intra Iunonis templum confugere anteverti ſſet, eam tamen Pelias ſuper aram ipſam iugulavit.* Conſtat enim, Tyronem emiſſo partu, ipſimet Cretheo patruo, penes quem puella educata fuerat, nupſiſſe. Ita prorſus idem Apollodorus paullo poſt: *At Cretheus condita Iolco, Tyronem Salmonei* (fratris ſui) *filiam accepit uxorem, ex qua ſibi filii naſcuntur Aeſon, Amythaon & Pheres:* & paullo poſt: *Pelias Iolci*

 poſt

poſt Cretheum regnavit. Eadem fere habentur apud Homerum Odiſs. Lib. XI. ubi Vlyſſi ſacra Diis Inferis perficienti, Tyronis umbram obiicit, ita de ſua conditione ſermocinantem:

Tunc primum Tyronem vidi bono patre natam:
Haec dixit Salmonei illuſtris ſe eſſe filiam;
Dixit autem Crethei uxorem fuiſſe Aeolidae.
Haec fluvium amavit Enipeum divinum,
Qui longe pulcerrimus fluviorum per terram fluit,
Et in Enipeum volvuntur pulchra fluenta.
In hanc ingreſſus terrae quaſſator Neptunus
In oſtio fluvii dormivit vorticoſi:
Purpurea autem unda circumſtetit monti ſimilis
Curvata, cooperuitque Deum, mortalemque mulierem.
Solvit autem virginalem zonam, ſomnumque infudit.
At poſtquam perfecit Deus amoris opera,
Eam tetigit manu, verbumque dixit, & compellavit:
Gaude mulier, perfecto autem anno
Paries formoſos filios; quoniam non vani concubitus
Immortalium; tu autem hos nutri, atque educa.
Nunc autem vade ad domum, & tibi cave, neque nomines:
At ego ſum Neptunus quatiens terram.
Sic dicens, ſub pontum ingreſſus eſt undoſum.
Haec autem gravida Peliam peperit & Neleum.
Hi fortes famuli Iovis magni facti ſunt
Ambo: Pelias quidem in lata Iaolco
Habitavit pecoris dives: ille autem in Pylo arenoſa.
Hos autem alios peperit Cretheo regina mulierum
Aeſonemque & Pheretem, Mithaonemque equis gaudentem.

Neque in dubium revocari poteſt huiuſce paterae feralis, quae apud antiquos Etruſcos in uſu fuit, hiſtoria, quae plane cum Graecis monumentis concordat; quum Heroum nomina in hunc modum Etruſcis litteris prope eorum imagines conſignata ſint: ƎᒧƎИ: *Nele*: hoc eſt *Neleus*, qui haſtae utraque manu innixus ſtat: & ƧƎᒧƎ1: *Peles*; nimirum *Pelias*, qui dextra gerens haſtam, ſiniſtra pendens ſcutum ſcopulo impoſitum detinet, quod formam quadrangularem refert.

Pone Iunonis aram cirrata ac torque redimita latitat noverca, cui necem intulit Pelias. Altare vero ſub coronide ornatum philyra, litteris pariter Etruſcis, ƎЯƎᒧ8: *Flere*, in ſumma coronide in-

inſcriptum eſt : quae vox in omnibus fere Etruſcorum donariis occurrit , & *rem ſacram* , ſive *votivam* , aut *anathema* ſignificat , ut in meis Roncalienſibus Epiſtolis non uno in loco fuſius oſtendi. Serpens , qui arae adſtat , vel forte etiam ex ea proſilit , eiuſdem arae religionem tueri videtur , ſcitiſſimeque ab artifice Mythologiae peritiſſimo expreſſus eſt ; nihil enim veteres ſolemnius habuerunt , quam Genios , Deorum ſeu adminiſtros ſeu famulos , ſerpentis ſpecie repraeſentare , quod ex Ariſtophanis Pluto , & Perſio Sat. I. perſpicue demonſtratur. Virgilius minime praetereundus ſilentio eſt , qui parentalia Anchiſae facta ab Aenea deſcribens , ita rem pingit Aeneid. Lib. V. verſ. 84.

Dixerat haec : adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros , ſeptena volumina traxit ,
Amplexus placide tumulum , labſuſque per aras :
Caeruleae cui terga notae , maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor : ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo Sole colores .
Obſtupuit viſu Aeneas : ille agmine longo
Tandem inter pateras , & levia pocula ſerpens ,
Libavitque dapes , rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo , & depaſta altaria liquit .
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores ,
Incertus Geniumne loci , famulumne parentis
Eſſe putet . ————————————

Aegyptii quoque in Deorum templis huiuſmodi ſerpentes alere conſueverunt , quos *Termuthin* adpellabant , ut narrat Aelianus Lib. X. Cap. XXXI. de animalibus : eoſque ab iiſdem populis ſumma religione cultos tradit idem auctor Lib. XVII. Cap. V. Idem quoque docet Virgilius , qui iratam Palladem inducens adverſus Lacoontis familiam , dracones in eius exitium immiſſos egregie deſcribit , eoſque exſcidio confecto , ne de illorum divinitate ambigendi locus eſſet , ſub pedibus Palladis ſe recepiſſe , atque evanuiſſe , adfirmat . De ſerpentibus , Deorum miniſtris atque cuſtodibus , multa etiam apud Pauſaniam obſervantur , nilque illis auguſtius in Eleuſinorum atque Sabatiorum arcanis : nil denique in Orgiis & myſticis ciſtis frequentius , quarum etiam apud Etruſcos uſum docent monumenta indubitatae fidei a Gorio noſtro adlata , ut videre eſt in Tabula CLXX. Muſei Etruſci , & in aliis , quae idem mox , de quibus me monuit , adferet monumentis .

 Sed

Sed ne aliunde argumenta mutuari videamur, ut inveſtigemus, cur ſerpens Iunoni pone eius aram in hac eximia patera tributus ſit, adeamus antiquum illud, ac Romanis Conſulibus omni aevo venerandum, Iunonis Siſpitae, ſeu mavis Soſpitae templum: eiuſque lucum, in agro Lanuvino multa religione cultum, perluſtremus; in cuius ſpecu draconem Iunonis cuſtodem exſtitiſſe, memorat cum primis Aelianus Lib. II. Cap. XVI. de animalibus, quo in loco haec habet: *Apud Lavinium* (nempe inter Lavinium & Lanuvium) *ſacer eſt lucus magnus & opacus, iuxtaque illum aedes Iunonis Argolidis. In luco vero antrum eſt amplum ac profundum, quod draconis eſt cubile. In lucum quotannis Virgines certis diebus ingrediuntur, quae mazam geſtant manibus, oculos faſciis devinctae. Eas recta ad latibulum divinus quidam ſpiritus deducit. Progrediuntur illae ſenſim ac pedetentim ſine offenſione, ac ſi detectis oculis viderent. Quod ſi virgines fuerint, cibos tanquam puros, & Deo grate animanti convenientes, admittit draco: ſin minus, non adtingit, corruptos eſſe intelligens & divinans. Formicae vero hanc relictam ab illo mazam minutatim confractam, ut levius ferant, e luco exportant, expurgandi gratia loci. Hoc quum fit, ab indigenis animadvertitur, &, quae ingreſſae fuerant, indicantur examinanturque, & ea cuius pudicitiam eſſe violatam conſtiterit, poena legibus conſtituta plectitur.* Eadem fere pereleganter a Propertio recitantur Lib. IV. Eleg. VIII. verſ. 3.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis,
Hic, ubi Tartareae non perit hora morae.
Qua ſacer abripitur caeco deſcenſus hiatu,
Qua penetrat Virgo (tale iter omne cave)
Ieiuni ſerpentis honos cum pabula poſcit
Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſae pallent ad ſacra puellae,
Cum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a Virgine corripit eſcas,
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtae, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolae fertilis annus erit.

Serpentem Iunoni, tamquam eius ſymbolum, adpoſitum obſervamus in numis gentis Antoniae, Popiliae, & Prociliae, in quibus Iunonem Soſpitam draco horribili rictu anteit: in aliis autem Liviae & Roſciae puella ſculpta eſt, draconi liba offerens: in altero demum Pompeiae, caput Iunonis Soſpitae ex una obſervatur;

tur ; ex alia vero ſerpens tortuoſus , qui in altum e ſpiris adſurgit. Non eſt igitur cur miremur , Etruſcos Latinis conterminos in hac patera Iunonis aram draconis exſilientis horrore deſignaſſe , ut ſignificaretur Nelei & Peliae facinus , qui in templo eiuſdem Deae novercam trucidarunt , ab ipſo Iunonis numine animadverſi & improbati.

Larva illa , quae imum ſub paterae orbe ſpatium occupat, cucullo amicta , & alis inſtructa , Mortis typus eſt . Haec enim cucullato capite obſervatur & in alia Etruſca patera apud Dempſterum Tabula XXXVIII. in qua Alceſtis fabula , teſtata priſcis quoque Graecorum ſcriptorum monumentis , ſculpta eſt ; nimirum quum Herculis beneficio in vitam reſtituta , viro ſuo iterum tradita eſt . In eius quoque paterae poſtrema parte caput alterum Mortis ſuperiori adſimile , cucullo obvolutum ſpectatur . Alterum denique Mortis typum , in hunc fere modum expreſſum , exhibet Vrna Etruſca penes Cl. Gorium in Muſeo Etruſco Tom. I. Tabula LXVII. num. v. Haec ſilentio non praeterii in IX. inter Epiſtolas Roncalienſes , quo in loco eiuſdem paterae Dempſterianae hiſtoriam obſervationibus luculenter illuſtravi , quas heic referre ſupervacaneum arbitror .

Hinc ſubſpicari licet, pateras haſce, in quibus Mortis imago, ſive eius typus expreſſus eſt , in uſum ſacrumque funerum adparatum ab Etruſcis adhibitas fuiſſe , praeſertim quum ferales hiſtorias repraeſentent. Sane paterae illae , quae Deorum ſacrificiis addictae ac ſacrae erant , rarius ad nos pervenerunt ; ubi enim vetuſtate obſoleverant , minime in vulgus publicabantur : quinimo in faviſſas coniectae , vix aliquando prodierunt . Quae vero ſepulcrorum uſibus adſignatae erant , ſepulcris ipſis erutis , facilius patuerunt , & ad manus noſtras pervenerunt .

Lar alatus ſuperne volitans ſculptus cernitur in hac patera elegantiſſima : frequentius vero occurrit in pictis Etruſcorum Vaſculis , in quibus alis per aëra ſuſpenſus , domeſticis ſacrificiis videtur adſiſtere , viro hinc , illinc uxore privato ritu ſacra obeuntibus . Larem vero apud Etruſcos eſſe Deum Manem , nempe defuncti hominis animam , in ſuperiore Diſſertatione clariſſime demonſtratum eſt .

Illud etiam minime praetereundum , pateram hanc cum ea, quam indicavimus in Dempſteriano Opere Tabula XXXVIII. maximam adfinitatem ſervare. In hac enim e Gratiano Muſeo depromta , Te vindice , CLARISSIME MONTEMELLINE , Peliae mater a novercae fraudibus vindicatur : in Dempſteriana vero eiuſdem Peliae

liae filia in priſtinum vitae lumen reſtituta ſpectatur. Quare in utraque obſervare etiam lubet eiuſdem artificis genium, qui unius familiae fata, quadam veluti ſucceſſione ſibi cohaerentia, mire ad funebrem inferiarum & ſacrificii adparatum, in honorem Manium Deorum peragendi, pertinentia, in illis expreſſit. Vtinam hiſce alia ſimilia prodeant Etruſcorum praeclara monumenta, quorum frequenti collatione longe lateque augeantur antiquae eruditionis ſegetes, & temporum indolem, & artificum genium contemplemur.

Perinſigni hoc Etruſcae vetuſtatis monumento ad me miſſo, quae tua ſingularis ac prorſus incredibilis humanitas eſt, en iterum aliis me cumulas beneficiis, MONTEMELLINE PRAESTANTISSIME; quorum ope ac ſubſidio non mea dumtaxat privata ſtudia, ſed litterariae quoque reipublicae commoda & decora luculentiſſime augeantur. Etruſcae enim Columellae, quae in compluvio Nobiliſſimorum Comitum Alphaniorum iſthic Peruſiae adſervatur, tam elegans, tamque operoſum exemplar ex archetypo accurate & fideliter deſumtum ad me transferendum curaſti; ut minime debeat latitare mecum, atque una mecum interire. Nuſquam fortaſſe in toto hoc Antiquitatis Etruſcae reſurgentis ſaeculo monumentum, tanta obſervatione dignum, defoſſum eſt; eius quippe praeſidio tantam ac tam uberem perſpicuamque Etruſcorum morum ſcientiam adſequimur, quantam vix e plurimis in unum congeſtis cumulatiſque: nec eſt, cur eorumdem populorum libros omnes periiſſe conqueramur; quum huius marmoris clariſſima luce ac ſubſidio, diſertiſſimi libri vicem ſuppleri gratulemur. Etenim non aliunde Etruſci funeris adparatum addiſcimus, &, quod vix longa narratio praeſtitiſſet, obtinemus beneficio *huiuſce ſculpturae*, eloquentioris ſane, & inter ceteras omnes nobilioris, quam Cl. Gorius amicus noſter aereis quatuor Tabulis nimirum XX. XXI. XXII. XXIII. peraccurate incidendam curavit, & huic Operi adiunxit.

Mones, MONTEMELLINE ERVDITISSIME, Columellam hanc inſigniſſimam (quae altitudine Romanos pedes II. & uncias IX. aequat; cuius etiam baſis diametros pedes item II. faſcia vero, in qua triginta ſex figurae ſculptae ſunt, craſſitie ſua uncias VIII. aequat) conſtare e lapide Peruſino, qui Tiburtino adprime adfinis eſt, e quo plerumque Etruſca ſepulcra, quae in agro patriae tuae effodiuntur, caelata eſſe compertum eſt: opere quidem, etſi non valde ſumtuoſo, patrio tamen; cuius testimonio nihil horum eſſe adventitium pro certo habeamus. Veterem huius Columellae uſum ſtatuere, haud difficile eſt, ex quo alias non abſimiles, licet nullis figuris, ſed litteris tantum exſculptas, in Peruſinis ruderibus effoſſas,

vul-

vulgavit de hiſce ſtudiis meritiſſimus Gorius, qui eas primus patefecit in Tabula LIX. Muſei Etruſci: qui quum a me Etruſcarum inſcriptionum explanationem, quam mox ſubiiciam, poſtularit, non abs re ei viſum eſt hoc loci iterum eas producere, & proferre in Tabula XVIII. num. v. & vi. eamque huic Diſſertationi, in qua Peruſina monumenta illuſtrantur, opportune adiicere.

Hiſce Columellis adde alias duas, in agro Tuderte nuper defoſſas: adde etiam reliquas, quas meis obſervationibus in ſuperiore Diſſertatione illuſtravi: quas omnes ad Acherontica ſacra ſpectare, & inter ſepulcrales recenſendas eſſe, perſpicue oſtendi, quod etiam in Epiſtolis meis Roncalienſibus ad Cl. Virum Olivierium datis paullo ante monueram. Placet nunc, ita olim coniectaſſe, quum adceſſione huius marmoris, quod ſepulcrale eſſe nemo dubitaverit, coniecturam meam, tunc viris doctis propoſitam, tam inſigni auctoritatis exemplo optime comprobari nunc videam. Quapropter perſpicue liquet, ſaxa huiuſmodi, ſive humi defixa, ſive oſſuariis impoſita, arae ſepulcralis vicem obtinuiſſe, ubi mortuorum Diis Manibus parentaretur. Hinc abacus ille, e quo pyra conſurgit, ut exhibet Tabula XXI. num. xvii. aequo ſpatio circumquaque exciſus eſt, ut libamina ad inferias parata exciperet, & patellis funebribus ſuſtinendis commode deſerviret.

Etruſca inſcriptio, quae more aliarum Etruſcarum Columnarum, quae a me illuſtratae ſunt, litteris a ſummo deorſum vergentibus exarata eſt, quae, ni me fallunt notae quaedam ambiguae, *ſic ſe habet:*



Hoc eſt: HELEM KNVEM LATHVANSNSI


In hac HELEMIVM KNVEMIVM defuncti hominis nomen haud dubie recognoſco. Nomina huic adfinia non ſemel in Etruſcis Inſcriptionibus occurrunt, ut in Muſeo Etruſco Tabula CXLII.

 — *Larth. Anami. Tiſſeik*

In Notis ibidem, quas vide Tom. II. pag. 410. & ſupra pag. 74.

 — *Larts: Anemi Velſinal.*

Apud Bonarrotium ad Dempſteri Etruriam Regalem §. XLIV.

 . *Anammem.*

In

In Ollis Montis Aperti apud Tommaſios Patricios Senenſes legitur

MAИA . AI⅃ƎV -- *Velia . Anam .*

Praeterea MIƎVИ: *Nueim* videre eſt in eodem Muſeo Etruſco Tabula CLVII. ſed in caſu obliquo :

:MIƎVИ:IƎИIAↃ:AИAO. *Thana : Cainei : Nueim :*

Matronae , nempe , *Caine* uxoris *Nuemi* , vel *Noëmi* . Ab his longe non abeunt nomina *Nobemai* filii Baſae , & Noëmae uxoris Elimelech , quae *pulchrum* & *pulchram* ſignificant ; ſunt enim a נעם *nabham* , *pulcher* ; unde mutatis punctis fit *nobham* , *pulchritudo* . Fortaſſe etiam eſt ipſe נוח *Noach* , qui Graecis ΝΩΕ & ΝΩΕΜΟΣ , ſicut Latinis , *Noe* atque *Noemus* : cuius nominis notitiam non tantum apud Orientales , ſed etiam apud Graecos propagavit traditio illa communis originis , ut erudite demonſtravit Octavius Falconerius in Diſſertatione *de Nummo Apamenſi* . Vndecumque tamen proceſſerit Etruſcum : IMƎVИ *Nuemi* , aliquam cum Sabino Numae nomine adfinitatem videtur habuiſſe , eſto alii e Graeco fonte deſumant. De poſtrema vero voce nihil occurrit quod dicam , quum praeſertim dubiae lectionis ſit , nec alibi adhuc obſervetur.

I. Inferius anaglyphum explicandum adgredior : & ut figurae facilius ac diligentius obſerventur , lubet Romanis uti notis numeralibus , quae in Diſſertatione adhibitae iiſdem figuris reſpondeant. Principem locum occupat lectulus cubicularis , in quo vir moriens decumbit . Lectulus nulli parietum haeret , ſed circumquaque pervius . Lectuli Romanorum , quos Vrnae nobis referunt , ſpondis muniebantur , & qui propterea parieti inſiſterent . Ipſum expirantis corpus a dextera in ſiniſtram procedens repraeſentatur , quales morientium imagines omnes in Romanis Sarcophagis , eorumque ſigna in Vrnarum operculis quieſcentium ; natura ipſa commonente , facilius in cubitum ſiniſtrum adſurgi , dextera manu ad officia expeditiore . Quin & mortuorum cadavera eo ordine , quo in lectis cubarent , cenſuerunt in loculis aptare non modo Ethnici , ſed & veteres Chriſtiani .

II. Matrona exſpiranti viro minimum natu filiorum offert , qui patris ſpiritum ore excipiat . Mos iſte Graecis ſolemnis fuit . De Procri in Cephali ſinu exſpirante , ita Ovid. de Arte Lib. III.

Dixit , & incauto paullatim corpore lapſus
Excipitur miſeri ſpiritus ore viri .

Et

Et Metamorph. Lib. VII. verſ. 860.

——— ——— me ſpectat, & in me
Infelicem animam, maeſtoque exhalat in ore.

Et rurſus Lib. XII. verſ. 424.

——— ——— ——— ——— oraque ad ora
Admovet, atque animae fugienti obſiſtere tentat.

Et Virgilius Aeneid. Lib. IV. de Anna, verſ. 684.

——— ——— Si quis ſuper halitus errat,
Ore legam. ——— ——— ———

De Romana muliere Statius Silv. Lib. V. verſ. 6.

Haerentemque animam non triſtis in ora mariti
Tranſtulit: ——— ——— ———

quibus demum adcedit Ciceronis locus in Verr. V. 45. qui unus omnium loco mihi eſt: *Matres miſerae pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberûm excluſae: quae nihil aliud orabant, niſi ut filiorum extremum ſpiritum ore excipere ſibi liceret*. Putabant ſiquidem hominum animas ad inſtar aurae tenuis per os offerri; quare ſenes, ac debiles animam in ſummis labiis continere dicebantur. Seneca Epiſt. 30. *Non dubitare ſe quin ſenilis anima in primis labiis eſſet, nec magna vi abſtraheretur a corpore*. Et alter Seneca in Hercule Furente verſ. 1308.

——— ——— Hanc animam levem
Feſſamque ſenio, nec minus quaſſam malis,
In ore primo teneo. ——— ———

Id officium non ſola tantum pietas eliciebat, ſed etiam Religio. Credebant enim animas corpore functas ante officia ſepulturae vagas eſſe, nec uſquam conſiſtere. Audi Patroclum ita Achillem in ſomniis adloquentem. Iliad. Ψ.

Sepeli me quam citiſſime, ut Pluti portas intrem:
Longe me abigunt animae, umbrae defunctorum.

Et Virgilius Aeneid. Lib. VI. verſ. 326.

Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt:
Portitor ille Charon. Hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt

Interim vero dum animae in ſinu propinquorum exciperentur, putabant adhuc placidas moras trahere, quoaduſque ſepulturae locum obtinerent. Tunc enim *deponi* in ſepulcro, & quodammodo conlocari, ſeu *tumulo condi* dicebantur. Ovidius Faſtor. Lib. V. verſ. 17.

Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras.

Et Virgilius Aeneid. Lib. III. verſ. 68.

———— *animamque ſepulcro*
Condimus: ————

quo in loco Servius ex penitioribus Religionis arcanis haec promit: *Legimus in VI. inſepultorum animas vagas eſſe: & hinc conſtat* (Polydorum) *non legitime ſepultum fuiſſe. Rite ergo reddita legitima ſepultura, redit anima ad quietem ſepulcri, quam Stoici herciſcundi, ideſt, medium ſequuti, tamdiu durare dicunt, quamdiu durat & corpus: unde Aegyptii periti ſapientia, condita diutius reſervant cadavera, ſcilicet, ut anima multo tempore perduret, & corpori ſit obnoxia, nec cito ad alia tranſeat.*

Anne igitur nulla Orci aut Tartari officia, & beatae ſedes Elyſiorum inanes erant, dum uniuſcuiuſque anima ſepulcro claudebatur? Nuſquam rerum, ſi nugis Ethnicorum aures admovemus. Improprie enim *animam tumulo condi* dicebant, quae, quia tota caeleſtis eſſet, reſoluta in caelos avolabat. Putabant tamen praeter ipſam animam & corpus, intermediam quandam in homine extare ſubſtantiam, utriuſque participem, quam Platonici *vehiculum* nuncupant, cui quidquid in vita peccatum eſſet, culpae imputaretur: quaeque, niſi expiari potuiſſet triplici illa purgatione, de qua Virgilius in VI. verſ. 740. aeternis cruciatibus plecteretur. Ita Servius in memoratum Virgilii Librum verſ. 739. *Depoſito corpore, ſordes ſuperſunt. Poenas autem minime perferunt animae; ſed illius coniunctionis reliquiae, quae fuit inter animam & corpus.* Hanc ſubſtantiam alibi *umbram* ſive *imaginem* vocat, ut Aeneid. Lib. II. verſ. 772. *Simulacra Deorum ſunt: umbrae inferorum. Sic Vlyxes in Homero umbram Herculis apud inferos cernit; quia poſt mortem umbrae inferos, animae caelum petunt.* Et Aeneid. Lib. IV. verſ. 654. ſub terras ibit ima-

imago: *Bene imaginem dixit; valde enim quaeritur apud Philoſophos, quid illud ſit, quod inferos petat; ſed definiunt eſſe quoddam ſimulacrum, quod ad noſtri corporis effigiem fictum, inferos petat: & eſt ſpecies corporea, quae non poteſt tangi*. Has igitur umbras ſive imagines, quum inſontes eſſent, nec crimine adſtrictae, *laeta arva tenere* crediderunt, aut ſuis ipſis in tumulis (haec erat erroris incoſtantia) placide conquieſcere, adſiſtere ſilicerniis, frui oblationibus, & libaminibus veſci. Hinc Ovidius Faſt. Lib. II. verſ. 551.

————— buſtis exiſſe feruntur,
Et tacitae queſti tempore noctis avi.

Et paullo poſt, ſcilicet verſ. 565.

Nunc animae tenues, & corpora functa ſepulcris
Errant: nunc poſito paſcitur umbra cibo.

Huc reſpexit Lex Theodoſii & Valentiniani C. *Theod. de Sepulcr.* in qua innuere videntur, aliquid praeter animam in ſepulcri quiete commorari, quod ſenſu non careret; fatentur quidem, *in originem ſuam ſpiritum redire caeleſtem*; ſed a ſepulcrorum violatoribus *quietos ſolicitari funeſtis auſibus Manes*. Non deſunt plura Chriſtianorum monumenta, ex quibus idem apud eos error argui poſſe videtur; nondum enim omnia ſuperſtitionis detrimenta evanuerant, & in ipſa Chriſtiana ſimplicitate aliquid e veterum Ethnicorum conſuetudine interdum pellucet.

Matrona, quae, ut monebam, puerum admovet ad os morientis: ſolito matrum Etruſcarum habitu induta eſt, talari nempe tunica, ac ſtola, quae ſupra caput recurrit. Ita ſe habent nobilium feminarum imagines quotquot ſepulcris inſidentes ſculptae cernuntur. Dearum quoque ſimulacra pari cultu in hunc modum exornantur.

III. Servus ad lectuli caput, manibus dolorem exprimens, adſtat, ſola tunica indutus, eaque oblonga, nec ultra cubitos manuleata, cuiuſmodi Graeci κολοβίωνας, ſive *truncas* vocant. Forte Servus cubicularis deſignatur, qui obſequiis domini morientis praeſto eſt.

IV. Qui pone ſequitur vir palliatus, & ipſe pari modo ſignum doloris elata manu ſignificat. Solemnis haec fuit formula doloris exprimendi. Ita Mezentius in Lauſi morte apud Virgilium Aeneid. Lib. X. verſ. 844.

——————— ambas
Ad caelum tendit palmas.

M 2 Vni-

Vnico pallio, ſine inferiore tunica veſtitur, quo in humerum reiecto, brachium exſerit nudum. Ita plerumque veſtiuntur viri, quos in Etruſcis vaſculis depictos obſervamus, geſtu plerumque ſacrificantium; unde commonemur, hanc veſtis formam minime fuiſſe plebeiam ſive ſervilem. Hoc veſtitu diu Romani uſi ſunt: qui *primo quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerunt*, ut ait Gellius Lib. VII. Cap. XII. Romuli quoque ſtatuam in Capitolio & in roſtris ſine tunica fuiſſe memorat Plinius Hiſtor. Natur. Lib. XXXIV. Cap. VI.

V. Ancilla, quae ſubſequitur, egregie conceptum dolorem, urgente heri morte, deſignat. Vtraque manu ſinum premit, & a ferali ſpectaculo vultum avertit. Nudo pectore & brachiis incedit: qui habitus erat funerum peculiaris. Ita enim Aegyptiae mulieres in Regum funeribus leſſum faciebant. Audi Diodorum Siculum Lib. II. *Quum quis Regum deceſſit e vita, Aegyptii omnes mortem communi moeſtitia lugent, veſtes lacerant, ac ſindone ſubtus mammas cincti, una viri innuliereſque, ducenti ferme & trecenti, circumambulant bis in die*. Vidiſti praeterea frequenter, MONTEMELLINE CLARISSIME, in Etruſcorum ſepulcris quaſdam feminarum imagines, quae alis inſtructae, armatae facibus, ſecuribus, rhomphaeis, pugionibus, malleis, hinc inde veluti cuſtodes adſtare videntur, & cineres tueri. Hae aliquando Furias repraeſentant, quae depugnantes viros miſere in necem impellunt, ut in Epiſtolis Roncalienſibus luculenter oſtendi: quandoque Genios & Genias defunctorum exprimunt, ut in earum Epiſtolarum decurſu comprobatum iri confido. Hae igitur, ſive Geniae ſive Furiae, hoc funebri & vere ſepulcrali veſtitu ad luctum exprimendum effictae ſunt, nudo pectore & brachiis, unico hoc amictu praecinctae; cuius tamen prolixitas ne videretur praepedire volucrem illam, & de caelo profectam naturam, conſultum eſt, ut veſtis dupliciter ſuccincta colligeretur, ſuperne etiam, qua cingitur, in tumentes folliculos contracta atque criſpata. Alium praeterea funerum morem indicat in hoc marmore eadem Ancilla, quae manus ad ubera comprimit. Mulieres quippe in funeribus lac ex mamillis exprimebant, quo mortuorum umbris rem gratam praeſtarent. Ita Servius in Lib. V. Aeneid. verſ. 78. *Vmbrae ſanguine & lacte ſatiantur. Vnde feminae, quae mortuos proſequuntur, ubera tundunt, & lac exprimunt.*

VI. Rurſus Matrona occurrit, ad lectulum morientis converſa.

VII. Subſequitur Ancilla priori ſimillima, quae & ipſa, admotis pectori manibus, lac e papillis exprimere, ut altera, videtur.

VIII. Rurſus altera Matrona ſequitur. Vides igitur, harum quam-

quamlibet a ſua Ancilla praecedi, quae in ſubſequentem dominam lugubriter converſa, videtur lamentari.

Matronae, quae tres in hoc Vrnae operculo occurrunt, pari cultu ſtola caput obnubunt. At manu dextera ſtolae laciniam perbelle ſuſtollentes, oculos velant, ne fratris morientis ſpectaculum triſte intueantur. Adi, VIR ERVDITISSIME, Muſei Etruſci Tabulam CXXXIII. num. II. quo in loco anaglyphum ſepulcrale cernes, in quo mulier moriens exſculpta eſt. Adit feralem torum matrona, velo capiti circumvoluto: quam ſequitur puella, quae velum manu adtollens, oculos prohibet, ne funus adſpiciat. Memini quoque me vidiſſe penes Celeberrimum Montfauconium Antiq. Explic. veteris Sarcophagi exemplar, in quo alterius mulieris exequiae delineatae ſunt. Matrona in cathedra ſedet, veſtem ante oculos adtollens. Graeci in funeribus flentes, caput obvelabant. Homerus Iliad. Ω.

Filii quidem patrem (Priamum) *circumſedentes in aula*
Lacrymis veſtes rigabant: ipſe vero in medio ſenex
Obvolutim toga tectus. ——————

Et Euripides in Oreſte:

—————— (Oreſtes) *intra veſtem*
Occultatus plorat ——————

quae conſuetudo ſolemnis etiam Hebraeis fuit, qui, ut dolorem exprimerent, veſte ſua operiebant caput.

Hucuſque luctus domeſticus. Succedit externus, & qui circa pyram eſt adparatus. Viri tres palliati, & iuvenes duo, ſubſequente ſeniore, fratre fortaſſe, cum patre, morientis pyram adeunt, ſiniſtra vittam ſive corollam laneam extollentes, cuiuſmodi mortuis offerri conſueviſſe monumenta omnia Etruſca teſtatum faciunt: illorum ſiquidem imagines ſepulcris imponi ſolitae, quotquot fere exſtant huius generis, redimiculis ſeu ſertis e collo propendentibus decorantur. Etruſca etiam ſepulcra intrinſecus velis cingebantur, leniter ad inſtar encarpotum ſinuatis, ut in illo apud Dempſterum Tabula LXXIX. & in alio Tudertino, quod penes Clariſſimum meum Oliverium adſervatur cuius monitu certior factus ſum, in ingenti illo Sepulcro prope Eugubii moenia ſuperexſtante (vulgo audit *il Mauſoleo*) marmoream cameram, Etruſca coronide cinctam, aeneos claviculos exſtantes, & in ordinem diſpoſitos adhuc ſervare ad iſthaec ornamenta ſuſtinenda. Quin & auctoritate Virgilii, &

Ovi-

Ovidii inſuper edocemur, id apud Poenos in uſu fuiſſe. Sic primus Aeneid. Lib. IV. verſ. 457. de Sichaei ſepulcro:

Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis & feſta fronde revinctum.

Alter vero Heroid. VII. verſ. 100.

Eſt mihi marmorea ſacratus in aede Sichaeus,
Adpoſitae frondes, velleraque alba tegunt.

Aram quoque ſepulcralem hiſce ſertis ex lana ambiebant In Etruſci Vaſculi pictura, quam publicavit Cl. Montfauconius Antiquit. Expl. ara inſpicitur tribus taeniolis circumcincta, cui adprime reſpondet Propertii locus Lib. IV. Eleg. VI. verſ. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Propertianae vero auctoritati mire reſpondet hoc, quod illuſtramus, inſigniſſimum marmor, in quo tria ex his ſertis ad aram conferuntur.

XII. Hos praecedit vir inſignis tunica & pallio, ſeu toga, quae more inſolito ſupra humerum revoluta, minime popularis, ſed alicuius officii inſigne fuiſſe videtur. Hic manu elata retrorſum converſus de aliqua re monet ſubſequentes viros; fortaſſe agit ductorem funeris, eorum nempe, qui flentes lamentabantur.

XIII. XXIV. XXV. Adeunt deinde pyram vir alter, item mulier, & puella: quae poſtremae elata altera manu, altera vero facile pectus tundentes, videntur lamentari.

XXVI. Poſtremus omnium vir, forte neniarum moderator & princeps, ad pyram converſus, dextera in illam elata, Carmen aliquod proferre videtur, ramuſculum ex lauro ſiniſtra demittens ad luſtrationem peragendam: *Sacrificantes Diis inferis aſpergebantur aqua, ſuperis abluebantur*, ait Servius ad Aeneid. Lib. IV. verſ. 635. quapropter Dido ſororem orat, ut

——— *corpus properet fluviali ſpargere lympha:*

& Aeneid. Lib. VI. verſ. 229. in Miſeni exequiis:

Idem

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivae:
Luſtravitque viros, dixitque novissima verba.

Vidi Romae ad D. Pauli in via Oſtienſi elegantiſſimum cinerarium, in quo arferial, ſive vas aquae luſtralis, e quo lauri ramus prodibat, exſciſum erat. Idem vas, ſed duobus cum ramuſculis adſurgentibus, videre eſt in veteri Lucerna Muſei mei, ex agro Piſaurenſi in villa S. Martini ſuperioribus annis eruta.

XVII. Succedit pyra, quam loci anguſtia ad veram menſuram proferri non tulit; quum eae, quae magnatibus exſtruebantur, in immenſam paene molem adtollerentur. Patrocli rogus Iliados Lib. Ψ. ad centeſimum uſque pedem undequaque protendebatur: rurſuſque Hectori exſtructus Iliad. Lib. Ω. ex *immenſa materia* conſtabat. Omnium autem ingentiſſimum fuiſſe Archemori buſtum decantat Statius Thebaid. VI. Inſuper Dido moritura Aeneid. Lib. IV. verſ. 645.

———————————— altos
Conſcendit furibunda rogos. ————

Denique Miſeno, privato homini, *ingentem pyram* exſtructam tradit idem Virgilius Aeneid. Lib. VI. Huius marmoris pyra ita ſtudioſe concinnata eſt, ut inferae arae ſpeciem repraeſentet. Id poſtea Romani ſequuti ſunt, non ſine nota procuratae ambitionis cineri, & quod immenſis operibus unius momenti aetatem definierint, adhibito etiam picturae ſubſidio, ut ſtrues illa lignorum obvelata grandius aliquid imitaretur: quem luxum notat Plinius Lib. XXXV. Cap. VII. Omnium tamen ſpecies familiarior ea ipſa fuit, quam nobis ob oculos ponit patrium hoc tuum marmor, MONTEMELLINE PRAECLARISSIME, arae nempe imago, pyra prominente. Audi Herodianum, qui pyram Auguſteam ita deſcribit Lib. IV. 2. *Suggeſtus ſpecie quadrangula, lateribus aequis, adſurgit nulla, praeterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam.* Aram etiam referebat Claudii Secundi, Quintilli, & aliorum eius temporis rogus, ut nummi evincunt. Pyrae noſtrae apicem e lignis dedolatis, & alternatim poſitis compactum fuiſſe cernimus: quem luxum poſtea lex Romana perſtrinxit apud Ciceronem de Leg. Lib. II. 23. *Hoc plus ne facito. Rogum aſcia ne polito.*

XVIII. Velum ſuperne expanſum protegit ipſam pyram, quod ſubfixae trabes, aut arbores circumſtantes ſubſtentabant: ſic nempe & maieſtati mortuorum, & cadaverum integritati conſulebant,

quo-

quoties ludorum adparatus ſepulturam differebat. Ita Patrocli cadaver Deorum beneficio defenſum eſt immiſſa nube, quae pro umbraculo deſerviret; etenim non tantum

——— ——— Iovis filia Venus
Dies & noctes roſaceo eum unxit oleo
Divino; ———————

ſed etiam:

Huic nigram nubem induxit divinus Apollo,
Quantum occupabat cadaver, ne prius vis Solis
Siccaret circum circa corpus, & nervos & membra.

Etruſci vero noſtri Diis Manibus ſuprema officia peragentes, linteo ſeu velo protenſo, id beneficium obtinebant.

XIX. Hactenus deſcripſi, COMES NOBILISSIME, dexterum ſculpturae latus. Adgredior ſiniſtrum, atque a lectulo iterum exordior. Medicus, ni fallor, morientis manum dextram adprehendere videtur, veluti confirmans ad aeternitatem capeſſendam, in qua iam iam Deus fiat. Pallii ſeu togae vicem gerit caſula quaedam, quae ab humeris in pectus & terga deſcendens, aequali ambitu ſinuatur: in ipſis tamen humeribus ita complicata atque reflexa eſt, ut brachii utriuſque liberum uſum patiatur. In Etruſcis monumentis minime adhuc hanc veſtem animadverti; illi tamen quodammodo adfinis eſt, quam Antiſtitae duo ſacrificantes geſtant in Lucerna mei Muſei Tom. I. Tabula XXXIX. Caſulam adpellavi, quum Auctores de re veſtiaria illam ita definiant: *Veſtis, quae omnibus aliis circuminiicitur, cuius errabundus limbus utrinque in brachia ſublevatur, in pectore & inter humeros duplicatur, & in utroque brachio triplicatur*. Spero tamen tam multa Etruſcae antiquitatis monumenta proditura, ut aliquando, quae ſingularia modo ignorantur, multiplici collatione eluceſcant; praecipue ſi principes viri cumprimis, & docti illam in eis evulgandis adhibeant curam, quam in Te, VIR CLARISSIME, experimur.

XX. Miniſter adſimili veſte inſignitus ad lectuli pedes manus elevat, veluti proficiſcenti animae bona omnia ominetur.

XXI. XXII. At duo Iuvenes palliati, qui huic proxime ſuccedunt, utraque manu capillos lacerant.

XXIII. Hos imitatur ſenex ſuccedens, cuius veſtis eſt caſula amplior; quae tamen a ſuperioribus differt; illae enim tunicae manuleatae ſuperimponuntur; iſta ſuper nudo: haec amplior

eſt,

eſt , atque laxior , ut infimae veſtis defectum compenſet . Illae praeterea ex unico panno conſtant , hinc atque inde dependente ; haec vero ex duplici , quae fibulis in humero iunguntur : imo in ſequentibus imaginibus , laxata altera ex fibulis , humerum & latus detegit : ut mirari non deſinam Etruſci ſculptoris induſtriam, qui non modo geſtu & inceſſu corporis ; ſed etiam incondito hoc veſtium cultu dolorem expreſſit . Haec forma veſtis , omnium ſimpliciſſima atque expeditior , artificibus humilioribus poſtea communis fuit . Porro fabri illi ferrarii , qui in veteri anaglypho Muſei Oliverii expreſſi ſunt , itemque navium ſtructores in marmoribus Ravennatibus , ita veſtiuntur .

XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII. Adeunt praeterea morientis cubile ſenex , tamquam Choragus , qui ſtat in medio ſex hominum , trium nempe a dextris , trium a ſiniſtris : quorum tres barbati ſunt ; tres vero adoleſcentes & imberbes , qui caput tundentes compreſſa utraque manu , dolorem in funere ſuum exprimunt .

XXVIII. XXIX. His geſtu & cultu veſtis ſimiles ſequuntur duo iuniores, moerorem ſuum ſignificantes. Horum ſtaturae diſparitas manifeſte evincit , integram familiam in hoc Etruſco marmore ſingillatim & ad vivum deſcriptam , veſtibuſque officio & ſtatui unicuique reſpondentibus mire variatam : numeroſam ſane , & dignam ſummo viro familiam ; quippe ſi e toto adparatu publicos aliquos miniſtros detraxeris , triginta fere , qua viri qua mulieres , domeſtico funeri interſunt . Hi vero , quos ultimo loco memoravi , utraque manu capillos vellunt , minimo excepto , qui dexteram tantum ad crines admovet , ſiniſtra lacrumas tergens . Capillos in funeribus ſcindere , & in rogum proiicere , Graecis uſitatiſſimum fuit . Sic ſocii Patrocli Iliad. Ψ.

Capillis totum mortuum tegebant , quos iniecerunt
Tonſi ——————————

quin & ipſe Achilles :

—————— *flavam incidit comam .*

Lycurgus quoque apud Statium Thebaidos Lib. VI.

————— *tergoque & pectore fuſam*
Caeſariem ferro minuit , ſectiſque iacentis
Obnubit tenuia ora comis .

N Et

Et apud Euripidem in Oreſte verſ. 94. Helena ita Electram precatur:

Vis me adcedere ad ſepulcrum ſororis
Ferens primitias comae meae, & meas inferias?

Nec tantum incidere, ſed per vim evellere quoque crines ſolebant. Ita Cicero Tuſc. Quaeſt. III. *Hinc ille Agamemnon Homericus, item Accianus*, ſcindens dolore identidem intonſam comam, *in quo facetum illud Bionis, perinde ſtultiſſimum Regem in luctu capillum ſibi evellere, quaſi, calvitio maeror levaretur*. Latini quoque hunc morem exceperunt, Petronio teſte, Cap. XXXI. *Laceravit vehementius pectus, ruptoſque crines ſuper pectus iacentis impoſuit*: perhibeturque dictum illud Lucilii ex Satyra XXII.

——— ——— ——— mercede, quae
Conductae flent alieno in funere, Praeficae,
Multo & capillos ſcindunt, & clamant magis.

Huius conſuetudinis rationem, quam nemo, quod viderim, adtigit, eam fuiſſe puto, ut viventes aliqua corporis ſui parte mortuum ſequerentur, eiuſdemque rogi participes ſine detrimento fierent. Certe in capillis vim quandam vitae conſtitutam eſſe putabant veteres, ut ex Virgilio Aeneid. IV. verſ. 698. colligi poteſt; non enim ex aerumnis mortis Dido liberari, animamque efflare poterat, quia

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Quapropter Iris miſſa ad idem officium ſubeundum:

——————————— Hunc ego Diti
Sacrum iuſſa fero, teque iſto corpore ſolvo:
Sic ait, & dextra crinem ſecat. ———

Quandoque tamen capilli minime evellebantur, quum ſolo capitis tactu conceptus animi dolor ſignificaretur. Sic Troiani in Hectoris funere Iliad. Ω. cadaver circumibant

Tangentes caput: ———————

Si divinari licet, ſupramemorati adoleſcentes filii ſunt viri morientis, ſubſequente eos Paedagogo.

XXX. Imagines, quae ſequuntur, & retrorſum abeunt, pertinent plane ad uſtrinae adparatum. Iuvenis palliatus, ſiniſtro brachio exſerto, ingentem lituum auguralem, ut ſubſpicor, ſuſtinet.

XXXI. Is dexteram adtollit, & Senem adloquitur, qui in ipſum convertitur.

XXXII. Iuvenis alter lituum, ſed breviorem inclinat, & dextera veſtem colligit, qua in rogum aliquid deferat comburendum: fortaſſe odoramenta, quorum ingentem vim in illis ſtruibus coniectam, Scriptores omnes teſtantur. Hos Augures eſſe, ex inſigni, quod praeferunt, facile crediderim.

XXXIII. Sacerdos, cuius brachia veſte conteguntur, dexteram extollens, ſiniſtra lauri ramum inclinat, quo populus peracto funere hinc atque inde duplici adſperſione purgaretur. Alterum Sacerdotem adcedentem ad aram, gerentemque lauri ramuſculum ad luſtrationes peragendas, ſculptum adſpicis num. XVI. cui ad alterum arae cornu num. XXXVII. ſocius iungitur Augur ſiniſtra lituum gerens, ſublata boni ominis cauſa dextra manu.

XXXIV. Hunc adloquitur Iuvenis, ut ceteri, palliatus, qui ſiniſtra tabellam ſuſtinet, dextera vero illam deſignat, quaſi aliquid ex ea prolaturus. Funebres forte hymni, naeniae, aut mortui laudes in ea continebantur. In Peruſinis Oſſuariis, editis apud Dempſterum Tabula IX. & Muſei Etruſci Tom. I. Tab. CLXXII. funeribus adſtat Praefica, quae ad tibias & cytharam ex tabella quidpiam recitat.

XXXV. XXXVI. Iterum Iuvenis & Senex, elatis ad caelum manibus, mortui virtutes videntur celebrare.

XXXVII. Augur demum inclinato lituo manum elevat ſupra pyram. Augures, & Vates in funeribus adhibitos, docet Statius loco citato:


> *Parte alia gnari monitis exercitus inſtat*
> *Auguris aëriam, truncis, nemorumque ruina*
> *Montis onus cumulare pyram.*

At quia anaglyphi exilitas, & temporum vetuſtas in aliquibus ſymbolis haerere nos cogit: vereor, ne lituos pro funalibus uſurpaverim, quibus ignis rogo ſubponeretur: quae quia ex funibus conſtabant; mirum non eſt, ſi incurva in litui ſpeciem inſculpta adpareant. Facile etiam, monente Gorio, hi Tibicines eſſe poſſunt.

His ſcriptis, adiicere ſecundas curas libuit; nam num. XIX. monente eodem amiciſſimo Gorio, virum illum togatum, qui morientis manum dexteram adprehendit, non Medicum, ſed potius Tu-

torem eſſe probabile videtur ; quandoquidem pueros a moriente viros relictos marmor teſtatur. Ita enim data dextera fides promittebatur : cuius exempla habemus apud Tacitum Annalium Lib. XI. num. 8. *Iuravere amici, dexteram morientis* (Germanici) *contingentes*. Tradebant praeterea morientes Tutori aut heredi claves, & anulos ſignatorios : cuius moris exemplum ſuggerit nobis Lex *cum Pater -- ff. de Leg. II. Pluribus filiis heredibus inſtitutis, moriens claves & anulum cuſtodiae cauſa maiori natu filiae tradidit*. Quare, quod de Medico propoſueram minus placet, & Tutorem, ni viri docti repugnant, ſubſtituendum cenſeo.


Rogante eodem Gorio amico noſtro, lubet nunc ſubiicere explanationem Etruſcarum duarum inſcriptionum, quae in duabus Acheronticis columellis Peruſiae erutis leguntur, quarum prior exſtat in Hortis Nobiliſſimi Comitis Eugenii ; altera vero in Muſeo Nobilium Comitum Oddiorum. Has idem Gorius, ut ſupra monebam pag. 87. iterum in lucem produxit in Tabula XVIII. num. v. & vi. ne quid huic meae lucubrationi deeſſet, atque ut omne decus huic Diſſertationi meae, qua Peruſinorum Etruſca monumenta inſigniora illuſtrare conatus ſum, adcederet. Prior haec habet:



Tarvis Malvi
Chanvi Therini *lu. lc.*

Sed ut in Roncalienſi Epiſtola II. pag. 380. monebam, ſcriptum potius conſtat *Chan Materini*, indicata defuncti hominis *Tarvi Malei*, ſeu *Maleotis* patria, in Mevaniae regionis parte, quae ex Livio Lib. IX. innoteſcit : *Materina plaga una : Materinam ipſi adpellant*. Vocabulum vero *Chan*, ſeu *Cana*, aut *Can*, ſacris initiatum hominem indicare videtur, ex חנך *Chanach*, *initiare*, ſive *dedicare*. Notam illam ſeorſim ſcriptam, ΛC numeralem eſſe crediderim: priorem vero, quae LY. exprimit, eſſe initium λυκάβαντα, quae annum indicat, quam & in aliis epitaphiis obſervavimus.

In altera Etruſca columella ſcripta bis invenitur Etruſca littera Q, quae, quum raro in aliis monumentis occurrat, adhuc non conſtat num referat CH, ut Cl. Bourguetio viſum eſt, vel ut Gorio K, vel ut alii cenſent, potius ad Φ Graecorum adcedat. Minime tamen abſurdum videtur ſubſpicari hinc apud Latinos ortam litteram Q, quae ut formam, ita etiam poteſtatem retineat. Ita igitur Etruſca eius epigraphe ſe habet:



Kaqatiav
Avath q ſei

Si

Si vero docti viri cenſent eam litteram ϙ, poteſtatem habere litterae F, hinc elucet *Caiae Fatiae* nomen, quod apud Etruſcos familare fuiſſe, docet Piſaurenſis *Cai Fatii Fulguriatoris* inſcriptio bilinguis, Etruſca nimirum & Latina, quae incipit ƨƎϮH8AↃ : *Kaſates:* atque horum monumentorum fide & auctoritate illud adnotare poſſumus, Etruſcos in more habuiſſe ita praenomen cum nomine ſimul nectere & conligare; quamvis reliquas voces punctis adpoſitis diſtinguerent. Erit etiam qui cenſeat integrum heic CAFATIAE familiae nomen exhiberi abſque praenomine: cuius exempla occurrunt in vetuſtis ſaxis; ut apud Fabrettum Inſcript. Domeſt. Cap. V. num. XII. & apud Cl. Gorium in Par. I. Inſcriptionum, quae in Etruriae Vrbibus exſtant, pag. 294. num. 16.

DIS . MANIBVS
CAFATIAE HEVREN
VIXIT ANN. VII.
DIENS . XXX.

CAFATIA . C . L
FAVSTILLA
VIX . AN
XXV
IN.F.P.X.IN.A.P.XII

Illud etiam adnotare iubet, Etruſcum genitivum femininum in AV deſinere, pro in AI, quo uſi ſunt priſci Latini, qui ſcripſere *bonai feminai*. Alterum huius inflexionis exemplum mihi occurrit in epigraphe, quae ſub imagine occurrit Etruſcae mulieris ſupra ſepulcrum ſuum dormientis, ut videre eſt in Muſei Etruſci Tabula CLVIII.

IЯAИ ƎAVJƎA *Avlav Nari*

quod valet *Aulae Nariae*, ſive *Narii* uxoris. Quae ſequitur vox ΘAVA *Avath*, facile originem habere poteſt ab IƎA *avi*, quod verbum apud Etruſcos *vitam degere*, ſeu *vivere* ſignificat, ut in Epiſtola II. adnotavimus. Haec quoque vox cum ſequenti coniuncta facile eam formulam continere poteſt, quae aequivaleat AVE, ſeu VALE Latinorum. Quod ſi alicui potius placeret vocis ſignificationem expiſcari in lingua omnium parente antiquiſſima, facile inveniret אבק *avach* ſignificare *pulverem*, aut *tenuem terram*; quae etiam referri poſſet ad defunctae mulieris *cineres*, vel ad ſupremam iniectionem terrae ſuper ſepultum eius cadaver.

Vides, CLARISSIME MONTEMELLINE, quam conſonent veterum Peruſinorum inſtituta cum Graecorum moribus, ut ſi cetera deficerent, vel hoc argumento comprobari poſſet, ex eodem fonte illos originem deduxiſſe. Vtinam huiuſcemodi libri marmorei, qui

Etru-

Etruſcam illam Peruſiam reſtituunt nobis, atque integrant, frequentius prodeant, ne deinceps conqueramur invidiam Romanorum & Peruſinas aras, & florentiſſimam, ac veteri patriae meae finitimam urbem, penitus evertiſſe. Gratulor tamen nunc una tecum, viros plurimos, doctrina, opibus & dignitate pollentes, huic negocio curam omnem adhibere, & imitari ac ſequi ſtudia maiorum ſuorum, quos inter ſummos atque egregios homines ego adhuc adoleſcentulus ſuſpiciebam, ac paene venerabar Tullium Gratianium, lectiſſimae eruditionis virum, & antiquae probitatis. Vetus praecipue Peruſinorum moneta omni ſtudio nunc conquirenda eſt, ne Iguvinis meis, Tudertibus, Volaterranis, Atriatibus, ceteriſque, quorum nummi nuper prodierunt, Peruſia tua cedere videatur. Ab hac tamen ſpe excidere videmur, quum ſciamus, Etruſcam Peruſiae monetam crebris incurſionibus direptam, ac multis impoſitis a Romanis paene corraſam. Ita Livius Lib. X. *Fabius in Etruria rebellante, denuo quatuor millia & quingentos Peruſinorum occidit: cepit ad mille & ſeptingentos, qui redempti ſingulis aeris trecentis decem:* & rurſus: *Tres validiſſimae urbes Etruriae captae, Vulſinium, Peruſia, Arretium: multa praeſens quingentûm millium aeris in ſingulas civitates impoſita:* quod non tantum monetae veſtrae fatale fuit, ſed & Vulſinienſium & Arretinorum, quorum profecto monetae exemplar adhuc deſideramus; quum e contrario Tudertium, qui Romanis perpetuo adhaeſerunt, ubique proſtet. Credibile enim eſt, Romanos hoſtilem monetam, & praecipue graviorem, in unciales illos ſuos omnium tenuiſſimos aſſes conflaviſſe. Adnuat tamen litterarum fortuna auſis hiſce pulcherrimis, quorum ope hiſtoriam patriam ſentiamus augeri, atque ſtudioſi huius ſaeculi eruditionem. Vale communi bono, noſtraque haec ſtudia favore tuo amplifica, & pauca haec humaniſſima excipe voluntate.

DE ANTIQVA

VELCIORVM ETRVSCORVM

FAMILIA PERVSINA

DISSERTATIO

AD

FRANCISCVM ANTONIVM DOMITIANIVM

TVDERTEM

AMICVM OPTIMVM ATQVE MERITISSIMVM.

QVod veteres Romani publice teſtati ſunt, quoties Caeſares Auguſti felicitati & tranquillitati populorum, & aeternae Vrbis florentiſſimo imperio proſpicerent, editis numiſmatis, in quibus in honorem eorumdem ſcribendum cenſuere ROMA RENASCENS. ROMA RESVRGENS. id ipſum uſurpare mihi liceat hac aetate, ut quum videam magnopere florere, augeri in dies, & ad aeternam huius frugiferi ſaeculi laudem mirifice amplificari Etruſcarum Antiquitatum ſtudia, certantibus undique egregiis viris, qui ea ab interitu atque oblivione vindicant magnis impenſis, magniſque laboribus conquirunt, atque diuturnis vigiliis & lucubrationibus in lucem proferunt & illuſtrant; minime abſurdum videatur, ſi antiquam ETRVRIAM renaſci ac reſurgere in hac temporum beata luce adfirmem. Inter viros, de Etruſcis Antiquitatibus optime meritos, iure ac merito lubet nunc Te recenſere, DOMITIANI ERVDITISSIME, Teque, in priſcis hiſce Vetuſtatis divitiis inveſtigandis ſtudioſiſſimum, aeterno huiuſmodi benevolentiae meae teſtimonio praedicare, & quod hiſce meis obſervationibus DE ANTIQVA VELCIORVM ETRVSCORVM FAMILIA PERVSINA anſam, optatumque lumen, ut de ea diſſererem, eorumque originem aperirem, opportune praebuiſti.

Scribis enim, datis ad me tuis litteris, in ea Peruſini pomerii parte, quae contra Tudertum inclutam patriam tuam reſpicit, nuper Etruſcum Sepulcrum effoſſum fuiſſe; ſed quod me valde contriſtavit, illud fuit, ſtatim rudium villicorum barbara immanitate dirutum, vaſtatumque ita fuiſſe, ut ingentis illius theſauri priſcae eru-

eruditionis, quem continebat, quique auro carior cultoribus doctae Vetuſtatis futurus erat, vix pauca litterata fragmenta ſuperfuerint. Quod quidem fatum, haud plane novum nec inauditum, quod rudioribus ſaeculis adciderit, in quibus tanto in pretio haec monumenta non erant, nec tanti aeſtimabantur hae Vetuſtatis deliciae, dolendum plane eſt; ſed quod hac aetate in tanta ingeniorum luce frequenter id ipſum contingat, minime ferendum eſſe iure ac merito adfirmas: iuſtaeque ſunt querimoniae tuae, quod maleferiati hi homines in cineres maiorum debacchentur, & Vrnas ipſas immerentes, quae patriae hiſtoriae & nomini urbium maximo ſunt ornamento, impicto ligone comminuant, evertant. Haec omnia litteris quoque Nobiliſſimi ac Praeſtantiſſimi Viri Diamantis Comitis de Montemellino, & adcurata deſcriptione mihi nuntiata ſunt, quibus & Sepulcri locum & formam ob oculos diligentiſſime expoſuit. Retulit quippe, foſſores cretarios, quum terram altius verterent atque egererent, contra Portam Petri, ad Divi Conſtantii, perparvam Cryptam ſepulcralem, cuius aditus ingenti lapide claudebatur, inveniſſe. Sepulcri huiuſce cavea in ovalem figuram ſinuata erat, latitudine pedum circiter quinque, paullo vero maiori longitudine. Locus undequaque oppletus erat compluribus cinerariis Ollis fictilibus, quarum opercula lamella plumbea hinc inde decurrente obfirmabantur, qualia prorſus Eugubii ad Divae Mariae, quae vulgo *della Piaggiuola* adpellatur, aetate ſua reperta fuiſſe olim teſtabatur Dominicus Paſſerius, pater meus optimus. Praeterea multae quoque ampullae, multaeque patellae fictiles ad manus venere: quae omnia dilapſa deſuper terra commiſcuerat ac defoedaverat. Quamvis vero ex his omnibus vaſcula perpauca integra, quod ad rem litterariam augendam pertinet, egeſta ſint; exſtant tamen fatis iniquiſſimis ereptae, atque ab interitu vindicatae lamellae tres plumbeae, litteris Etruſcis caelatae, ac praeterea unica Olla cineraria pariter litterata, quae reliquorum monumentorum iacturam quodammodo minuunt, quum multa eruditionis fruge ſint referta: quae quidem aeternum exſtabunt, quum Muſei Gratiani egregie ſupellectili adceſſerint: cuius magnificum adparatum, doctorum hominum editis libris celebratum, magis magiſque in dies Comes Vincentius, paternae virtutis ac munificentiae heres, omni laude digniſſimus, ſolerti cura amplificat ac locupletat. Horum monumentorum Iconas ex autographis proferimus in ſubiecta Tabula XXIV.

Locus, in quo huiuſmodi hypogaeum Sepulcrum nuper detectum eſt., adſpectus amoenitate, hominumque frequentia conſpicuus,

cuus, Sepulcretis antiquitus refertus erat, ut mortuorum quodammodo coloniam diceres. Percrebuit ſiquidem fama, vel ipſo Clariſſimo Montemellinio teſte, ingentem illam Vrnarum cinerariarum copiam, quae aetate mea propinquos hortulos ornabant, ex hoc ipſo loco erutas olim fuiſſe. Adſurgit praeterea ibidem ingens ex Signino opere concameratum Sepulcrum, ad quod ego adoleſcentulus recreandi animi gratia tunc divertebam: non longe vero exſtructa eſt Eccleſia Divorum Conſtantii Epiſcopi, & Martini, antiquitate inſignis, atque cultu venerabilis.

Quia vero petis, DOMITIANI OPTIME, ut harumce Etruſcarum Inſcriptionum explicationem proferam: quid de illis ſentiam, ea qua potero diligentia, urgentibus licet mei muneris curis adſidue diſtinear, id tibi praeſtabo. Sepulcrum iſtud ad VELCIAM familiam, inter Peruſinos & Tudertes nobilem, pertinere, vel ipſa nomina titulis lamellarum plumbearum inſcripta, perſpicue oſtendunt. Hanc ipſam vero gentem alia plura Sepulcra poſſediſſe, quod hominibus ſatis fecunda ac frequens eſſet, docet tum hoc Hypogaeum, quod alterius latioris Sepulcri partem eſſe comperimus, tum alia e marmore nobiliſſima Oſſuaria, VELCIORVM nominibus inſignita, quae hac illac diſperſa nobis innotuere. Duo ex his ſupra memoratus Ciattius exſcripſit, hac epigraphe ornata, quae ipſe edidit Peruſiae Etruſcae Lib. I. pag. 33.

𐌋𐌀𐌓𐌈𐌉 · 𐌕𐌖𐌓𐌓𐌋𐌉𐌀𐌓𐌌 · 𐌈𐌀𐌋𐌄 · 𐌄𐌉𐌓 𐌖𐌀𐌋𐌂𐌋𐌀𐌍

Hoc eſt: *Larthi. Turrliarm. Thale. eir Valklan.*

𐌀𐌖 𐌅𐌄𐌋𐌉𐌂𐌖 𐌓𐌀𐌍𐌉𐌀𐌋 *Au Velicu Ranial.*

In hac forte 𐌓𐌀𐌍𐌉𐌀𐌋 *Ranial*, pro *Rantal* ſcriptum eſt: qua voce *ſacram* quamdam *initiationem* ſignificari, in Roncalienſibus meis Epiſtolis oſtendi. Ita pariter in altera epigraphe. 𐌕𐌖𐌓𐌓𐌋𐌉𐌀𐌌. pro 𐌕𐌖𐌓𐌐𐌋𐌉𐌀𐌌. *Turpliam*, ſcalptoris oſcitantia, vel mendo potius exſcriptoris adnotatum eſt; adeoque coniici poteſt *Larthi Turpilio Thaleti* poſuiſſe titulum *Aulum Velcium*, quem *rantiſmate initiatum* fuiſſe ſignificat.

Ad illuſtranda veterum Etruſcorum praenomina praeſto eſt ingens tegula ſepulcralis, quam Clariſſimus Marchio a Pinna nuper donum dedit Celeberrimo Viro Marchioni Maffeio, a quo in Muſeum Veronenſe inlata eſt. Eius inſcriptio ita ſe habet:

𐌀𐌈 · 𐌅𐌄𐌕𐌉𐌖
⊙ 𐌅𐌉𐌐𐌉𐌍𐌀𐌋

Hoc eſt: ATH. VETIV. HTA
VIPINAL.

Hanc, quum prae manibus haberem, duo in ea notatu digna animadverti. Primo vocem ⊙A. ATH, compendiariae notatam, quae integra in aliis Etruſcis inſcriptionibus reperitur. Inter parerga Dempſteriana in Tom. I. pag. 235. ſcriptum eſt VITA. ATIV. iterumque occurrit in alia inſcriptione Tabula LXXXII. eiuſdem Operis; quibus in locis ATIVM praenominis locum tenere videtur. Rurſum in Tab. LI. eadem vox in *obliquo* occurrit IATA. pro ATIAE. Ne tamen dubitemus conciſam hanc notam, praenominum more compendiarie notatam, praenominis vicem obtinuiſſe, eam obſervemus praefixam nomini TETINIAE in altera inſcriptione Cinerarii, quod, ut diſcimus ex Schedis Gabriellianis, exſtabat Cluſii ad Divae Muſtiolae:

AƧIVAИITƎ . TIИTИ . ꟼA . AIИTƎT . ⊙A

quam tamen mendoſe interpunctam, ita reſtituendam eſſe ex aliarum Etruſcarum inſcriptionum conlatione cenſemus:

AƧIVA . ИITƎT . IИTИꟼA . AIИITƎT . ⊙A

nempe: *Athia Tetinia Viro Militari Tetinio felicis recordationis*. Hinc innoteſcit Titinia familia Etruſca, quae frequens memoratur in Gruterianis ſaxis. Non nego tamen, hanc notam ⊙A. ATH. etiam ad *Antonios* facile referri poſſe; quorum nomen, littera M amandata, ATVNIVM Etruſci dixere: quod alibi obſervatum a me eſt. Alterum, quod in hac tegula obſervare mihi contigit, fuit ipſum praenomen ATH iterum repetitum, ſed obliqua ſcriptura. Scalptor enim, qui integram inſcriptionem in obliquum ſculpſerat, quum minus commodam animadvertiſſet, erecta poſtmodum tegula, integram iterum exaravit.

VELCIAE gentis iterum mentio occurrit in alio Oſſuario, edito ex Muſeo Bucelliano a Cl. Gorio in ſuo Muſeo Etruſco Tabula CXCI. in quo haec inſcriptio legitur:

IAꟼTY . ƆVƎƎ . AIATƎƧ	*Setvia . Velc . Vtpai*
AИИHTAVV	*Lauthna*


in qua, uti manifeſtum eſt, *Setvia Velcia* memoratur: qua diſcimus, forte *Servia* inter praenomina apud Etruſcos communia recenſendum eſſe. Alium inſuper ſepulcralem titulum fictili Vrnae Cluſinae inſcriptum videre eſt apud Dempſterum Tabula LXXXIV. qui haec habet:

VꟼVV . VAИIꟼIA . VVAIƆVƎƎ . OV

Hoc eſt: *Lth. Velcialu. Vipinal. lupu.*

His

His addere lubet inſcriptionem caelatam in Columella mei Muſei, quam exhibet Tab. XIII. & in Acheronticο meo explicavi Cap. xv. pag. 60.



Hoc eſt : *Tutnita : Faſti Veelcare al*
Aule Vetru : Erucal :

Gentem hanc VELCIAM, Antiquariis omnibus antea incognitam, & apud Piſaurenſes frequentem fuiſſe, docet marmorea Tabula ſepulcralis Piſauri effoſſa, quae ornat veſtibulum mei domeſtici Muſei, quae primum edita eſt a Clariſſimo Oliverio meo inter Marmora Piſaurenſia num. XCV. quamquam non ambigam, Velcios Piſaurenſes nullam cum Peruſinis adfinitatem habere potuiſſe, niſi eam, quam ſimilitudo nominis declarabat. Ea ita ſe habet :

D . M
VELCIAE
BENEDICTAE
L. TARVSIVS
PARTHENOPAEVS
CONIVGI
OPTIMAE
ET SIBI

Antiquis hiſce VELCIAE familiae editis iam monumentis, alia nuper effoſſa ſingulari Tabula XXIV. nunc proferamus. In priore lamella plumbea *Aulam Caſperienam* inſcriptam legimus, feminae nimirum titulum, e familia *Caſperiena*, quae alicui ex *Velciis* nupta, in eius gentis tumulo condita eſt : mater fortaſſe ceterorum, qui infra memorandi ſunt. Familia *Caſperia* non uno plane in loco memoratur ; nam *Caſperios* plurimos recenſet inſcriptio Albana apud Gruterum pag. DCLX. 7. & pag. MCLIII. 3. ut alios Antiquarios praetereamus. Inter eas autem memorari poteſt, quae ab urbibus, a quibus forſitan originem duxerunt, nomen ſortitae ſunt : ex quibus nonnullas huiuſmodi apud Etruſcos collegi in Epiſtola VIII. inter meas Roncalienſes. Dicta vero eſt haec familia, ut opinor, a Caſperia, Sabinorum oppido Formiis proximo, de quo Virgilius Aeneid. Lib. VII. verſ. 713.

Qui Tetricae horrentes rupes, montemque Severum,
CASPERIAMQVE colunt ——————

Silius Italicus Lib. VIII. *Caſperulam* vocat, Sabini agri oppida recenſens:

Hinc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
CASPERVLA: hunc Foruli, magnaeque Reate dicatum
Caelicolûm Matri: necnon habitata pruinis
Nurſia, & a Tetrica comitantur rupe cohortes.

Puto autem *Caſperienam*, non vero *Cuſperienam*, legendum fore; quum id nomen in lamella adlata in eadem Tabula XXIV. num. III. contractum ita legatur 1ꓷAꓘ. nempe KASP, ſive CASP. cui lectioni favent analogiae, quas ſupra recenſuimus. Hinc ex Etruſcis monumentis indubitate fidei documenta habemus, quod antiquiſſimis temporibus uſus invaluerit, ut mulieres non ſecus ac viri praenominibus uterentur.

Altera inſcriptio adlata num. II. in eadem Tabula, perſpicue producit VETTIVM VELCIVM virum militarem. Hinc etiam liquet, litteram ↓ poteſtatem habere vel K, vel CH, quam primus omnium ope antiquae Gemmae Etruſcae, in qua Achillis nomen iuxta eius imaginem adnotatum eſt, nobis patefecit V. C. Gorius, de qua vide Muſei Etruſci Tomum I. pag. LI. & LII. qui hac profecto laude minime fraudandus eſt. Alia inſcriptio edita in Muſeo Etruſco Tabula CXCI. pro ƎꟻAꓕƎV *Vetave*, habet MVꓕƎV *Vetum;* ſed tegula, ſuperius memorata, expreſſe VETIV profert: quare ita interpretanda eſt haec epigraphe: *Arnth. Vetio. Velcio.*

Tertia ceteris prolixior, adeoque illuſtrior, lamella plumbea in eodem Sepulcreto inventa, memorat alium *Vetium Velcium*, cui *Larthia Vipina Caſperiena* titulum poſuit, & iuſta perſolvit. Hunc Vetium Velcium vel fratrem vel filium ſuperioris fuiſſe arbitror, qui alterius Vetii Velcii nomine atque praenomine inſignitus foret: quae nominum ſimilitudo uniformis patrem inter & liberos fratreſque ſatis obvia eſt in re lapidaria: adhibitis deinde agnominibus, qui hanc nominum amphiboliam tollerent: ſeu, quod populorum felicitati conducebat, adpoſitis dignitatis aut muneris aut officii titulis, quos quiſque virtute ſua ſibi comparaſſet. Hanc tamen Larthiam ſeu Lartiam Vipinam Caſperienam ab Aula Caſperiena matre nomen ſortita eſt; filiabus enim aliquando non paternum, ſed maternum nomen inditum eſt, ut antiqui lapides evincunt. Hanc autem Lartiam Vipinam Caſperienam ex gente

VEL-

VELCIA prognatam fuiſſe, probat ipſum Vipinae cognomen, quod Velciorum proprium erat: quod conſtat tum ex Inſcriptione Dempſteriana Tabula LXXXIV. Velcii Vipinii, quam ſupra produximus; tum etiam ex praecitata tegula Muſei Veronenſis, in qua Vetii Vipinii mentio habetur.

In hac perrara lamella alia plura notatu digna occurrunt: & primo quidem loco deſinentia nominis: MIƎ↓VƎƎ: *Velcheim*, ſeu *Velceim*. In altera lamella edita num. II. gignendi caſu habetur IƎ↓VƎƎ: *Velchei*; ſed id non eſt certum, quum lamella, in extrema parte fracta ſit, adeoque inſcriptio manca videatur: & facile, ut in tertia, reponendum eſt MIƎ↓VƎƎ in caſu dandi. Alterum, quod non ſine obſervatione praetereundum, eſt ſyllaba MƎꟼ. REM, quae βουστροφηδὸν ſcripta eſt, nec ad ſuperiorem lineam pertinet: ſi enim quidquam ex priore linea ſuperfuiſſet, in ſecundam ſcalptor amandaſſet. Pertinet autem ad poſtremam lineam, ſub qua, quum ſpatium pro altera linea non ſuperfuiſſet, litteras reliquas ultimae vocis eidem ſcalptor ſuperpoſuit, quodam veluti anguſti loci faſtidio, nempe CASPREM. quod nomen pro CASPERIENA mendoſe procul dubio ſcriptum adparet.

Demum obſervanda ſupereſt Olla fictilis, quae unica e tam immani exſcidio & calamitate ſuperfuit, quaeque nil plane obſervatione dignum praefert, quam feminae nomen, cuius cineres continebat, nempe AVƎAƆ *Cavla*, quae fortaſſe alicui ex Velciis nupta erat. Minime vero facile his adſentirer, qui *Caiam Aulam* legendum putarent. Non enim video, cur ad duplicis praenominis confugium recurramus; quum expedita & perſpicua ſit lectio, ſi feminam hanc ex familia *Caulia* progenitam eſſe ſentiamus, quam vetuſtum marmor Gruterianum pag. DCCCLXIV. 13. repetitum pag. DCCCCLXVII. 9. olim exſtitiſſe teſtatur. Neque etiam inobſervatam dimittam geminatam litteram II. in voce AIIOꟼAV: *Larthiia*: cuius tamen ſcripturae perrara exſtant exempla.

Poſtquam haec ad Gorium meum imprimenda miſeram, & iam iam paene formis excuderentur, idem datis ad me litteris ſcripſit exſtare in ſuo Muſeo operculum Cinerarii e marmore Tiburtino, quod anno MDCCXXXIX. effoſſum eſt prope Licianum Etruriae in praediis D. Auguſtini Cerretanii, Canonici Florentini, qui e Dominis de Cerreto Bandinellis ſe prognatum gloriatur, a quo dono accepit. Epigraphe ita ſe habet, quae exhibetur num. V. eiuſdem Tabulae XXIV.

IMI†A : ↓VƎƎ : OMꟼA
AƧIVA.MO†ƧƎƎ

Hanc

Hanc ideo adiungendam Gorius curavit, quia ↓⅃Ǝ7: *Velch*. indicat *Velchiam* ſeu *Velkiam* familiam. Scripſit etiam ad me nuper, ab Ioanne Baptiſta Deio, amico ſuo, Archivii regii Magni Ducis Etruriae Antiquario egregio, dono accepiſſe operculum fictile Vrnulae, in quo ſculpta femina iacens ſindone operta, ut videre eſt in eadem Tabula XXIV. num. VI. cum hac epigraphe, quae Etruſca Latinis litteris redditur: LARTHIA. OTANIS: adeoque & hinc certi ſumus ⊙. O. litteram valere TH. & *Larthiam* eſſe feminae defunctae praenomen; quod etiam alibi adnotavimus.

Adiecit pariter Gorius ad huiuſce Tabulae ornatum num. VII. fictilem Amphoram altitudine fere Rom. ped. II. effoſſam anno MDCCXXXIII. inter rudera Caſtri Pognae, quam inter ſua Cimelia ſervat Ioſeph Maria Brocchius, vir Celeberrimus, & ad aliquem e familia *Veſia*, ex Etruſcis litteris ...ΙϨƎ :: forte ΙϨƎ7, cuius exempla ſuppeditat Tab. XXXVII. Dempſteriana, pertinuiſſe diſcimus.

Deſiderandum plane erat, DOMITIANI SVAVISSIME, ne tam horrenda ruina deleſſet hos Etruſcos titulos, qui omnes, ſi diligenter exſcripti fuiſſent, abſolutam fortaſſe VELCIAE familiae Peruſinae genealogicam Hiſtoriam concinnare facili negotio potuiſſemus, & praeclarum aliquod incrementum Peruſinae Hiſtoriae adceſſiſſet; ſed alibi deteriora contigiſſe pervulgatum eſt. Quis enim non horreſcat in ipſo orbis emporio, atque in media illa litterarum ſede Roma, omnis Antiquitatis theatro, Libertorum ac Servorum Liviae Auguſtae elegantiſſimum Sepulcrum, ſtatimac inventum eſt, dirutum atque diſperſum? Quis non ſine lacrimis ſpectabit vel audiet, Caeſarum domum, totius orbis veneratione ac trepidatione celebratam, laterculis etiam venumdatis evanuiſſe, & palatium omnium conſcium triumphorum unius lucelli vitio deletum funditus eſſe? Haec omnia, ni peregrini homines egregiis voluminibus poſterorum memoriae commendaſſent, nemo, ut opinor, exſtaret, qui ea aliquando fuiſſe crederet, quorum nec ipſa paene fundamenta hodie ſuperſunt.

Vides igitur, OPTIME DOMITIANI, quantopere dolendum ſit, reliquos omnes VELCIORVM titulos periiſſe; quum multa antea incognita, hi qui forte fortuna ſuperfuere, contineant, quae alii maiori otio abundantes diligentius ac felicius dilucidabunt. Interim ſinceram hanc meae in Te benevolentiae teſſeram laeta fronte accipe: &, quod facis, eruditae Antiquitatis monumenta ubique inveſtiga, ut mirifice augeantur noſtra ſtudia, & patriae tuae atque huic ſaeculo maximo ſint ornamento.

DE

DE ARCHITECTVRA
ETRVSCA
VRNARVM ALIQVOT SEPVLCRALIVM
EARVMQVE EMBLEMATIS
DISSERTATIO
AD VIRVM CLARISSIMVM
ANTONIVM FRANCISCVM GORIVM
IN FLORENTINO LYCEO HISTORIARVM PROFESSOREM.

DVm Nicolai Serrae Metaurenſis Provinciae Prolegati a Conſiliis eſſem, atque Vrbini aeſtivo tempore cum eo verſarer, contigit forte fortuna, ut dum antiquiſſima Ecclesia Trinitati ſacra, in ipſa Agropoli ſita, reficeretur, antiquus ſepulcralis Cippus e ſuburbano lapide diligentiſſime exſculptus, quantum rudior aetas patiebatur, & qui dudum in ipſo pariete delituerat, detegeretur, atque erueretur. Quod ut mihi nuntiatum eſt ab eruditis Viris, quorum egregiis dotibus antiquitatum quoque cura adcedebat, continuo Cippum illum una omnes inviſimus, & coram ex ipſa archetypa figura delineandum curavimus. Antica Cippi pars in aediculae ſepulcralis formam adſurgebat, columellis Tuſcanicis, hinc inde frontem adtollentibus, ſimplici opere diſpluviatam; impoſitis tamen, qua acroteria configi ſolent, navium acroſtoliis, intermediis peltis: at ſpatium, quod inter columnas extendebatur, ianua occupabat, cuius latera minime in perpendiculum directa erant; quippe quae, ex ampliore ſpatio paullatim contracta, in anguſtum adſurgebant. Multa tunc de hoc architecturae genere diſputata ſunt: neque pauciora de ratione Etruſcarum portarum, quarum minime obſcura exemplaria monumenta recens edita nobis obtulerunt. Quia vero poſtremis litteris tuis, GORI PRAECLARISSIME, certiorem me feciſti, Te de veteri Etruſcorum arte ſtructoria, inter illuſtrandum eius gentis monumenta, ſermonem inſtituiſſe: ſubiit in mentem, ut ea, quae iam tunc in hoc antiquitatis genere adnotaveram, prae oculis Tibi exhiberem:

rem : ratus gratiam tuam initurum non opinione doctrinae meae, quae nulla eſt , ſed opportunitate argumenti .

Cippi Vrbinatis ſtructura , cuius iconem una ad Te mitto, quanquam Latinae aetatis ſit, ad eam tamen pertinet, quae proxime ad ea Etruſca tempora adcedit, qua recentior adhuc Romanorum dominatus , nondum patrias artes atque inſtituta corruperat. Vbi enim ſingulas partes ad trutinam contulerimus, omnia in hoc cum Etruſcis moribus conſonare obſervabimus . Cippum hunc exhibet Tabula XXV. num. 1. quae huic Operi adiuncta eſt .

Spectabiles in primis ſunt duae peltae faſtigio impoſitae inter acroſtolia . In Etruſcorum Vrnis nihil frequentius peltis , vel in fronte exſciſis , vel in operculo diſpluviato ita efformatis , ut duae ex his peltis , alternis angulis adſurgentes , quoddam veluti Vrnae faſtigium componant . Exempla expetenda ſunt ex Dempſtero in Parergis, & Tabula IX. & LXIX. & Muſei Etruſci Tab. CLVII. CXCIII. & CXCIV. quibus brevi adiiciemus exempla non pauca, quae inter marmora Tudertina, Deo dante , publici iuris faciemus. Neque vero praetermittenda erant exempla aliarum Vrnularum , quae anno MDCCXVI. tunc adoleſcentulus ex marmoribus ipſis excepi Peruſiae ad Principis Apoſtolorum Baſilicam in ipſo urbis pomerio , de quibus infra ſermo .

Nec vero putemus , huiuſmodi inſigne ſepulcris adiectum ad defuncti inſtitutum demonſtrandum , quod tamen quandoque factum eſt , ut in domeſtico meo marmore P. Aelii Decimini Equitis Singularis , cui propria arma inſculpta ſunt : quod etiam in more poſitum fuiſſe docet Virgilius Aeneid. VI. verſ. 232. qui de Miſeni tumulo haec tradidit :

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit , ſuaque arma viro , remumque tubamque .

Sed in hoc feminae tumulo, ſicuti in Etruſcarum matrum ſepulcris, quum nihil cum pelta commune haberet , ſiquidem armamentum eſt peregrinum, ad aliam rationem recurrendum eſt, ut diſquiramus, cur Tuſcorum & Latinorum Tuſcis adfinium monumentis inſculperetur. Habuit , ni fallor, hoc armuturae genus aliquid cum Religione commune , &, veluti quodam ſymbolo , Infernalium Deorum deſignabat potentiam , geſta ab iis cum Superis bella recordando. Inſignis ad rem eſt Etruſca Urnula ex ſupramemoratis , in qua ipſe Typhon , ſive alter ex Titanibus in caelum caput intendens , geminaque manu peltam ſuſtinens, a caelitum ictibus ſe ſe defendit.

dit. Hanc exhibet Tabula XXV. num. III. Quid vero haec monſtra, Superis plane inviſa, cum defunctorum Manibus commune haberent, docet in hymno Titanum Orpheus, qui illos mulcendos ſuadet, ne defunctis graves eſſent:

Vos voco (precor) *iram gravem avertere:*
Si quis ex terreſtribus ad maiorum domos adpropinquaverit.

Notandum praeterea eſt, Etruſcos, ubi Deorum praelia exprimerent, libentius peltam, quam parmam iiſdem addidiſſe, ut in certaminibus, quae contra Tiphonem, Echidnam, Delphynem, ſerpentem, quae expreſſa videntur apud Dempſterum Tabula LXXX. & Muſei Etruſci Tabula CXLIX. quaeque in mea Roncalienſi Epiſtola VIII. explicavi. Peltas quoque, veluti quoddam peculiare parergon, Infernalibus monſtris addiderunt: ſic Empuſae capiti, Muſei Etruſci Tabula CLVII. Larvae, Necathaeae, itidem Scyllae inter Centauridas conſiſtentis, ibidem Tabula CLIV. cui geminae peltae ſuppoſitae ſunt: quae omnia inter inferna ſpectra connumeravit Virgilius Aeneid. Lib. VI. verſ. 286.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaeque biformes.

Quae quidem fabulae, Phoeniciae originis erant, ut colligitur ex Apollodoro: & ipſe innui in Notis ad antiquas Lucernas Tom. I. Tabula XLVII. Quo vero apud Romanos minus obviae occurrunt, eo magis familiares ſunt Etruſcis, praeſertim Peruſinis; quum tam frequenter in illorum ſculpturis ſpectentur: ex quibus & gentis antiquitatem, & primevae originis transfuſa in manus monumenta traditioneſque dignoſcimus. Quae fortaſſe fabellae illae erant, quas in Tuſcis ruſticanti Plinio accolae recitare ſolebant; ubi enim Epiſtolarum ſexta Lib. V. villae ſuae delicias enumerat: *Audias* (inquit) *fabulas veteres, ſermoneſque maiorum: quumque veneris illo, putes alio te ſaeculo natum.*

Sed non tantum infernis monſtris, quorum formidine veteres inaniter detenti, in eorum ſepulcris vel imagines vel adtributa conſignabant, peltas tribuerunt; ſed illas in ſacris quibuſdam certaminibus uſurparunt: de quibus aliqua in Corollario praeguſtabimus, ut omnino concedamus, peltas non ad inane ornamentum ſeu officium deſignandum, ſed ad Religionis inſtituta pertinere. Demum in Vrnula num. IV. veluti quaedam religioſa anathemata, peltae duae ſuſpenſae cernuntur, una cum laneis illis filamentis,

quae magis conſpicua ſunt in alia Vrna apud Dempſterum Tabula LXXIX.

Acroſtolia quoque, hinc inde prominentia, aliquid cum mortuorum Religione commune habent. Quum enim putarent, animas per mare tranſvehi ad beata piorum loca, Etruſci pariter ac Romani marina monſtra Hippocampos, Leontocampos, ac Taurocampos, atque alia huiuſcemodi prodigia, quorum auxilio animae Oceanum transfretarent, Sepulcris inſculpſerunt. Adceſſerunt delfinium atque concharum non fortuita ornamenta; quod illa equorum, haec curruum vices obtinuerant. Navium vero inſignia ad feralem reformidatamque Charontis ratem referebant Aegyptii: ex quorum inſtituto fabulae iſtae tranſvehendi per Nilum cadavera promanarunt, ut non uno in loco tradit Diodorus Siculus. Navim totam in lucernis fictilibus ex nigra argilla compactis figurarunt, quarum unam polymixam publicavit Licetus Lib. VI. Cap. L. pag. 874. alteram vero in Muſeo noſtro adſervamus.

Antequam ad Architectonices rationem deſcendamus, aliquid de inſcriptione marmoris ediſſeramus. Vides in hac, CLARISSIME GORI, antiquae ſeveritatis in mortuorum elogiis parſimoniam Etruſcis moribus reſpondentem, & quam in inſcriptionibus, quae Romanum Imperium praeceſſerunt, laudavit Auguſtinius in ſuo Dialogo de Inſcriptionibus Ciceroni coaevis: in quibus, quum de feminis mentio agenda eſſet, nil ultra nomen illius, patris praeterea, ac mariti notabatur, ut in hac, quae MARIAE C. MARII F. ET APVLATI VXORIS memoriam ſervat. Ne tamen in ſplendidum errorem incidamus, putantes heic agi de filia illius C. Marii, triumpho Cimbrico & ſeptem Conſulatibus celebris, quae diem ultimum ſuum apud noſtrates obierit: illud monitum velim, ſummos in Republica viros tanto libertorum numero, qui ſuo eodem nomine vocarentur, polluiſſe, ut integras quandoque provincias, veluti ex eadem familia ortos, occupaverint: ſic, ut ait Cicero, Sicilia tota Pompeiis plena erat, & Romanus orbis Flaviis, dum eius gentis Imperatores ſumma rerum potirentur. Huc etiam pertinet ille C. MARIVS PAMPHILVS. MARIA Ɔ. L. GALLA. MARIVS CEVCO. & MARIVS ZOSIMVS. quorum meminit tuis curis edita inſcriptio Doniana Claſs. XV. num. 20. Rurſuſque alia MARIA C. F. QVARTA, apud eundem Donium Claſs. II. num. 197. demum & alia MARIA C. MARII F. apud Gruterum, pag. LXXXI. num. 8. & alia ſexcenta marmora, quae apud Collectores occurrunt, cum quibus & Cimbrico nulla fere adfinitas intercedebat, niſi forte quam Patronus in eorum parentes conlata libertate, & communicato nomine obtinuiſ-

ſet.

ſet. Vt autem credamus, huius noſtrae MARIAE patrem ad ea tempora pertinere, ſuadet etiam characterum forma rudis, qui nullis apicibus diſtincti ſunt, qualis florente adhuc libertate in uſu fuit.

MARIAE nomen in Romanis inſcriptionibus ubique obvium eſt, quarum unam etiam inter domeſticas adſervamus. Nullam cum eodem nomine apud Hebraeos uſitato, noſtriſque Religionibus venerabili, analogiam ſervat; quippe apud illos eſt a מרר *marar*, *amareſcere*; unde מרים *Miriam*, nomen proprium femininum, *ab amaritudine* dictum. Latinis vero femininum eſt *Mariae* gentis, quae a *mas* dicta eſt, titulo non ſexus, ſed virtutis; unde Horatius ait:

Et maribus Curiis, & decantata Camillis.

Quapropter Martem, quod maribus praeeſſet, dictum refert Varro de Lingua Latina.

At vero APVLATI nomen, cui MARIA noſtra nupta erat, paene Etruſcum eſt, rurſuſque occurrit in dedicatione aerei ſigilli Apollinem referentis in tui Muſei Etruſci Tom. I. Tabula XXXII. de quo egimus in Roncalienſi Epiſtola XI. pag. 350. & eſt ipſum nomen *Apollinis*, quod in pateris quandoque *Apulu*, & per ſincopem *Aplu*, inſcribitur: ex quo patet, APVLATI noſtri nomen nihil commune habuiſſe cum ſervili illo, atque in marmoribus obvio, APOLAVSTI, quod eſt a Graeco ἀπόλαυσις, *delectatio*. De Apollinis vero, ſive *Apulu* etymo, a quo dependet illud APVLATI, fuſius per nos pertractatum eſt in *Libris Indigitamentorum*, quos de Diis ſcripſimus, & eorum nominibus: qui tamen, ut in publicum prodeant, & otium, & tempora meliora praeſtolantur.

Ne vero putes, OPTIME GORI, me oſcitanter nimis homini noſtrati Dei nomen adtribuiſſe (quod ab antiquis factum fuiſſe viri doctiſſimi dubitarunt) productis exemplis, coniecturam comprobabo. Mitto ſcripta antiqua marmora, quorum recenſione innumera paene Deorum atque Dearum nomina viris ac feminis adtributa fuiſſe, quiſque facile cognoſcet: geminos tamen titulos, qui in Muſeo meo adſervantur, reticere non poſſum:

D . M
CALLIOPES
PERSEVS
CONSERVE
SVAE . FECIT

L. MESCINIVS
APOLLVS

qui Apollo etiam in Divi Pauli Epiſtolis nominatur; ſed quaedam tantum memorabo, quae ex antiquiore Romana Hiſtoria deſumta, magnam cum Etruſcis temporibus adfinitatem ſervant. Ex his:

Thalia, uxor Pinarii, recenſetur a Plutarcho in Numa.

Ankarii plurimi in Romana Hiſtoria celebrantur. Eam gentem & Peruſiae floruiſſe, publicata per Ciattium Cineraria comprobant. Ab *Ankaria* vero Aſculanorum Dea, dictos fuiſſe nemo non videt.

Rheam, Numitoris filiam, vel pueri norunt.

Pilumnos Romanos veteres, memorat Plinius Lib. XVIII. Cap. II.

Volumnios atque *Volumnias* Latinae Hiſtoriae memorant plures, quarum inter poſtremas Coriolani uxor virili in patriam caritate celebrata eſt. Hos a Volumnio atque Volumnia potiſſimis Diis (ita enim in veteri Menippaea Dii illi, quos alii Volumnum atque Volumnam nominant) nuncupatos eſſe conſtat.

Latini Grammatici inter *Larem* Deum, & *Lartem* praenomen, diſcrimen fecerunt; at nullum Etruſci, quibus Lartes & homines vocabantur, & Dii Manes, ut in Roncalienſibus oſtendi.

Aelii etiam nomen a Sole expetitum, Latini & Etruſci incunctanter ſibi adſumpſerunt: argumento potiſſimum illius *Aelii Volturreni*, quo ad Vadimonem memorabili caſu devicto, tota inde Etruria noſtra latrocinio ſubverſa eſt.

Neque ambigo, *Turnum*, apud Aricinos & Rutulos inſigne nomen, ita nobis a Latina declinatione deformatum, ipſum *Thuran* Tuſcorum eſſe, boni ominis cauſa filiis a militaribus viris impoſitum. Ne vero diutius extra argumentum aberremus, iterum ipſum antiquum marmor adeamus.

In hoc auſterioris Etruſcae Architecturae ſpecimen excipere, atque cum pauciſſimis, quae ſuperſunt, monumentis conferre & contemplari viri eruditi non dedignabuntur. Quamquam enim huius facultatis illuſtratores Serlius, Palladius, Scamozius, Vignolius, ceterique Etruſcae rationis regulas tradiderint; eas tamen a genuina illa, qua Tuſci veteres uſi ſunt, longe diſtare certo ſcimus: quum hi viri ceteroquin doctiſſimi in ratione illa Architectonices ordinanda, nihil aliud ſibi propoſuerint, quam formam illam, ita ceteris, ut aiunt, ordinibus aptare, ut quae omnium ſimpliciſſima eſſet, ceteris firmitate atque humilitate polleret ad infimas aedium partes ſuſtinendas; quapropter proceritatem illam, qua antiquitus pollebat, contrahentes, praeter ceteros depreſſerunt.

Marmoris Urbinatis faſtigium ex nudis cantheriis, in ſtillicidium decurrentibus, conſtat, nulla eminente ſima. Corſa cantherios ſuſtinet, & iacentem trabem imitatur. Hanc Tuſcanicam faſtigiorum ſim-

ſimplicitatem in eiuſdem nationis aedibus obſervavit Vitruvius Lib. IV. Cap. VII. *Item in eorum frontibus antepagmenta figantur, ſupraque ea tympanum faſtigii ex ſtructura ſeu materia collocetur, ſupraque id faſtigium, columen cantherii. Templa ita ſunt collocanda, ut ſtillicidium tecti abſoluti tertiario reſpondeat.* Eiuſdem Tuſcanicae rationis exempla, huic noſtro reſpondentia, habemus in duplici pictura Etruſci Vaſculi apud Dempſterum Tabula XXVI.

Tympanum roſa occupat, quod & in Tuſcis aedificiis frequenter occurrit, ut in duarum aedicularum tympanis Muſei Etruſci Tab. CLXX. Frequentius vero in Vrnarum operculis cernuntur, ut eis aptari poſſit illud Iuvenalis Sat. VII.

———————— *& in urna perpetuum ver.*

Quum enim mortuos prioris vitae ſtudia retinere crederent, vel nullam animabus optime meritis voluptatem, niſi ſenſibilem atque corpoream eſſe crederent, conviviis, pulvinaribus, atque odoramentis delectari crediderunt. Quapropter teſtamentis cavebant, ut die natali, roſae in perpetuum Sepulcris adferrentur, adſignata in hunc ſumtum certa ex hereditate pecunia: quam inſaniam deriſit in Nigrino Lucianus his verbis: *Quidam etiam cippos ſuos floribus coronari iubent, ſtolidi etiam poſt mortem manentes.*

Faſtigium excipit epiſtylium, unica corſa conſtans, in quo litterae ſignatae ſunt: hoc vero paraſtatae ſuſcipiunt. Harum proportio recentiorum traditionibus procerior eſt; quippe ſeptuplo fere imoſcapi latitudine producuntur. Vitruvius loco citato: *Craſſae* (inquit) *ſint altitudinis ſuae cum capitulis & ſpiris decumae partis.* Quibus ornamentis detractis, remanet ſolida columna ſeptuplae proportionis. Hoc etiam Plinius indicavit Lib. XXXVI. Cap. XXIII. *Columnae, quae ſextam partem altitudinis in ima habent, Doricae vocantur: quae nonam Ionicae: quae ſeptimam Tuſcanicae.*

Columnarum ſuperior contractura eadem prorſus eſt, quam Vitruvius ipſe praeſcripſit: *Summaque columna quarta parte craſſitudinis imae:* cuius etiam contracturae aliud exemplum, huic noſtrae adprime reſpondens, habemus in aedificio, expreſſo in patera apud Dempſterum Tabula VII. quam hic deſcribere placuit; vix enim alibi adſimilem videre eſt. Haec ratio contrahendarum columnarum, quae penitus exceſſit ab uſu, ſummopere firmitati conferebat; nam quo magis ponderis in ſuperiori columnae parte detrahebatur; eo minus ruinae periculo ſubiacebat, atque eo difficilius linea directionis, quae e centro gravis deſcendit, extra baſim defluebat.

Quot

Quot capitulorum genera Etruſci columnis ſuis aptaverint, vix paucis expediri poteſt: ut propemodum in ſubſpicionem inciderim, nulli determinatae formae fuiſſe adligatos; ſed a ſtructorum inventis praeſcribi conſueviſſe. In fragmento Cinerarii fictilis mei Muſei capitulum paraſtatae ſtriatae conſtat ex cimatio, & hypotrachelio: in alia apud Dempſterum Tabula LXXXIII. num. v. & aſtragalo Lesbio, plintho, atque anulo: in patera Tabula VI. ex plintho & aſtragalo Lesbio. In Cinerariis Etruſcis apud Sanctem Bartholum conſtat ex voluta Ionica, taeniola dependente. Prothyrides in aedificio depicto Tabula XXXI. apud Dempſterum, capitula habente, ex quatuor aſtragalis compacta, hypotracheliis interſtantibus. Huic reſpondet capitulum aedis ibidem depictae Tabula XXVIII. niſi quod voluta Ionica plintho ſuperexſtante inſtructum eſt; alterum vero Tab. XXXII. conſtat ex calatho reticulato, qualem Corinthii uſurparunt, additis acanthis: nec longe abeſt alterum in Muſeo Etruſco Tab. CLXXIII. ſuperne vero voluta Ionica, atque laterulo contegitur. Apud Dempſterum Tom. I. in fine Praefationis columnarum capitula ex Larvis conſtant: paraſtatae caput in Sepulcro Furiorum. Ionica penitus ſunt columnarum capitula in aedificio depicto in Tabulis CXXX. CLXXI. & CLXXXVI. num. III. Muſei Etruſci: Corinthia vero unico foliorum ordine inſtructa ibidem in Tabulis CLIV. CLXX. & CLXXI. Nec deſunt exempla formae caryatidis in Tabula CLII. num. I. & in alio fragmento fictili Muſei mei. Capitula vero huius noſtri marmoris ita circumſcripta ſunt, ut in eis Sculptor formam Corinthiam efformare voluiſſe videatur, licet eius partes ſolummodo obumbratas minime expreſſerit. Haec ipſiſſima capituli forma eſt, quam Eques Fontana, dum veterem Antonini Pii Baſilicam in novum uſum reſtitueret, in geminis illis novis aedificiis, quibus vetus fulcivit, non ſine laude diſpoſuit; reſpondent enim perbelle Corinthiis menſuris. Idem penitus in uſum poſuerat Eques Borominus in fronte ſacrae Aedis, quae adhaeret Eccleſiae Vallicellianae: quod quidem Boromini inventum, ita ea aetate comprobatum eſt, ut eleganti elogio a Floravante Martinellio in Deſcriptione Vrbis Romae inde laudari meruerit. Et quidem, quod ille inveniſſe laetabatur, in hoc marmore dudum inſculptum fuiſſe cernimus: ut merito heic aptari poſſit ſcitiſſimum illud ac grave Philippi Iuvarae, ſummi Architecti ac praeceptoris mei, frequens dicterium: *Antiquos plus quam nos aedificaſſe; ac propterea plus quam nos tentaſſe, atque adinveniſſe: formam nullam a nobis inventam iri, cuius imaginem, ſi antiquus orbis excutiatur, ab Antiquis repertam eſſe non deprehendamus.*

Co-

Columnarum baſes ex inverſo hypotrachelio cum cymatio & gradibus conſtant. Alteram huic ſimilem videre eſt in aedificio Tuſco depicto apud Dempſterum in Tabula XXVIII. gradibus tantum demtis.

Optares fortaſſe, mi GORI, ut in Tabulam aliquam, veluti in ſpeculum, has omnes Etruſcae Architecturae formas, ſuis menſuris adhibitis, redigerem, ut renaſcentibus veteris Etruriae artibus, etiam Architecturae Tuſcanicae aliquod lumen, quod optabas, adcreſceret. At ne tantam fidem his monumentis adhibeamus, & regula inde conſtituatur, monet nos nobilitate ac doctrina praeclarus Oliverius meus, qui in Diſſertatione ad Diptychum Eminentiſſimi Cardinalis Quirinii, Piſauri hoc anno MDCCXLIII. impreſſa, ad propoſitum haec habet: *Mi giova premettere, che quel compleſſo di parti, diſtribuite ed ornate con proporzione, che noi con nome abuſivo chiamiamo Architettura, altro è vero e reale, ed altro è finto e pittoreſco. Il vero è quello, che, coſtando di parti ſolide e ſtabili, compone alcuno edifizio, nel quale ogni parte fa l' ufizio ſuo ſeparato e diſtinto, ſoſtenendo, cingendo, o legando o cuoprendo il medeſimo edifizio, cui ſerve: il finto poi è quello, che niuno di. queſti uffizj fa; ma ſolamente adorna o abbelliſce qualche lavoro, il quale ſuſſiſterebbe beniſſimo anche ſenza queſto ornamento d' architettura; ſiccome appunto addiviene ne' piccioli intagli, nelle pitture, ne' lavori di ſtucco, e ne' baſſi rilievi, ne' quali o per riempiere il campo, o perchè alcuna ſtoria il richieda, i lavori di architettura ſi aggiungono. Ciò poſto, io non dubito, che quando ſi tratti di vera e ſolida architettura; poſſano dalla maniera di quella trarſi legittime induzioni del tempo della medeſima: e ſon perſuaſiſſimo, che quegli eruditi Uomini, che in queſt' arte ancora ſono verſati, abbiano in mente un' idea, o dir vogliamo un ſiſtema generale di quella, con tutte le ſucceſſive ſue mutazinni e di miglioramento e di declinazione; dimodochè, veggendo qualche antico edifizio, diſtinguer toſto poſſano dalla forma di lui il ſecolo, nel quale fu fatto. E facil coſa è render di ciò la ragione; imperciocchè, trattandoſi d' architettura vera e reale, ſi dee ſupporre, che quel tale edifizio ordinato foſſe da un architetto, il quale ſapeſſe ed uſaſſe le regole della ſua facoltà, limitate però dal guſto particolare del ſecolo, in cui viveva. Ma non cammina del pari l' argomento, quando trattaſi d' architettura finta. Siccome queſt' altro non è, che un acceſſorio dell' opera del Pittore, o dello Scultore, o Stuccatore, coſtoro non ſi obbligavano ſeveramente alle leggi dell' Architettonica: e badavano ſoltanto, e tutto lo ſtudio loro ponevano in quello, che dalla profeſſione loro dipendeva. Di quì certamente avviene, che tante e così grandi ſconciature di quell' arte ſi veggono nelle opere ancora di perfet-*

tiſſima

tiſſima mano. M' impegnerei certamente in un troppo lungo racconto, ſe io voleſſi con gli eſempli dimoſtrare la verità di queſta propoſizione: e per far ciò colla neceſſaria preciſione, converrebbe e aver ſotto gli occhi molta copia di originali, o maggior numero di libri, e molto più intenderſi profondamente d' Architettura, della quale nobiliſſima arte con mio rammarico e roſſore confeſſar debbo di eſſere poco men che affatto digiuno; potendo dir di me con tutta verità ciò, che Cicerone forſe con artifizio diceva di ſe: non tam intelligo, quam multa vidi. -- Et paullo poſt: *Ma per ogn' altro eſempio mi vaglia la teſtimonianza del Sig. Vicario Paſſeri, la quale dà alla mia propoſizione tutta la forza, e dalla quale preſi già quaſi tutta l' idea. Così egli parla nella Nota alla citata Lucerna della Tavola XXIX.* „ Neque vero hoc columnarum „ genus in operibus ſuperiorum ſaeculorum, quibus integrae artes „ florebant, ignotum eſt; dum enim Romae adoleſcentulus verſa- „ rer, & inter otia ſeveriorum ſtudiorum Architecturae operam „ darem ſub egregio viro, mihique inprimis cariſſimo, Philippo „ Iuvara, tales prorſus animadverti inter ornamenta marmorati „ operis, quo podium amphitheatri exſcultum erat. Patet hinc, „ quum non ad firmitatem, ſed ad ſpeciem dumtaxat res ſpecta- „ ret, Vitruvianis legibus amandatis, Pictorum magis placita, quam „ certas definitaſque Architectorum leges in uſu fuiſſe. „

His adcedunt non pauca alia exempla ex Etruſcorum Cinerariis expetita, quae, dum haec ſcriberem, tu Cl. GORI ad me opportune miſiſti, quae adiicienda curaſti in Tabula XXVI. His comprobatur coſtantiſſimus eorumdem Etruſcorum uſus ea peltis exornandi: unde facile deducitur non unius vel alterius artificis oſcitantis placito id factum eſſe; ſed ocultiore quodam, ut antea obſervabam, Religionis monitu id eveniſſe. Horum unum ex Aedibus Nobilium de Meniconiis mutuatum eſt in eadem Tabula num. 1. cuius frons taurino capite ornatur, per quod ipſum boum ſacrificium, quo parentari ſolebat, ſignificatur. Exempla, ex univerſo antiquitatis penu depromta, obvia ſunt, ac maxime pervulgata, praeſertim apud Homerum Iliad. Ψ. ubi Patrocli funus deſcribens, ait:

Multi quidem boves candidi mugiebant circa ferrum
Mactati: ———————————

Virgilius quoque Aeneid. Lib. V. verſ. 96.

——————— *cedit quinas de more bidentes,*
Totque ſues, totidem nigrantes terga iuvencos.

Et

Et Lib. XI. verſ. 197.

Multa boum circa mactantur corpora morti.

Operculum eiuſdem Peruſini Cinerarii ornat vitta dependens: quum enim Cineraria haec ſepulcralis arae vicem obtinerent, ornamentis huiuſmodi decorabantur, de quibus idem Virgilius audiendus Aeneid. Lib. III. verſ. 63.

———— Stant Manibus arae
Caeruleis maeſtae vittis atraque cupreſſo.

Addita etiam in medio roſa, ad roſarum ſparſionem in funeribus declarandam, quae cineribus defuncti optatum in Elyſiis ver deſignarent: atque hinc inde gutti pro unguentis, aut oleo: quae omnia ornamenta raritatem huic Cinerario Etruſco conciliant. Inſcriptio vero adpoſita ita ſe habet:

:::: IƎ†Ǝ :::И . MAHMqVO . IVⱭↃƎ1 . IOqA⅃

Hoc eſt: *Larthi . Pecrui . Thurmnam . N::: Etei::::*

Reſtitui facile poteſt haec inſcriptio, ſi cum aliis conferatur, quae ex ſimilibus Cinerariis, apud Nobiles Meniconios Peruſiae adſervatis, in lucem prodierunt apud Dempſterum Tab. LXVII. LXVIII. item LXXIII. & LXXIX. quorum collatione, & hoc ipſum Cinerarium ex eodem Sepulcro, ad eamdem familiam ſpectante, erutum fuiſſe perſpicuum eſt:

IƎ†Ǝ1H . MAHMⱭVO . ИqVƎ1 . IOqA⅃

Larthi . Peurli . Thurmnam . Hpetei

Haec quidem ipſa inſcriptio cum ſuperiore adeo conſonat, ut duplicata videri poſſet, niſi pro comperto haberemus repetita toties in familiis maiorum nomina, repetitis etiam epitaphiis indiguiſſe. Hinc in Furiorum Sepulcro apud Bellorium *de Sepulcris veterum*, Oſſuaria duo inventa ſunt cum epigraphe C. FOVR. Heic vero PEVRLI, pro PECRVI, non ſine mendo ſcriptum fuit, vel utrumque mendoſe pro PETRVI, ut ex aliis inſcriptionibus penes Dempſterum colligere licet:

Larthi . Rapli . Thurmnam . Petrua
Au . Cai . Thurmna . Se . Rapliai
Ar . Thuramna . Se . Rapnai
Au . Thurmna . Ar . Mauſi.

In hac poſtrema inſcriptione nota ɑA AR obſervatione digna eſt, per quam praenomem *Aruntis* ſignificatur, quo *Aruns Tolumnius**, Porſenae filius, inſignitus erat. Haec igitur monumenta ad *Turnos* Peruſinos ſpectant, qui praenominibus *Petrui*, *Raplii*, *Caii*, & *Aruntis* utebantur. Haec vero epitaphia Etruſca ita vertenda eſſe cenſeo:

Larthi (Diis Manibus) *Petrui Turni N::etei*
Larthi Petrui Turni Epetei
Larthi Raplii Turni, *Petrui* (filii)
Aulemio Caio Turno, *Sexti Rapli* (filio)
Arunti Turno , *Sexti Rapni* (forte Rapli) *filio*
Aulemii Turni Aruntis Mauſi.

Petrui vero & *Petruae* nomen ſive praenomen, maſculinum modo, aliquando & femininum, apud Etruſcos in uſu fuiſſe conſtat ex operculo alterius Cinerarii, quod Peruſinis reſtituimus ex Schedis Gabriellianis, in quo ſcriptum legebatur: VVɑ+ƎΓ . AИAO: *Thana*. *Petruu*. Id vero Etruſcorum *Petruus*, ipſum *Opeter* eſt Latinorum praenomen, vel aliud nobis adhuc ignotum, unde *Petronii* & *Petreii* dicti ſunt; vix enim *Petrum* apud Latinos inveniemus, niſi forte illum unum Petrum Furii Libertum apud Gruterum pag. DCCCXCVI. 10.

Sed ad Vrnas peltatas revertamur. Altera quoque Vrna, peltis & foliis ornata, reperitur Peruſiae in Diverſorio Nobilium Comitum della Staffa, in eadem Tabula XXVI. num. III. cuius inſcriptio :::::ϥAƧƎM . ƎИIVƎ+ . ƎϥVA *Aure*. *Tevine*. *Meſar* ::::: *Aurelium Tevinium* nobis indigitat: quod quidem *Tevinii* nomen item occurrit in *Cuelniorum* Cinerariis: *Theva*. *Cuelnetu*. *Anlnal*.

Peltis quoque, media patera interſtante, ſculptum cernitur aliud ſimile monumentum expreſſum in eadem Tab. XXVI. num. IV. quod olim in locupletiſſimo Muſeo Gualterio adſervabatur: & forte ex his erat, quae ex agro Tuderte eruta ſunt; dum eius Vrbis Antiſtes fuit Eminentiſſimus huius nominis Cardinalis, in cuius Muſeo ſpectabatur: eius inſcriptio haec eſt:

Atinatial. *Lth*. *Fraunei*. *Tiitaea*.

Cum hac inſcriptione conferendae ſunt geminae aliae Vrnulae apud Dempſterum in Parergis, & Tabula LIV.

Larthi. *Seianti*. *Frauniſa*. *Atiu*. *Tiutetr*
Larthi. *Ianti*. *Frauniſa Atiu Niteir*.

ex

ex quarum collatione facile ſuſpicari quis poteſt *Atinatial* minime integrum nomen eſſe; ſed ex *Atinio* & *Atio* compoſitum eſſe, quum *Atii* in aliis *Frauniorum* Sepulcris nominati obſerventur. *Seianti* vero eſt ipſum *Seii* praenomen in caſu obliquo.

Neque hoc loco Vrnas praetermittemus, quarum opercula veluti ex duabus inverſis peltis conſtant, quarum ſchemata exhibet ſuperior Tab. XXV. num. III. & IV. haec autem poſtrema, pateris, roſa in medio, & hinc inde uvae racemis inſignis, olim delineata eſt a me Peruſiae in hortulo ad D. Petri.

Demum nec praetermittam alteram Vrnam adlatam in eadem Tab. XXV. num. II. ornatam peltis, Tuſcanico more, quamquam Latinis litteris inſculptam, hoc modo: L. TITIVS C. F. ABERRA: quam ex Muſeo Anſideio a Pictore tuo olim delineatam, ad me hac occaſione miſiſti; cuius tamen ſcriptura, Etruſcis finitima, Cippo noſtro Vrbinati fere reſpondet. Sed ad eumdem Cippum, a quo digreſſi ſumus, revertamur.

Porta, quae aream inter paraſtatas ſeu prothyrides occupat, ſuperne hyperthyro inſtructa eſt, inter utrumque capitulum excurrente. Inter omnia vero obſervatione digna eſt vehemens illa contractura antepagmentorum a perpendiculo recedentium, ex qua lumen hypothyri ſuperne anguſtius eſt. Etruſcorum portae, quanquam frequentius parallelis antepagmentis procedant; aliquando tamen in hanc eandem formam coarctantur; ut in pictura Dempſteriani Operis Tab. XXXI. quae huic noſtrae reſpondet. Rurſus in Tab. CXXX. Muſ. Etr. aedificium conſpicitur, quatuor columnis innixum, quae inter ſe invicem inclinatae, ponderi quoque, atque impulſibus mirum in modum reſiſtunt. Haec portarum faciendarum norma uſui pariter ac naturae maxime conveniebat: uſui nempe, quum minori ſpatio in ſuperiore parte aditus indigeamus; quia corpora, quae maius ſpatium occupant, per inferiorem oſtii partem traiici ſolent: naturae vero, quum illius laterum directiones in obliquum ſibi contradicentes eſſent; quippe reſiſtentia lineae inclinatae, qua ex parte dependebat, alteri lineae aequaliter inclinatae opponebatur valide ſymbola arcui illi, quem deſcriberet linea prima inclinata, ſi deorſum invergi contingeret, ut in canteriis, qui in triangulum aequiangulum conſtruuntur. Quapropter in Dorica aedificandi ratione, ita portas conſtrui debere, tradit Vitruvius Lib. IV. Cap. VI. *Haec autem* (valvarum altitudo) *dividatur in partes duodecim, & ex eis quinque & dimidia latitudo luminis fiat in imo, & in ſummo contrahatur, ſi erit lumen ab imo ad ſexdecim pedes, antepagmenti tertia parte. Sexdecim pedum ad viginti quinque, ſuperior pars luminis contra-*

 tra-

trahatur antepagmenti quarta parte: ſi a pedibus viginti quinque ad triginta, ſumma pars contrahatur antepagmenti parte octava: reliqua quo altiora erunt, ad perpendiculum videntur oportere collocari. Id ipſum in hac quoque provincia poſterius in uſu fuiſſe conſtat. Anno enim MDCCXXXIX. dum maioris Eccleſiae Coemeterium Piſauri effoderetur, inter plura ornamenta & muſiva, quibus illius quadriporticus olim ornabatur, marmorea anaglypha inventa ſunt, in quibus ianuae expreſſae erant in ſuperiori parte contractiores. Quod reliquum eſt circa Etruſcarum portarum ornamenta, vides illas additamentis pluribus fuiſſe decoratas; quippe illarum impagines, quandoque ingentibus anulis, tympana vero leoninis capitibus, occuparunt.

Ianua huic Cippo inſculpa, ſi materialem ſignificationem perſequamur, ipſum ſepulcri aditum ſignificat; ſi vero allegoriam, in hac ianua ſymbolum mortis habemus, atque traiectum illum, quo in alteram vitam deducimur. Quapropter David: *Ego*, inquit, *ingredior viam univerſae terrae*, ſe moriturum ſignificans: & in Pſalmis ſub portae allegoria, frequenter mors deſignatur, ut in Pſal. IX. 15. *qui exaltas me de portis mortis:* & Pſ. CVI. 18. *adpropinquaverunt uſque ad portas mortis:* & Sapientiae Cap. XVI. 13. *deducis ad portas mortis.*

Morem hunc ianuas effingendi in ſepulcris, ab Etruſcis Romani acceperunt. Neque heic Etruſca altera Vrna praetermittenda eſt, quae ad D. Mariae inter oppida Caeſii & Aquae Spartae in Carſulanorum finibus adſervatur, quam ipſe delineavi, ut vides in Tabula XXVI. num. II. Hinc inde ianuam circumornant malleus & ſecuris, item clava: quae quid ſibi velint, explicare minime arduum eſt. In Vrnis Etruſcis elegantioris artificii ad ianuam adſtant hinc inde Genius & Genia, coniugum cuſtodes, armis huiuſmodi inſtructi. Sculptor vero, cui fingendorum Deorum facultas minime ſuppetebat, Deorum inſignia pro Diis ipſis expreſſit. Itaque peltas Inferorum Numinum inſignia, loco illorum uſurpata conſtat, uti ſuperius oſtendimus: clava vero Herculis Depulſoris inſigne eſt, quem Geniis domus cuſtodibus, ut mala inde depelleret, veteres Etruſci ſociaverunt.

Quum haec ad te ſcripta miſiſſem, SVAVISSIME GORI, ecce tuis litteris, humanitate & eruditione refertis, nuncias, te interim moras nectere, & prelo feſtinanti ocium indicere, donec aliquid ad te ſcribam de ingenti marmoreo Capitulo, quod Peruſiae, paucis ab hinc annis in Agro Peruſino, in Prato Villae Balleoniae ſub dio iacere una cum pluribus Etruſcis Vrnis marmoreis vidiſti, ac videns merito doluiſti; quapropter, ne tam eximii monumenti periret memoria, ſi deinceps temporis iniuriis

la-

labefactaretur, ſtatim ante tuos oculos a perito Pictore, quem in tuo per Etruriam Itinere tecum ducebas, diligenter delineandum curaſti. Igitur dum huiuſce inſignis operis ſchema mihi optatiſſimum obtuliſti, percontatus inſuper es (ne quid de Tuſcanica Architectura omitterem) meam ſententiam, utrum Tuſcanici opificii eſſe putarem; ſuadebat enim, ut Tuſco populo adtribueretur, cum locus ipſe unde prodiit, nempe e Peruſia, inter Etruſcas urbes olim potentiſſima: tum inſolita quoque eius forma, qua a ceteris, ut aiunt, Architecturae ordinibus diſcrepat. Quod quidem ſedulo contemplatus, adfirmare minime dubito, opus huiuſmodi ad Etruſcos pertinere: ac propterea tamquam eximium ſpecimen illorum Architecturae tuto oſtentari poſſe: atque in illo ſupereſſe nobis ingentis ac ſpectatiſſimi Aedificii veſtigium ſimul ac teſtimonium perquamilluſtre. Capitulum hoc marmoreum exhibetur in Tabula XXVIII. cuius ſcenographiam ipſe adieci.

Quod autem ſpectat ad Etruſcorum Architecturam, cuius nulla tantae molis exempla ſuperſunt (nam parva habemus in Vaſculis, & in ſepulcralibus Vrnis) illud primum ſtatuendum, eſt nullam apud eos certam formam & regulam ſtetiſſe; nam plerumque Doricos cultus ea refert, interdum Ionicos aut Corinthios, demum & incerti ordinis, quos quiſque Sculptor pro ingenio & arbitrio ſuo adinveniſſet: quod minime mirandum eſt, quum Etruria ex innumeris paene populis conſtaret, qui ex Aſia, Graecia, & Oriente profecti, eam occupantes, aliquid ſemper ex patriis eorum moribus in ſuis aedificiis retinuere: praeſertim quum artes nondum certis legibus, quas hominum univerſitas & adprobatio excepiſſet, adſtringerentur. Quando vero coeptum ſit Architecturam in canones digerere, non liquet: neque ego Vitruvium omnium primum fuiſſe credam; quum vel ipſe regulas ſibi traditas non uno in loco commemoret; ſed multo antiquius id contigiſſe minime puto; quum nonniſi maxima imperia induxerint homines, ut in iiſdem moribus convenirent, & legibus artium tribuerent auctoritatem. Quum autem Itali Architecti Graecorum formas adoptaſſent, placuit inter ceteras, Italiae quoque laudem aliquam adtribuere, ne ars eius ſtructoria tota eſſet peregrina. Igitur ex tot tantiſque vagantibus incertiſque modis, quibus Etruria utebatur, unus praecipue delectus eſt: & quia delicati cultioreſque modi ex Graecia iam fuerant adoptati; cautum eſt, ut ſolidior atque integrior aedificandi ordo ex Etruria peteretur, atque ita omnibus iam officiis Architectura faceret ſatis.

Sed inter luxuriantis Etruſci ingenii feliciores auſus, reponenda

nenda eſt huius Capituli forma, quam, Corinthio exemplari eminus contemplato, Tuſcus ſcalptor ſine nota imitationis effecit, retentis tantum acanthi foliis; reiectis vero minutioribus volutarum ornamentis, quae in ſublimi poſitae dum conſiſtunt, minus perſpicuae ſunt: ubi vero exciderunt, faciem univerſam deformant. At illorum loco, ipſum interiorem Capituli cippum ſcitiſſime in radios produxit: quorum quatuor loco angulorum eſſent; intermedii vero ſingulas facies aequo ſpatio parique proiectura exornarent. Nec autem volutas ex imperitia praetermiſit Artifex, alioqui ſcitiſſimus, qui totum opus pari ſolertia ac ſtabilitate perfecit, veritus opificii laudem non in marmoris extenuatione eſſe ſitam, quae puerorum laus eſt; ſed in illa oſtentatione novitatis cum dignitate & elegantia, & providentia perpetuae durationis.

Volutarum vero ſpiris ſubſtituit puerorum capita, ex ipſis acanthis procedentia. Duplex illorum ordo diverſis rationibus exornatur; inferior nempe puerorum coronatorum eſt: ſuperior vero puellarum, in quorum frontibus flores emicant, diſpari quoque capillorum cultu, prout ſexui conveniebat: quae quidem ornamenta ſpectare ad Religionem, nemo, ut arbitror, ignorat. Si Genios & Genias in hoc marmore expreſſas velimus, pertinuit fortaſſe ad Templum illud, in quo Peruſini *Iunonem Etruſco ritu impenſiſſime colebant*; ut ait Appianus Alexandrinus Bell. Civ. Lib. V. Iunoni vero Genios & Genias convenire, diximus in Roncalienſibus, ubi demonſtravimus, hanc Dearum principem quandoque pro ipſo Genio univerſali feminino fuiſſe uſurpatam. Si vero placet, haec capita miniſtros atque adminiſtras ſacrorum repraeſentare, in promtu ſunt ſacra illa, in quibus utriuſque ſexus adoleſcentes adhibebantur. Audiamus Horatium Carm. Lib. I. Od. XXI.

Dianam tenerae dicite Virgines:
Intonſum pueri dicite Cynthium:

Et Lib. IV. Carm. Od. VI.

Virginum primae, puerique claris
Patribus orti,
Lesbium ſervate pedem.

Et Epod. 14.

Quod Sybillini monuere verſus,
Virgines lectas, pueroſque caſtos,
Diis, quibus ſeptem placuere colles.
Dicere carmen.

Sup-

Supplices audi pueros Apollo :
Siderum Regina bicornis audi
Luna puellas .

Et Catullus Carm. XXXIV.

Dianae ſumus in fide
Puellae , & pueri integri :
Dianae pueri integri
Puerique canamus .

Multa vero ſuaſerunt , id opus inter Etruſca computandum: & primo univerſus ipſe Capituli ornatus , neutri ex Graecorum ordinibus conveniens ; quapropter populo illi adtribuendum eſt , in cuius uſum exſculptum fuiſſe conſtat : populo praeſertim mediterraneo, ac montibus circumvallato, cui difficilior vectura ſubſpicionem amovet peregrinitatis ; praecipue ubi de inutili ac ingenti pondere pertractetur : populo demum apud quem ſculptura omni ſemper aevo floruit , ut urbis illius monumenta qua Etruſca , qua Latina , qua demum Chriſtiana evincunt .

Nec recte iudicabit , qui dixerit multa in hoc marmore ex Corinthia ratione deprehendi , Latinoſque etiam florentiſſimo Antoninorum ſaeculo eiuſdem generis capitula in mille formas immutaſſe: non enim me latent capitula in Aedibus de Maximis adſervata , quae tota tropaeis conſtant : nec ea , quae volutarum vice aquilas aut gryphes habent apud Barotium Inſtit. Architect. & quae hippocampos , ut apud Serlium Architect. Lib. IV. pag. 343. & alia plurima , quae exſtant ad D. Sebaſtiani in agro Verano , ad D. Nicolai in Carcere , & alibi paſſim : quod etiam animadvertit Ruſconius in Vitruvium Lib. IV. Cap. 1. pag. 71. *Se bene tra' frammenti antichi , e ſpecialmente in Roma , ſi veggono varie e nobiliſſime invenzioni di capitelli e di baſi , ſpecialmente i capitelli d' aquile , e di trofei , e di feſtoni , di delfini , e di altre così fatte membra .* At in omnibus his ſymmetria Corinthii capituli in ipſa alieni ornatus compoſitione mirifice elucet ; praeſertim ille interior truncus , qui ſportam illam repando labio imitatur , quam primus Callimachus Corinthius contemplatus , acanthis ſuperimpoſitam huic praeclaro invento capituli Corinthii occaſionem dedit , ut refert Vitruvius Lib. IV. Cap. 1. cuius in hoc noſtro nulla veſtigia conſpiciuntur .

Adcedit , quod huius Capituli faſtigium , quod tegula , ſeu plintho caret , plinthum Corinthium minime pati poſſit ; nam quatuor huiuſce acuti ac valde prominentes inferne vacui , ac nullo ful-

fulcro praediti, nulliſque volutis ornati, nimis deformiter exſilirent: quod minime putandum eſt in tam diligenti opere fuiſſe peccatum. Puta igitur huic Capitulo plinthum longe diverſam fuiſſe ſuperimpoſitam, nempe rotundam, quae forma optime reſpondebat figurae Capituli, cuius octo ſupremi cuſpides octangulum aequiangulum fere conſtituunt, cui figurae nulla aptabilior eſt quam circularis. In hoc vero Tuſcus artifex a patriae Architecturae regulis minime diſceſſit, quum haec plinthum rotundam capitulis imponi iuberet, ut tradit Vitruvius Lib. IV. Cap. VII. & clare explicant Ruſconius & Daniel Barbarus ſuis in eum Commentariis.

Alterum argumentum, quo coniicitur hoc marmor eſſe Tuſcanici opificii, ſunt prominentia illa ex frondibus capita undequaque diſpoſita. Tuſci enim libenter columnis aedificiorum loco capitulorum larvas diſpoſuerunt, ut oſtendit Vrna fictilis apud Bonarrotios inter Parerga Operis Dempſteriani Tom. I. in fine Praefationis. Inſuper & prothyrides oſtendunt Sepulcri Furiorum apud Bellorium: in quo quidem invento veteres Architecti primaevam illam architecturae rationem expreſſam eſſe voluerunt. Quum enim columnarum ratio ab ipſa humani corporis proportione ſumta eſſet, ut tradit Vitruvius initio Lib. IV. ipſum columnae capitulum humani capitis vicem gerebat, & ipſa nominis ratio indicat; quapropter Iones minime dubitarunt, columnarum ſuarum capitulis illa eadem ornamenta aptare, quibus feminae ſuae utebantur. Etruſci vero fidelius mentis ſuae conceptum exprimentes, ipſis capitibus hominum ſive larvarum capitula ornarunt, & expreſſerunt.

Evincit demum Tuſcanicum eſſe opus, ipſa operis proportio ac dimenſio, quae reliquis ordinibus minime aptari poteſt; etenim praetermiſſis Dorico ac Ionico, qui humilioribus capitulis inſtruuntur, Corinthius, dempta plintho, non ultra modulos duos extollitur; illius vero infima latitudo ſe habet ad altitudinem ut 30. ad 36. eo quia contractura ſuperior columnae Corinthiae, quae communis eſt cum capituli planta, demit hinc inde min. 3. ad diametrum imi ſcapi. At res diverſimode ſe habet in hoc Etruſco; cuius altitudo ſe habet ad infimam latitudinem, ut 27. ad 36. eo quia contractura ſuperior columnae Etruſcae demit hinc inde min. 4. $\frac{1}{2}$ ad diametrum imi ſcapi, quod docuit idem Vitruvius loco citato: *Summaque columnarum* (Tuſcanicarum) *quarta parte imae craſſitudinis contrahatur*. Quum ergo haec contractura quartae partis in ſuperiore columnae ſcapo communicaretur etiam plantae Capituli Etruſci; ſequitur, capitulum quamvis Corinthiae

for-

formae, ubi aptaretur columnae Etruſcae, in ima ſui parte conſtare debuiſſe tribus ex quatuor partibus ſuae proceritatis, demta plintho: ubi quum Corinthiae columnae imponebatur, in ima ſui parte conſtare debebat quinque ex ſex partibus altitudinis. Quum ergo Capitulum habeamus eius exilitatis, ut Corinthiae columnae aptari non poſſet; ſed tantummodo Etruſcae (eſto Corinthiis etiam ornamentis ſculptum eſſet) evincitur, opus eſſe Tuſcanicum, nilque cum Graeco invento commune habere, niſi ſobriam quandam aemulationem magis quam imitationem.

Haec ſunt, GORI DOCTISSIME, quae feſtinante calamo, urgentibuſque undique ſolicitudinibus, ut tibi morem gererem, adnotare datum eſt. Tu interim ea qua polles eruditione, atque una tecum viri docti, quibus haec facultas familiarior, utrum recte diiudicaverim, calculum feretis.


DE REGE NEMORENSI

COROLLARIVM.

QVum in ſuperiore mea Diſſertatione de peltarum uſu in ſepulcralibus ſculpturis ſermo incidiſſet, placuit adfirmare, illas plerumque a Sculptoribus adhibitas, quum, vel Deorum Inferorum imagines caelarent, vel ſacra certamina; adeoque eorumdem armorum non fuiſſe promiſcuum uſum; ſed quidpiam de Religione participaſſe deduximus: de his vero ſacris certaminibus aliquid in praeſentiarum adferre, abs re minime erit.

Quum aliquando ſedula meditatione intuerer quaſdam Etruſcas ſculpturas, in quibus miles armatus exhibetur, qui altero genu altari innixus, ſtricto gladio, contra adſtantes milites, qui peltis & parmulis ſe defendunt, videtur decertare, quorum exemplaria exquiſito artificio elaborata referuntur in Tabulis Operis Dempſteriani L. LI. LII. & LXXXI. & Muſei Etruſci CL. CLXXIV. & LXXV. atque explicationem, quam de illis doctiſſimi viri protulerunt, conſiderarem, nempe ibidem Mithriaca ſacra repraeſentari; fieri non potuit, quominus clariſſimorum virorum iudicio adſentirer, & fidem omnem illis adhiberem. Cuncta quippe in marmore conveniunt cum ſacris illis, quae iam nobis nota ſunt: praecipue vero experimentum illud conſtantiae adverſus mortis

terriculamenta, quo prolato Mithriacus miles *per omnia probatiſſimus vocabatur, donec arcanis perfuſionibus illum in aeternum renaſci concederetur:* ut verbis utar monumenti Taurobolici Muſei mei. Sed forte contigit, antiquam Gemmam, ſummo artificio elaboratam, mei iuris fieri, in qua huiuſcemodi Miles ſtricto Etruſco gladiolo, genuque ad aram poſito, pro illa videtur depugnare: cuius ſchema, diligenter a me exceptum, placuit heic in tuam gratiam, CLARISSIME GORI, ſubiungere.



Quod ſi imaginem hanc cum Etruſcis marmoribus conferre non graveris, facile deprehendes, unum & idem argumentum repraeſentare. Quod vero ad illarum ſignificationem adtinet, quamquam a ſpectatiſſimorum Scriptorum ſententia recedere non auſim; placuit tamen aliam explicationem proferre, qua aliquid luminis & huic Gemmae, & Etruſcis marmoribus tribuatur; ut vel ipſi prioris ſententiae fautores, utra probabilior videatur, iudices arbitrentur.

Quod mihi in Mithraicis Etruſcorum ſacris ſcrupulum ingeſſit, ipſa tam peregrini ritus in Etruriam inducendi difficultas fuit.

Non

Non ambigo, ſacra quaedam, ex Aſia & Scythia adcerſita, Tuſcorum animos imbuiſſe, atque ipſa etiam Cabirorum & Sabatiorum myſteria, quorum indubitatam mentionem in Indigitamentis Eugubinorum fieri nuper cognovimus. Qua tamen via haec Etruriam invaſerint, facile ex ipſa gentis origine argui poteſt; quippe quae ex Graecis atque Pelaſgis, qui Tauricam quandoque incoluerant, coaluerunt. Quo vero pacto Perſica ſuperſtitio tanto terrarum ſpatio, nulloque populorum commercio Etruriam penetraverit, difficile captu eſt: praecipue, quum inter Romana monumenta Mithriacorum nulla mentio fiat, niſi exacto iam primo aerae Chriſtianae ſaeculo, tunc plane quum late propagato imperio magnam ſibi Roma videbatur adſumſiſſe Religionem, ſi omnium gentium erroribus deſerviret: unde & Iſiaca, & Orgia, & Eleuſinia, & Mithriaca quoque initia ſuſcepit. Magnam etiam ingerere mihi videtur difficultatem ingens illud de Mithra ſilentium apud Scriptores antiquiores; quum primus omnium, quod viderim, de illo mentionem fecerit Plutarchus in Libello de Iſide & Oſiride.

Myſterium vero, quod mihi in anaglyphis Etruſcis, & in domeſtica mea Gemma videor agnoſcere, penitus Italicum eſt, ac tanta propinquitate Tuſcis adfine, ut Tuſcum dicere non temere poſſimus. Scis profecto, ERVDITISSIME GORI, quanto cultu ac veneratione Aricini ſimulacrum illud Dianae Tauricae, ab Oreſte in Italiam delatum, coluerint, ac cuſtodierint: quorum quidem Sacerdos REX NEMORENSIS vocabatur. Quo autem pacto ſingulis annis, Deae ſacro recurrente, Sacerdos iſte eligeretur, tradit Strabo Lib. V. qui Ariciae ſitum deſcribens, haec habet: *Eſt & Dianae lucus, ideſt Artemiſium, ſic enim vocant, e ſiniſtra viae regione ex Aricia ad Aricinam viam conſcendentibus: quod templum nominant aedes Tauricas; nam barbaricus quidam, & Scytharum circa templum mos obtinet; qui enim victimae mactator prius exſtiterit, Sacerdos inſtituitur. Vir quidam fugitivus gladium tenet, ad inſultum ſemper circumſpectans, ad tutandum ſtrenue eſt paratus.* Iſtud etiam Suetonii in Caligula teſtimonio comprobatur, qui haec adnotat: *Perfuga Sacerdos ibi conſtituitur: qui Sacerdotem priorem ſua obtruncaverit manu, ſtrictoque ſemper gladio, paratus ad inſultus propulſandos, circumſpicit.* Quae omnia mire explicat marmor apud Dempſterum Tabula LXXXI. num. I. in quo vetus Sacerdos victus, velo, quo forte ſacra obibat, circumvolutus, religatiſque manibus, arae impoſitus mactatur.

Ad id Sacerdotium nemo ingenuus admittebatur, ut teſtatur Pauſanias in Corinthiacis: cuius auctoritas tanto magis facienda eſt, quo peregrini Scriptoris eſt: ex quo cognoſcimus, non in Italia

lia

lia tantum; ſed apud exteras etiam nationes truculentum id ſacrum celebre fuiſſe. Haec ille, ubi de Hippolyto in Aricino nemore diſcerpto mentionem facit: *Mea quidem etiamnum aetate, iis qui ad templum ſingulari certamine vicerint, praemium conſtitutum eſt Deae Sacerdotium; ſed in certamen iſtud ingenuus nemo deſcendit: ſervi dumtaxat, qui fuga ſe dominis ſubduxerunt*. Huic adcedit Servii teſtimonium in Lib. VI. Aeneid. verſ. 137. *Oreſtes, poſt occiſum Regem Thoantem in regione Taurica, cum ſorore Iphigenia fugit, & Dianae ſimulacrum inde ſublatum, haud longe ab Aricia collocavit. In cuius templo, poſt mutatum ritum ſacrificiorum, fuit arbor quaedam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis poteſtas, ut ſi quis inde ramum potuiſſet auferre, monomachia, cum fugitivo templi Sacerdote dimicaret*. Arboris huiuſce ſacrae rami hi fortaſſe ſunt, quos in palmae ſpeciem adſurgentes manibus geſtant in anaglyphis ipſi victores. Sacerdotem hunc REGEM NEMORENSEM fuiſſe adpellatum, tradunt Scriptores. Suetonius loco citato Cap. XXXV. haec habet: *Nemorenſi Regi, quod multos iam annos potiretur Sacerdotio, validiorem adverſarium ſubornavit*. Et Ovidius Faſtorum Lib. III. Elegia I. ubi ſacrum eius Deae recenſet, haec habet:

Regna tenent forteſque manu, pedibuſque fugaces,
Et perit exemplo poſtmodo quiſque ſuo.

Demum & Statius Silvarum Lib. III.

Iamque dies aderat profugis cum Regibus aptum,
Fumat Aricinum Triviae nemus, & face multa:
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus. ——

Quia vero Diana inter Deos Inferos habebatur, nulli dubium erat, imaginem illius fas eſſe ſepulcris inſculpi, atque eius ſacra in illis repraeſentari, adeoque illa propriis eius ſymbolis adornari. An vero idem factum ſit de Mithriacis, viri docti, atque tu inprimis, CLARISSIME GORI, diiudicabis. Mihi enim nondum contigit videre in Sepulcris quidpiam cum illorum Religione commune. Interim vive diu felix, & patriae, & litterarum tuorumque amicorum bono.

PAR. III. TAB. I.

DE ANTIQVIS TEGVLIS SEPVLCRALIBVS ETRVSCO-LATINIS

QVAE EXSTANT

IN MVSEO BVCELLIANO

DISSERTATIO

AD VIRVM CLARISSIMVM

PETRVM PAVLVM ASTANCOLLIVM

PATRICIVM TVDERTEM.

PErcontanti mihi ſaepenumero de patriis tuis Antiquitatibus, optimo conſilio ac doctrina tua quum praeſto nuper eſſes, CLARISSIME ASTANCOLLI, multa invicem diſputavimus DE TEGVLIS ETRVSCORVM inſcriptis, e quibus aetate noſtra in Tudertium ac Peruſinorum finitimis locis complures effoſſas non ſolum audivimus; ſed etiam non ſine voluptate vidimus: quarum locupletiorem tractationem ad Marmora patriae tuae quamprimum publicanda, ſcis me reſervaſſe. Quum haec interim animo verſarem meo, contigit, ut amicus meus humaniſſimus Gorius, de Antiquitatum theſauris, quos adſiduo labore in lucem profert, optime meritus, ad me mitteret exemplaria aliquot huiuſmodi antiquarum Inſcriptionum, accurate ex archetypis exceptarum, quae in ANTIQVIS TEGVLIS BVCELLIANIS leguntur atque obſervantur: quas quidem ea de cauſa ad me miſit, quia ex his declinationem Etruſcae cum linguae, tum ſcripturae ſenſim in Latinam dilabentis, adlatis perraris hiſce exemplis, erui facile poſſe; adeoque magno in pretio habendas eſſe has SEPVLCRALES TEGVLAS iure ac merito cenſebat. Nonnulla igitur in huiuſmodi priſci aevi perrara monumenta, eo rogante, quum adnotaſſem, ea Tibi, VIR NOBILISSIME, lubenti animo in perenne obſervantiae erga Te meae argumentum ſtatui dedicare, qui eximium generis tui ſplendorem, maiorumque tuorum gloriam praeclaro in has eruditae vetuſtatis Etruſcae reliquias amore ac ſtudio tuo coaequaſti.

Vſum inſcribendarum tegularum figuli primum invenere, impreſſo crudae adhuc argillae ſigillo, quo auctoris nomen, & cretifodina, nec non figlinarum officinarum inſignia notarentur; ut ita proba opera ab improbis ipſo conſignati nominis indice notiſque diſtinguerentur. Magnam enim veteres curam adhibuerunt, ne cocti lapides, quibus publicorum privatorumque aedificiorum optimorum ſpes innitebatur, aeternitatis fiduciam fraudarent: quod probe colligimus ex Vitruvii de lateribus efformandis Lib. II. Cap. III. Ad diſciplinam adceſſit ipſa laudis ambitio ex operis excellentia, atque etiam aemulatio ſtudiis quoque humilioribus communicata in populo potiſſimum rerum domino. Hinc in coetu Artificum Servorum Domus Auguſtae cum *Lapidariis*, *Pavimentariis*, *Pictoribus*, *Speclariis*, *Thermariis*, etiam *Tegularios* connumeratos legimus a marmorea Tabula, quae adſervatur in ditiſſimo Muſeo Eminentiſſimi Principis S. R. E. Cardinalis Alexandri Albani, effoſſa e ruderibus veteris Antii, anno MDCCXXIII. in qua occurrit

ANTEROS TEGVL*arius*.

Tegulae vero Etruſcae, quotquot aetate adhuc noſtra e tenebrarum ſinu in hanc lucem prodiere, in uſum longe diverſum inſcriptae ſunt; nullum enim figuli aut officinae figulinariae nomen in illis impreſſum eſt, ut in aliis paene innumeris, quarum inſignem copiam nobis exhibet egregius Fabrettus Inſcr. Domeſt. Cap. VII. ſed tantum mortuorum tituli, in ipſa tegularum iam coctarum fronte graphio ducti atque inciſi, atque in ſingulis loculis varii ac peculiares. Harum tegularum uſus fuit obſtruere columbariorum valvulas, in quibus Vrnulae ſepulcrales, defunctorum cineribus oppletae, conditae erant, ne, ut in uſu vivorum, patentes atque obviae quodammodo oculis eſſent, & ſuperſtitioſam illam divinitatem, quam hominibus vita functis mors conferebat, prioris vitae communicatione quadam amitterent & macularentur. Veterrimum hunc uſum paenes Etruſcos primus omnium obſervavit ſummus vir Bonarrotius in Appendice, quam ſubiecit Dempſteriano Operi §. XXVI. pag. 36. *Has Vrnas recondebant etiam in loculis in parietibus ipſius Cryptae excavatis, ſingulis aut binis aut etiam ternis in ſingula latera diſtributis, amplioribus aut minus amplis, pro magnitudine Vrnarum in iis recondendarum, eoſque loculos claudebant tegula maiore vel minore, ut in Monumentis Cluſinis ſpectatur: & tegula Tab. LXXXIII. n. 10. huic uſui inſervit.* Haec tegula fictilis a Bonarrotio adlata, praeter Etruſcam epigraphen, quae ita ſe ha-

habet : ⅃AƧA⅃ : ƎOƧƎI : ⅃Ǝᖷ : defuncti etiam imaginem, graphio pariter inciſam, praefert: quod decus mortuis adhibitum, quum raro quidem occurrat, nolui ſilentio heic praeterire.

Quia vero non in omnibus eadem ſculpturae diſciplina fuit, praeſertim vero inclinante iam Etruſcorum fortuna, placuitque aliquando integra humari defunctorum cadavera; tegulas idcirco ita inſcriptas non ipſis Vrnarum loculis; ſed grandioribus ſepulcralibus Arcis adpoſuerunt, earumque os obſtruxerunt, ut obſervavit ſolertiſſimus, atque de patriis Antiquitatibus optime meritus Andreas Ioannellius, amicus meus ſuaviſſimus, in Diario Antiquitatum Tudertium num. CXXV. in quo haec ſcribit. *Queſte tegole ſcritte, parte in Etruſco, e parte in antico Latino (vale a dire in quello ſtato medio della Lingua, che parlarono queſti Popoli) erano collocate a piè dell' Arche ſepolcrali, compoſte sì bene di ſimili tegole; ma però non ſcritte. Il fine di apporvele fu, perchè ſi ſapeſſe il nome di chi vi era ſepolto.*

Quia vero nec mihi, nec aliis umquam contigit iuxta tradita terraeque mandata mortuorum cadavera, inſcriptiones conſulto ſepultas invenire; quum illas inſcribere, quas nemo unquam lecturus foret, ſupervacaneum procul dubio fuiſſet: ingens mihi ea ſubiit coniectura, quod cadavera illa, non perpetuae huiuſmodi ſepulturae fuerint demandata; ſed temporarie ibidem diſpoſita ac locata, ut commodius aliquando atque honorificentius in patriis, iiſdemque dignioribus Sepulcris, poſſent tumulari: quod facilius, ut arbitror, tunc contigit, quum occupatis in bella ingruentia Etruſcorum animis, una ſalus viventibus quaerebatur, dilato in meliorem fortunam mortuorum honore: quod, Pontificibus adnuentibus, fieri potuiſſe non ignoramus. Ea propter facile tegulas iſtas Etruſco-Latinas ad ea tempora referendas ducimus, quum preſſa Etruria Romanorum bellis, horum lingua, commercio & auctoritate primas tenente, veterem iam & ſeneſcentem illam Etruſcorum linguam infecerat atque corruperat: quod nuper etiam in Praefatione ad Tabulas Eugubinas obſervavimus.

In hoc autem monumentorum genere, quorum iam numerus peculiarem Claſſem conſtituit, plane illud ubique fere conſtans obſervavi, ut una cum tegulis Etruſce ſcriptis, fere ſemper aliae promiſcuae inveniantur, quae Latino more, ſed antiquata dialecto, ſcriptae ſunt: inter quas eas cenſeo, de quibus modo, CLARISSIME ASTANCOLLI, mentionem feci: quas quidem contemporaneas fuiſſe ex eo conſtat, quum in eis coniunctorum adfinitate tum hominum tum mulierum, mentio fiat, uti fuſius oſtendi in earumdem Notis, propediem in lucem prodituris.

S 2 In-

Inter has vero tegulas ſtilo exaratas, principem locum obtinent BVCELLIANAE, cum numero, tum dignitate. PETRI BVCELLII Patricii Politianenſis eruditionem, atque egregia in id ſtudium merita, & Tu mecum non ſemel laudaveras, inſignemque illam Etruſcorum Latinorumque epitaphiorum collectionem, quam ſibi adſiduo ſtudio, labore, ac ſumtibus comparavit, multis laudibus extollebas, quibus domeſticae eius aedes (omnes Muſeum optime dixeris) locupletatae, atque ornatae ſpectantur. Ea tegularum epitaphia primum vulgavit Cl. Gorius inter Inſcriptiones, quae exſtant in Etruriae Vrbibus Tom. II. pag. 429. ſed quia eruditorum genio non fecerunt ſatis; nam communibus typographicis characteribus prodiere (nec dum enim ea ex prototypis delineata acceperat, vel ipſe exſcripſerat) id poſtea munus ab eodem Nobiliſſimo Viro Petro Bucellio conſecutus, quum Politiani haec ipſa monumenta luſtraret, curam hanc ſuam fecit, ut modo propriis formis, in ſequentibus hiſce Tabulis huic Operi adiectis, accurate delineata, eruditorum, qui id quammaxime optabant, oculis ſubiicerentur, quarum hiſce meis obſervationibus ſenſum pro viribus explicare conabor. Id dum facio, prae oculis ſemper eaedem Tabulae habendae ſunt, ut ſpectentur ductus litterarum; nam dum hiſce explicationibus redduntur, & interpretantur, communioribus uti characteribus neceſſitas ipſa compulit. Illud etiam cum primis adnotandum eſt, tegulas huiuſmodi fictiles altitudine, ut plurimum, aequare pedem Romanum unum, & uncias circiter ſex.

INSCRIPTIONES TEGVLARVM
ADLATAE IN TAB. XXVIII. EXPLICANTVR.

I. MAI8VAꟼ IZIMVN OꟼAꓘ *Larthi Numiſi Rauſiam*

Numiſios plurimos memorant nobis marmora Gruteriana, quorum quidem nomen ſatis antiquum eſſe ſuſpicamur, quum ex eodem themate, unde *Numae* nomen factum eſt, proceſſiſſe videatur. *Rauſia* idem mihi ſonat, quod Latinis *Rufus*. Huc ſpectat alia inſcriptio Muſei Etruſci Tabula CXCIV. ꓘAI8VAꟼ NꟻAꓕAN ANAO *Thana Nacarn Ranſial*.

II. ꓘAIИVИ IƎИVIꓘAΘ AИAQ *Thana Thaliunei Nunial*

Continet haec femininum nomen *Thaliuniae Nonii uxoris*. *Thale* & *Thanilai* habent Vrnae, quae apud Ciattum & Dempſterum in Tabula LI. occurrunt.

III.

.III. DANATIDI VIQNAIAI

Mendum ſubeſt in ſecunda voce, quae habet q pro R. VIRNAIAI legendum eſſe puto pro VERNAE; etſi plurimos *Vrinates* in Etruſcorum monumentis memoratos recenſuerim in Roncalienſibus.

IV. CR'ISTOCROTRPAS.

Id nomen, Latinis litteris ſcriptum, nexum, ut puto, continet nominis *Criſti* ſeu *Creſti*, ut Latina marmora habent, & agnominis adhuc inauditi *Crotrpantis*, quod Graeciſmum ſapit.

V. IAVЧƎƎ1 . IAƎ1'M . IOqOЧ *Lthrthi . Mpeai . Penluai*

In huius tegulae prima voce irrepſit O, quae Latino TH reſpondet, pro A: qua reſtituta, plana eſt lectio *Larthi*. Quae quidem ſphalmata, niſi praenoſcantur, & ea quis caveat, non eſt cur queramur de Etruſcae linguae aſperitate, deque illius ſcripturae deſperata lectione, quod vocalibus careat, ut veteres noſtri muſſitabant. Haec tamen notariorum ac quadratariorum errata, ſine diuturna meditatione, ac laborioſa collatione, quam nos omnium primos adhibuiſſe non negamus, detegi minime poterunt, ut pariter in Notis ad Tabulas Eugubinas indicavimus. Alterum mendum ſubeſt in ſecunda voce *Mpeai*, in qua M pro E ſubrogata eſt; nam EPHAV (EPEI) habet inſcriptio apud Senatorem Bonarrotium in Diſſertatione addita ad Dempſterum §. XLIV. pag. 99.

IIIΛX ƧЧIƎA ЧHOMqA . ƎBIVq ƎAHꟼƎ . Ꞁ *P. Ephau Ruiſe. Arnthal Avils* XAIIII

Epei vero eſt alia inſcriptio apud eumdem Dempſterum Tab. LXXXIII.

IƎHꟼƎ VΘAIЧƎƎ . IMIϽƧƎЧ . Ǝ *V. Leſcini . Veliathu Epaei*

Lege *Epaei*: quod quidem *Epei* nomen non modo Graecum eſt; ſed celebre etiam apud Virgilium ob equi Troiani ſtructuram.

VI. : : . : VYƎƎ : IqIq Ɔ *L Riri : Eetu : . : :*

In hoc fragmento Etruſca O TH. in q R. mutata eſt ob formae adfinitatem, ideoque *Riri*, pro *Thithi* ſeu *Thithii* notatum eſt.

VII. ⅃VIINIITII VIIL' M ARRIA .N

In hac inſcriptione notanda eſt litterae I geminatio, quam ex vitio veteris dialecti, ſeu minus urbanae pronunciationis, ſcalptores etiam in aris Luci ſacri Piſaurenſium expreſſerunt: quae quidem inſcriptiones fere aetati harumce tegularum reſpondent. Gentem

Vi-

Viniciam apud Romanos etiam clariſſimam, nemo ignorat. VII L fortaſſe *Vinicii liberum*, ſeu *libertum* facile ſignificat: quem quidem *Lucium Vinicium* ſepulcri honore *Arria* nepos decoravit. De hac *Arria* mentio eſt infra in tegula XIX.

VIII. AHILΘMIINA SATRIA

In prima quoque huius tituli voce aliquis error ſubeſt; vix enim ſine pectoris anhelitu pronunciari poteſt. De *Satriis* paſſim in marmoribus mentio fit. Ea quoque gens in earum numero reponenda eſt, quae ab urbibus nomen traxerunt, a Satrico nempe. At de his plura in Roncalienſibus.

IX. VEL : SPEDO · CAESIAE

Spedonum frequens in his tegulis mentio eſt. *Vel* eſt officii nota, ut alibi frequenter. Hic *Spedo Caeſiae* uxori, ut puto, ſepulcrum poſuit.

X. VEL · SPEDO THOCERONIA NATVS

Idem *Spedo*, qui ſupra *Caeſiae* extremum officium praeſtitit, heic mortuus memoratur. Primus, quod ſciam, Clariſſimus noſter Gorius in indicata earumdem tegularum editione animadvertit Etruſcos, praeſertim vero Politianenſes, in uſu habuiſſe, omiſſo patris nomine, nomen matris uſurpare, ut contigit in *Spedone* iſto, qui *Thoceronia* natus nuncupatur. Quia vero quidam non defuerunt, qui longe aliud in hac dicendi formula expetendum fore reputarunt, *Thoceroniam* nempe non matrem, ſed Tribum, ſeu Curiam aliquam illius populi fuiſſe, ſuſpicantes: re bene perpenſa, fateri cogimur Eruditos illos, quicumque ſint, non ſine iniuria Gorio noſtro ſuccenſuiſſe, quum non deſint eius moris exempla, etiam in Tudertium Inſcriptionibus. Vnam vero pro cunctis Gruterianam adducimus ex pag. DLVI. num. 3. in qua memoratur T. PLANC. GLAVTIA. ATILIA. NATVS, cui ipſa GLAVTIA MATER titulum poſuit.

XI. AR. SPEDO. THOCERNA. CLAN.

Hic *Arius Spedo*, eiuſdem *Thoceroniae* filius, prioris fortaſſe frater, fuit. Qui vero in priore *natus* dicitur, hic diverſa dialecto, imo voce paene Etruſca dicitur *Clan*: cui voci *natus* reſpondet. En eius vocis alia exempla in Muſeo Etruſco Tom. I. Tab. CXXXVI.

:ИAJↃ : ƧƧIИAM : IƧƎᖷ : ˎIIИ : VA : *Au : Nii. : Veſt : Maniſſ : Clan :*

Bo-

Bonarrọtius ad Dempſterum §. XLIV. pag. 96.

ꟽAꓶꓘ MƎMMAꟽA ⁝ MAꟽAIꟼA ⁝ MVꟼAꓶIꟽ /   / *Milarum* ⁝ *Arianam* ⁝ *Anammem Clan*

Item in alia penes ipſum Dempſterum Tabula LXVIII.

: ИAꓶƆ : ƨƨIИAM : IƧƎꟻ : IIIY : VA :   *Au : Titi : Veſi : Maniſs : Clan :*

Has ita interpretari poſſumus : *Nonium Veſium Mania natum* --- *Sacrum Larum Ariani Anenia nati* --- denique : *Aulemium Titum Veſium Mania natum* .

XII.   L CAVIVS SPEDO SEPTVMIA NAT

Inſurgit heic alia coniectura , qua Eruditiſſimi Gorii opinio fulcitur ; ſi enim de Tribu ageretur , una & eadem *Spedonibus* ſemper maneret . Heic vero *L. Cavius* , non *Thoceronia* , ſed *Septumia natus dicitur* . *Septumum* , & *decumum* antiqui , pro *ſeptimo* , & *decimo* dixerunt .

INSCRIPTIONES TEGVLARVM

ADLATAE IN TAB. XXVIIII. EXPLICANTVR .

I.   SHTHRII . CHZAPTLH . IR . L.

Satrii Cezartli Lhartis Liberi ; nam IR. pro L. R. irrepſit . Notam hanc pluribus illuſtravimus in Roncalienſibus . Huic inſcriptioni adfinis eſt alia ex eodem Muſeo Etruſco Tab. CLVII. num. v.

SETRE . CEZARLE . LR . L   *Satria Ceſarlia Larthis Libera* , ſeu *Liberta* .

II.   Q. SPEDO . L . R .

In hac etiam tegula e Spedonum Sepulcro eruta , L. P. pro LR. L. obſervatur .

III.   C A I N V O

De *Caini* nomine in Roncalienſibus , atque in ſuperioribus Diſſertationibus plura obſervavimus : ex eodem nempe fonte proceſſit , quo *Caii* nomen .

IV.   TRNIA . SIVNAII

Tania , pro *Thana* ſcriptum eſt . Titulus feminis communis . Haec tegula habet *Siunaii* . Inſcriptio vero apud Muſeum Etru-

ſcum

ſcum Tom. I. Tabula CLIV. habet *Ieiuniam* : utrumque fortaſſe pro *Iunia* .

V. TAHNIA ANAINIA COMLNIAI • FIA

En eiuſdem vocis *Thana* deformatio altera in *Tahnia* . *Anemios* & *Anamios* plures Etruſci memorant ; ſed & *Anainios* etiam . In Vrna Montis Aperti : ꟼAИIAИA : ƎИIϽVAꟼ . AΘ : *Tha* . *Laucine* . *Anainal* . At in voce *Comlniai* ſphalma alterum deprehenditur . Cultiores inſcriptiones apud Dempſterum Tab. LXXXVII. & LXXXVIII. indicant nobis *Caimlinios* Cluſii floruiſſe , quae civitas Politiano contermina eſt . *Fia* ſignificat *filiam* .

VI. ΛIII ⱽNAII ARRIA

Ita legendam puto Inſcriptionem huius tegulae , in qua irregulares , ac veluti fortuiti ductus maxime difficilem reddunt lecturam .

VII. A⁘RIA TAN⁘A

Arii Spedonis haec Aria fortaſſe filia fuit . Titulus *Thana* , qui plerumque nomen praecedit , heic ſubſequitur .

VIII. EXANXD F

Vox nihili , vel conſuetis Scriptorum erratis deformata , vel aetate corrrupta .

IX. Q • NERIVS G ᴧ F

De hoc *Q. Nerio Gnaei filio* , nihil eſt quod ſubdam , niſi de illius aetate coniecturam ; ſerius enim Etruſci literas D G O & Q a Latinis acceperunt , licet dudum illorum ſcribendi rationem accepiſſent .

X. KROEN TI+AE . NA

Nempe *Cruentius* , ſive *Cluentius* natus *Titia* .

Haec ſunt , ASTANCOLLI CLARISSIME , quae de BVCELLIANIS TEGVLIS feſtinante calamo , atque inter ipſos armorum ſtrepitus , libuit obſervare . Quantam vero eruditionis frugem ex ceterorum eiuſdem Muſei monumentorum publicatione colligeremus , qui tanta ex fictilibus fruſtulis ominati ſumus ! Dudum illam praeſtolantur vota literarii orbis , quibus Cimelia haec omnibus Regum gazis cariora ſunt , certe innocentiora .

INSCRIPTIONES TEGVLARVM

ADLATAE IN TABVLA XXX. EXPLICANTVR.

GORIO noſtro amiciſſimo, percontanti Nobiliſſimum Virum Petrum Bucellium, num Tegulas alias poſt adlatas ſibi conquiſiviſſet: ecce idem Vir Ornatiſſimus nuper effoſſas mittit alias XIV. quas Gorius in Tab. XXX. incidendas curavit, mihique blandam praebuit occaſionem, ut Te, ASTANCOLLI CLARISSIME, familiari conloquio diutius detinerem. Prima in utraque facie inſcripta eſt Etruſcis litteris in hunc modum:

I. ƨY◁ꝉƎ1 AIИAIↃƎ1 IƎИIAↃ: *Cainei Peciania Petrus.*

Saepenumero occurrunt Tegulae, in quibus eaedem notae, inverſo ordine ſcriptae, repetuntur, quod alibi oſtendi. Frequenter enim contingebat, ut funerum curatores Tegulas adponendas loculis ſeorſim a Sepulcro exararent ſtilo; quas tamen, quum loculis aptarentur, inverti oportebat: recta enim inſcriptae erant, quae per tranſverſum aptari debebant, vel e contra. Vt vero litterae de more procederent, iterandae erant. Idem contigit huic Tegulae, in cuius poſtica duae priores voces repetuntur; in antica vero nomini *Cainei Peciania*, cognomen *Petrus* ſubiicitur. In inſcriptione Dempſteriana Tabula LXVII. legitur *Petrua:* demum & *Petruu* in alia ex Schedis Gabriellianis.

II. MAI↓ /AↃƎA>X

APTCAII CΛVLIAS

Haec ipſa Tegula ſummo in pretio habenda eſt; quippe bilinguis eſt, atque ad ea tempora pertinet, in quibus utrumque idioma in uſu erat. Quia vero ſenſim declinare res Etruſcorum ſentiebant, ne familiares tituli, vetere dialecto eliminata, ignoti poſteris remanerent, patriae epigraphi Romanam ſubiecerunt. *Larthi* minime heic praenomen eſt, ſed *Manes* mortui ſignificat; ſubſequitur enim *Cai* praenomen, quod in gignendi caſu Etruſce *Caae* dicitur: quo tamen exemplo fretus, minime grammaticalem regulam figerem pro eiuſdem vocis declinatione; nam *Cai Hereni* legitur in Notis Muſei Etruſci Tom. II. pag. 415. & *Aulemi Cai Turmna* apud

Dempſterum Tabula LXVII. & *La. Cai. Lotave* (fortaſſe. *Larthi Cai Lotave*) ibidem Tabula LXXXV. & *Cai : Creche* iterum in dicta Tabula. Sed ſphalma iſtud condonetur homini, aeque Etruſce ac Latine loqui imperito, qui *Caulias* in eodem gignendi caſu declinavit : niſi mavis rectum eſſe caſum, & nomen eius ſignificare, qui titulum *Caio* poſuit : quod etiam ex Etruſca deſinentia in AM conіectari licet. Etruſcis enim frequenter nomina propria in EM abiere in recto (quod Hebraeis etiam in uſu eſt) idque alibi demomſtravi. Exempla, ſi voles, habeto ex Dempſteri Tabulis IX. XXI. XXV. & in Parergis, in quibus legere eſt : *Tite. Veſim — Vei. Veſim — Vei. Tnem Veſim — Tit. Eliumnam — Atuſneic. Aſatem*.

III. IAIITAПƎ1 . ƎAƆAᴎ

Haec etiam inſcriptio nuncupata eſt Manibus *Caii Tepatii*; *Larthi* enim ſubſequitur *Cai* praenomen, quod pariter in caſu genitivo eſt *Cae*, ut in praecedenti. Deſinentia in *ai* Latinis feminini nominis eſt : heic vero, ex his quae ſupra animadverti, maſculinum nomen occultari videtur.

IV. AMA†IANIE SAVIA

In hac Tegula, praeter *Amatiam Saviam*, nihil certi deprehendo; dubiae quippe ſignificationis eſt monogramma illud, quod primae voci ſubiungitur. Vltimum vero ex altero SAVIDIA. num. X. ut infra, vel detruncatum, vel derivatum eſt. Quum enim Tegulae iſtae ex uno alterove Sepulcreto defoſſae ſint, facile ad unam eandemque familiam, vel ad cognatas eiuſdem pertinent : quas omnes, ſi in conſpectu, antequam explicarem, habuiſſem, adfines inter ſe coniungere, atque ordine ſuo facile recenſere potuiſſem.

V. C CVIVS L F FILIVS

Ignotum familiae nomen prodit in lucem huius Tegulae beneficio; nuſquam enim *Cuiam* gentem animadverti, licet *Quianam* ex Grutero agnoſcamus.

VI. ƎИIꟼVƎ . IOꟼAᴎ : *Larthi Eurine*.

Vrinatiam, apud Etruſcos nobilem, lateque propagatam gentem, in Roncalienſibus commemoravi. Ad eandem referendam puto Tegulam editam Tabula XXVIII. num. III. & hanc quoque inſcriptam *Larthi Eurino*, quem virum fuiſſe puto; vix enim reperiri credam femineum nomen, cum *Larthi*.

VII. ‹ TI+IVS IIII ARV

Ex Haruſpicum forte collegio erat *Lucius* iſte *Titius*, cuius ſub ſequenti titulo *Aru*, quatuor unitates copulantur : quae nota officio praemiſſa, *Quartumviratum* plerumque ſignificat : in quibus quidem notis obſervandum etiam eſt, primam atque ultimam intermediis proceriores eſſe : quod etiam in monumentis Latinis melioris aevi frequenter notatur. Neque vero miremur Haruſpicis officium, Etruſcis : ꓕ ꓤ И ꓕ Y ꓤ ꓕ : *Trutnut* dictum, ut inſcriptio bilinguis haec noſtra Piſaurenſis oſtendit, in hac Tegula Latine pronunciari. Quanquam enim hic ſepulcri titulus ad Etruſcum hominem, & in Etruſca diſciplina verſatum (ut coniicio) pertineat ; ad ea tamen tempora referendus eſt, quibus corrupta iam gentis dignitate, veterique dialecto deformata, victricis populi more vivebatur. Adcedit, ipſam etiam vocem Haruſpicis Etruſcae originis eſſe, ab *haruiga* formatum, quo nomine *hoſtiam* vocatam fuiſſe, tradit Feſtus : cuius etiam veſtigia in Indigitamentis Pontificalibus Icuvinorum ſparſim occurrunt, non ſecus ac alia portentorum atque oſtentorum : ex quibus facile colligimus, voces has, ad Etruſcam diſciplinam pertinentes, ex eius idiomate fuiſſe mutuatas.

VIII. L. PROIINI L. F. ARN

Lucius iſte *Proiinius*, Lucii filius, fortaſſe *Lucii Vinitii*, qui ſupra memoratus eſt in Tabula I. num. VII. frater fuit. Ille enim *Arria* matre natus indicatur, qua & hic progenitus ; ſic enim ARN interpretor, nempe *Arria natus*.

IX. AIꓕ. ƧAΘ : *Faſtia*.

In hac Tegula nihil niſi *Faſtia* nomen deprehendo. *Faſtos* plurimos in Etruſcis inſcriptionibus obſervamus ; in quibus tamen forte praenominis vicem obtinet, ut *Faſtum Rufrum* inſcriptum ſimulacro Apollinis Muſei Etruſci Tabula XXXII. *Faſtum Sentinatem*. Tabula CXLIX. iterumque *Faſtum Suntinatem* in Parergis Dempſterianis. Quapropter mirandum non eſt, ſi primam huius inſcriptionis notam Θ, non pro TH, ſed pro F uſurpavi. Videtur enim haec nota facilitatis gratia contracta ex 8, quae hanc ſignificationem obtinet, atque adcedit ad Graecorum Φ PH. Alterum eiuſdem litterae in hac ſignificatione uſurpatae exemplum proferimus ex Vrna marmorea, quae Bononiae in Academia adſervatur :

• VƎ • MAI : VYA : IƎꓤꓕↃAO : AIꓕƧAΘ

X.

X. ꓯAM SAVIIDIA

Integram dictionem nulla interpunctione diſtinctam, ita dividendam puto: VAM: SAVIDIA. auxilio praecedentis Tegulae num. IV. in qua SAVIA legitur. Quid ſibi velit VAM, penitus ignoro. Si enim, forte collapſa Tegula, aliquid ex praecedentibus litteris exciderit, deſperata res eſt: ſi vero inſcriptio integra ſit, ad praenomen aliquod, hucuſque nobis incognitum, pertinet.

XI. V⊃Ǝ> IИI1A : ꟼAꓯ : *Lar : Apini Cecu.*

Inſcriptionem hanc non in Tegula, ſed in Vrna fictili exſtare tradit Cl. Maffeius Obſer. Litter. Tom. VI. pag. 125. Notandum occurrit heic cognomen : V⊃Ǝ> : *Cecu*. Huius vocis antiquitatem in Roncalienſibus ſcrutatus ſum: illamque apud Sabinos in uſu fuiſſe demonſtravi ab eo uſque tempore, quo *Caeculus* Praeneſtinorum regnum obtinuiſſe fertur: quem ab oculorum vitio *Caeculum* dictum ferunt. Hinc Etruſcae familiae *Apiniae* nomen eruitur.

XII. VELIA CAC..... AR CALAP....


In hoc fragmento tria tantum occurrunt: *Velia : Cacheinia : Cala :* quorum omnium plurima in Etruſcis monumentis exempla occurrunt. Etenim *Velia* bis occurrit in monumentis apud Dempſterum Tabula LXXXIII. iterumque LXXXV. demum & in Ollis Guelniorum. *Cacheinios*, ſive *Cecinios*, aut *Cecinnas*, perſaepe intuemur in Vrnis Peruſinis apud Dempſterum Tabula XXXVI. & XXXVII. & in Muſei Etruſci Tabula CLXXII. de quo nomine nonnulla ſuperius adnotabam. Demum ex eodem Muſeo Etruſco Tabula CXCII. num. 11I. deſumere eſt *Larnium Cale*, qui ad noſtrum *Calar* proxime adcedit.

XIII. IᒥꓶX . Ƨ8 XIV. XY ƎƎM I O ꓯ

Ex duobus hiſce fragmentis nullum ſane ſenſum depromere valemus. Digna tamen & ipſa, quae publicarentur; quum ſiglae iſtae aliquando cum integrioribus ſcripturis conlatae, aliquid luminis conferre valeant.

Optime vides, ASTANCOLLI SVAVISSIME, quanta ex his Etruſcae Antiquitatis monumentis, ac fragmentis etiam, eruditionis ſeges colligi poſſit: & quibus laudibus digni ſint egregii illi homines, qui haec monumenta ſuis curis & impenſis proferre in lucem ſatagunt: quod, Te quoque favente, deinceps bono litterariae reipublicae me facturum pro viribus, ſpero.

IN-



GENIVS DOMESTICVS

Ex aere exstat in Museo Paſſerio huius magnit.

I·B·Paſſerius delin.

V·F· Scalp·

P·II·

T· III·



Vas fictile huius magn·in Museo Paſſerio·

I·B·Paſſerius del·

V·F·S·

P.II. T.IV.



Vasis eiusdem facies aduersa.


I.B.Paſserius del. V.F.Sc.

P.II T.V.




I·B·Paſs.us del. V.Fra. S.

Vasculum utraque parte pictum, exstat in Museo Paſserio.




Vasculi fict· Mus· Paſserii utraque facies·



I·B·Paſſerius del·


In Museo Paſſerio exſtant·

V·Franceſchini ſcu·




I·B·Paſs· del· V·Franc ſcul·

VI· Cornua potoria convivalia ueterum Etruscorum.
Omnia exstant in Museo Paſſerio.




I·B·Poſ·del Vaſcula, et pateræ inuentae in ſepulcris Tudertinis, nunc exstant in Muſeo Paſſerio· V·F·S



I.B. Paſſerius del.   V. Fra. Scu.

Vascula IV. cryſtallina, antiqui operis, eiuſdem magnitudinis, e Museo Paſſerio depromta.



I·Cippus e lapide Tiburt· inuentus a MDCCXXVII· prope Tibrim inter·
Tudertum et Perusiam· II Cippus alter anno MDCCXLI effoss· Tuderti·



Ioſ: Menabuonj delj. Ioſ: Papinj ſcul.

Signum ex aere huius magnit.
Tuderti, in Muſeo Marciolio.




Ex ære huius magn. Arimini effoſsum

I.



II.



Perusiae, ex Schedis Gabriellianis. *Tuderti.*

III.




IV.



V. F. S.

Cinerarium in Mus. Vinciolio. *Cinerarium Politiani effoſsum.*

II.




Lapis aren. Florentiae in Hortis Gaddiis.

I.




Saxum ingens in praedis Capponiis prope Antellam.

P. II. T. XVI.




Acheronticae Columellae. I. II. III. extant in Museo Poriano. IV. apud Panzanium in Etruria. V. Cluſii, apud Nobb. Puccios.

Anton Boſi Sc.




I. II. Senis, extant penes D. Canonicum Bandinium. Reliquae Vrnae Etruscae extant apud Nobiles Tommasios, Patricios Senenses.


T. III
T. XVII
I
II
III
IV
V
VI
Alt. ped. 3. unc. 9.
Ex Lapide Arenario Cinereo
Florentiæ Apud Nob. de Bonarotis
Perus. Alt. Ped. V.
Volat. apud Nob. Maffeios
Alt. Ped. V. unc. VIII.
Faes. apud Nobb. Carlinios.
In Museo Oddio.
In Museo Gorio.



Patera ex aere huius magnit.
Peruſiæ, in Muſeo Gratianio.

V. F. S.




COLVMELLA

Etruscis litteris, et anaglypho opere insignis, exhibens FVNVS ETRVSCORVM, *exstat Perusiae in Aedibus D. D. Comitum Alphaniorum.*

V. Franceschini Sc.

TABVLA. XXIIII.



XXXII. XXXI. XXX. XXIX. XXVIII. XXVII. XXVI. XXV. XXIV. XXIII. XXII. XXI. XX. XIX. II. I. III.

TABVLA. XXI.


XIX. II. I. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.


TABVLA. XXII.




XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII XXXVII. XXXVI. XXXV. XXXIV. XXXIII.



Lamellae plumbeae Tuderti effossae · Vrnae Cinerariae Etruscae




I. Cippus marm. Vrbini effos. II. Vrna in Museo Ansidei. III. IV. Vrnae peltatae.




Cineraria I. et III. Perusina. II. In Carsul. fin. IV. In Museo Gualterio.


V.F.S.




Capitulum marmoreum in Agro Peruſino in Prato D. Comitis Horatii Balleoni Alt. Ped. Rom. II. cum dimidio circiter.



TEGVLAE MVSEI BVCELLIANI.



TEGVLAE MVSEI BVCELLIANI.



TEGVLAE MVSEI BVCELLIANI·

INDEX
RERVM
QVAE OBSERVANTVR ET ILLVSTRANTVR IN DISSERTATIONIBVS
V. C. IOANNIS BAPTISTAE PASSERII.

A

ACERSONIVS Deus Iguvinorum. Pag. 22.
ACHERONTICA quid ex Etruſcorum diſciplina deſignent. 21.
ACHERONTICA SACRA Etruſca docuit Tages, & libros ſcripſit. 21. hinc lapides Acherontici. Huius vocis etymon. 22. 23. Libri Etruſcorum Acherontici quid continerent. *ibid.* nil hi lapides commune habent cum Mutini ſimulacris. 25. divinitatem animabus corpore ſolutis promittebant. 23. 29. 30. 31. & quomodo his tributa divinitas. 32. 33. 57. 87.
Acroſtolia ad ornatum Etruſcorum ſepulcrorum. 78. cur ſculpta in ſepulcris Etruſcorum. 114.
Adſperſiones cum lauri ramis factae in funeribus. 99.
Aedium Tuſcanicarum ſtructura. 116. 117.
Agdeſtis Genius Graecorum ambiguo ſexu. 4. omnium Geniorum princeps. 58.
Alba veſtis ſumta in celebratione natalis diei, domeſtica depoſita. 13.
Alceſtes fabula in ſepulcris Etruſcis. 85.
Alphanii Comites Patricii Peruſini laudati. 86.
Altare Etruſcum litteris Etruſcis ornatum, & philyra. 82.
Altovitus Ioannes Patr. Flor. laudatus. 68.
Ambroſiam potandam Dii dare crediti ſunt animabus defunctorum, quae divinitatem acquirebant. 32. 33.
Ampullae vitreae in ſepulcris conditae, & inventae. 37. 38. unguenta continebant; non vero lacrimas ſervabant. *ibid.* falſo *lacrimatoria* creditae. 39.
Anathematum loco peltae ſuſpenſae in ſepulcris Etruſcorum. 113. 114.
Ancones ſunt vaſa potoria. 43.
Anemia gens Etruſca. 76.
Animae immortalitas certa apud Etruſcos. 55. 56. 57.
Animae & corporis coniunctio apud Platonicos. 90. 91.
Animam ad inſtar aurae tenuis ab ore morientium Ethnici ſuſcipiebant. 89. 90.
Animam condi tumulo quid intelligerent ſuperſtitioſi Ethnici. 90.
Animarum ſimulacra & imagines Inferos petere putabant Ethnici; animas vero caelum. 90. 91.
Animas in homine quatuor ineſſe putarunt veteres. 48.
Animas corpore ſolutas, ante humationem corporis vagari credebant Ethnici. 89. 90.
Anni nota quae apud Etruſcos. 100.
Antonia familia Etruſca. 106.
APOLLO quomodo dictus ab Etruſcis. 115.
Apotheoſeos uſus, & abuſus. 1. 31.
Apotheoſi donati urbium conditores, viri belli paciſque artibus clari. 30. 31.
Aqua e Nilo hauſta, ſparſa in Iſidis ſacris. 37.
Arae defunctis ſacratae. 44. 45.
Arae Laribus ſacrae, coronis, & taeniis cinctae. 52. 53.
Arae Etruſcorum in honorem mortuorum coronatae. 94.
Archimedis ſepulcrum columella poſita ornatum. 28.
Architae nomen Etruſcis familiare. 74.
Architectura Tuſcanica illuſtratur. 111. 112. eiuſdem Architecturae partes expenſae. 116. & *ſeqq.*
De Arena Coſmus laudatus. 64. 65.
Arferial vas aquae luſtralis. 95.
Aricinenſium ſacra, quae. 131.
Ariminenſe ſimulacrum explicatur. 50. 51.
Armilla Etruſca tribus bullis dependentibus ornata. 53.
Ar nota, praenomen Aruntis deſignat in Vrnis Etruſcis. 122.

Arnthal vox Etruſca, forte ſignificat militare officium. *67*.
Arretinorum Etruſcorum moneta cur hodie nondum viſa. 102.
Artium inventores pro Diis habiti. 30.
Ave, *vale* in epitaphiis expenſum. 101.
Augures in funeribus adhibiti. *99*.
Aulevetru vox Etruſca quid ſignificet. *62*. Vide *Voces*.

B

BAldinius Ioannes Franciſcus laud. *69*.
Biclinium Etruſcum. 78.
Borominus Eques Architectus laudatus. 118.
Brocchius Ioſeph Maria laudatus. 110.
Bulla ornati Lares. 53.

C

CABIRORUM Deorum nomina. 22. eorum myſteria in Etruriam delata. 131.
Cadavera defunctorum cur melle, lacte, vino, & unguentis ſparſa. *36*.
Caerimoniae in ſacris Genii Domeſtici. 10. 11. 12. 13. 14.
Caſatia familia Etruſca. 101.
Caii praenomen apud Etruſcos expenſum. 101.
Cainium & *Cainiam* pro *Caio* & *Caia* Etruſci pronunciarunt. 74. 75.
Calcei Etruſci. 2. *9*. 10.
Caligae Etruſcae iconiſmus. 51.
Callimachus Corinthii Capituli inventor. 127.
Capillos vellere, ac reſcindere in luctu ſolebant veteres. *97*. *98*.
Capitula quibus ornamentis decorata. 127.
Capitula Etruſcarum columnarum expenſa a pag. 118. ad 128.
Capituli Tuſcanici operis ſingulare opificium, ornatus, & alia decora eiuſdem expenduntur & illuſtrantur. 127.
Capponius Ferrantes Senator laudatus. *65*.
Caput in funeribus velare & obducere, & in funere ſe tundere ſolebant veteres. *92*. *97*. *98*.
Caſperia, & Caſperiana familia Etruſca. 107. unde ita dicta. *ibid*.
Caſperia, & Caſperida Sabinorum oppidum. 107. 108.
Caſulae Etruſcae ſchema. *96*. *97*.
Caulia familia Etruſca. 109.
Centauri, aliaque monſtra cur ſculpta in ſepulcris Etruſcorum. 113.
Centurionum inſigne ab Etruſcis Romani acceperunt. *76*.
Ceraunii lapides. *26*.
Ceres *Axieros* dicta. 22.
Cerretanius Auguſtinus Canonicus Florentinus laudatus. *109*.
Cerunus Deus Gallorum. 23.
Cerus vox antiqua quid deſignet. *ibid*.
Charonti obolus pro portitorio ſolutus. 35.
Cineraria ornata vittis, roſis, pateris, guttis unguentariis, capite bubulo. 122.
Chriſtiani nonnihil Ethnicae ſuperſtitionis primis ſaeculis retinuere. *90*. *91*.
Cibi & vina conlata ſuper tumulos defunctorum. 40.
Cigna Hippolytus. 75.
Claviculi in ſepulcris. *93*.
Claves & anuli heredi datae. 100.
Cochlear tenent qui ſacra faciunt Genio Domeſtico. 10.
Columellae ſuper defunctos poſitae in aram, ſepulcra in templa ſacrata. 44. 45.
Columellae ſepulcrales Etruſcorum deſcribuntur. *66*. *67*. *68*. litteris Etruſcis ſcriptae ad *Acherontica ſacra ſpectantes*. 87.
Columellarum Etruſcarum cum litteris Etruſcis effoſſiones, pretium. 19. 20.
Columellarum ſuper humatos defunctos ſtatuendarum mos ab Orientis incolis ad Etruſcos manavit. 27. mos etiam apud Graecos. *ibid*.
Columellarum Etruſcarum in ſepulcris erigendarum uſus apud Etruſcos. 77. 78.
Columnarum Etruſcarum exempla expenſa. 117. 118. *119*. 120. earum ſymmetria, & ornatus. 128.
Columnarum in ſepulcris uſus & finis. *29*.
Comae primitiae in funere oblatae. *98*.
Compendia litterarum ſive notae in uſu apud Etruſcos. *69*.
Concharum ornamenta in ſepulcris Etruſcorum. 114.
Conditores urbium pro Diis habiti. 30.
Coniuges domeſticorum ſacrorum curam gerebant. 11.
Conſecratio hominum in Divos uſque ad Romulum Maxentium apud Romanos duravit. 30. 31. Vide *Apotheoſis*.
Convivalia vaſcula Etruſcorum, quibus figuris picta. 13. 14. 15.
Convivis ſingulis ſingula potoria vaſa adpoſita. 14. 15.
Cornubus potoriis uſi Etruſci in parentalibus. *16*. Vide inferius *Vaſa*, *Pocula*, *Menſae*.
Cornubus uſi veteres Etruſci pro poculis. 35. *36*.
Corollae laneae mortuis oblatae. *93*.
Corollae, taeniae, ſerta, flores Laribus donati. 52. 53.

Coronae defunctis donatae, & ſacratae. 40. 41.
Coronae veterum Chriſtianorum Chriſti monogrammate ſignatae. 41.
Coronae donaticae Larium Deorum propriae. 54. eaedem victoribus ludorum donatae. *ibid.*
Cretheus Tyronem a Neptuno compreſſam, coniugem accepit. 81. 82.
Crines evulſi, tonſi ac reſciſſi in funeribus. *97. 98.* cur. *ibidem.*
Cruciatus animarum apud Inferos credidere veteres. 48.
Cryſtallina vaſcula Etruſcorum illuſtrantur. 16.
Cucullata larva Mortem repraeſentat in ſepulcris Etruſcorum. 85.
Cuelnia familia Etruſca. 61.
Cuprenſes coronae aheneae in ſepulcris inventae, explicantur. 40. 41.
Cymbalum adhibitum inter ſacra Genio Domeſtico facta. 13. 14.

D

DAemones qui. 46.
Defunctis ſacrata templa & arae. 45. Defunctorum animabus donatum mel, lac, vinum, unguenta. 36. eorum tumuli onerati vino, & cibis. 40. eorumdem Defunctorum animae aliae ſacratae Senatuſconſulto, aliae privato iure. 45. 46. iiſdem tributi pro Geniis ſerpentes. 83.
Deius Ioannes Baptiſta laudatus. 110.
Delphines cur in ſepulcris Etruſcorum. 114.
Deorum Manium nomine veniunt Defunctorum animae. 46.
Deos qui orabant ac precabantur, ſummis pedibus *inſiſtebant*. 2. 3. *nullius* eſſe ſexus Deos putarunt. 58.
Diana inter Deos Inferos habita, eiuſque imago in ſepulcris Etruſcorum occurrit. 132.
Dianae Tauricae ſacra apud Etruſcos. 131.
Dii menſae Praeſides, eorum ſigna, veſtes, cultus, forma. 3. Iidem ſacrificantium habitu expreſſi. *ibidem.*
Dii facti homines rebus belli pacisque clari, & urbium conditores. 30. 31.
Dii Manes erant animae Defunctorum. 46.
Dii ſacrificantium more rituque cur expreſſi. 52.
Diis ſingulis Genii veluti famuli & miniſtri adſignati. 83.
Diſcumbentes qua veſte amicti. 13.
Divorum in numerum, qui nam referebantur. 1. 29. 30. 31.
Divinitas tributa defunctis illuſtribus viris. 30. 31. 32. a Diis data animabus per ambroſiae propinationem. 31. 32.
Dolor ſignificatus elatis manibus apud veteres. 91.
Domitianius Franciſcus Antonius laudatus. 39. 40. 103.
Duces & Magnates ſculpti in Cippis ſepulcralibus Etruſcorum. 76.

E

ELyſiorum ver mortuis optatum. 122.
Epulae anniverſariae in inferiis mortuorum. 40.
Erucal vox Etruſca ſignificat *aedem Iunonis*. 62.
Etruſca lingua pluribus dialectis abundans. 67.
Etruſca monumenra primum neglecta & everſa: noſtra aetate in deliciis, & magno in pretio. 62. 63.
Etruſcae gentis origo indicatur. 131.
Etruſci peltis uſi ſunt in ſacris quibuſdam certaminibus. 113.
Etruſcorum Acherontici lapides illuſtrati. 21. 22. 23. 24.
Etruſcorum nominum inflexiones ad hoc tempus latent. 65.
Etruſcorum characterum multiplex & varia forma. 72. Tuſcorum mores & inſtituta conſonant. 101. 102.
Eugenius Comes Pompeius laudatus. 100.
Explicationes, quae ſpectant ad animas Defunctorum. 35.

F

FAbellae Tuſcae in Italia pervulgatae. 113.
Fabulas a Phoenicibus accepere Etruſci. 113.
Familiarum Etruſcarum nomina. 107.
Famuli Deorum Genii. 83.
Faſti, & Nefaſti dies cur ita dicti. 61.
Fatia Familia Etruſca. 101.
Fauſtulus nutritor Romuli, eius nomen expenditur. 61.
Fecunditatem mulieres a Mutino Deo implorabant. 25.
Figurae pictae in vaſculis Etruſcis cum intorto inſtrumento, quod nam iſtud ſit, inveſtigatur. 10.
Flerem vox Etruſca, quid in Etruſcis donariis ſignificet. 82. 83.
Flores & coronae Genio ſacrae. 13. 14.
Florum ſparſiones in honorem Genii. 12.
Focus ſacer Lari in qualibet domo. 52. 53.

Fontana Eques Architectus laudatus. 118.
Fulgura ſacro ritu condita. 26.
Funebres Etruſcorum ritus e marmoris anaglypho deſcripti. 91. 92. 93. 94. 95.
Funerum peculiare veſtis genus. 92.
Funerum ritus apud Etruſcos ex antiquo monumento explicati a pag. 24. ad 40. 91. 92.
Furiarum, quae veſtis. 92.
Fructus Genio ſacri eidemque oblati. 13. 14.

G

GAbriellius Gabriel Comes laudatus. 63.
Galantis converſa in muſtelam, quod Alemenae Herculem parienti opem tuliſset. 43.
Galli veteres Cerunum Deum peculiarem coluere. 23.
Geniae mulieribus adtributae; ab Etruſcis Iunones dictae. 58. 59. a ſolis Etruſcis ſculptae in ſepulcris. *ibid.* multiplici ſpecie effictae. *ibid.* & 60.
Genii arae ſepulcrali adſtantes quomodo expreſſi. 39.
Genii differunt a Laribus. 50.
Genii & Geniae utroque ſexu apud Etruſcos. 58. 59. 60.
Genii ornati coronis & floribus: his qui ſacra faciunt adparent. 13. 14. iiſdem ſacrati fructus & flores. *ibid.*
Genii ſerpentis ſpecie repraeſentati. 83. tanquam famuli & miniſtri Diis adſignati. *ibidem.*
Genio in menſa, Lari in foco litabatur. 50.
Geniorum & Geniarum in ſepulcris veſtis. 92.
Geniorum & Larium nomina etiam apud veteres confuſa. 6.
Geniorum in ſacris adparitiones. 13.
Geniorum traditio unde profecta. 55. 56. Genii plures Diis cur tributi. *ibid.* & 57. cur etiam animabus defunctorum adſignati. *ibidem.*
Genium inter & animam quod nam diſcrimen. 55. Genii in ſepulcris ſculpti. 56. Genii mali nulla habita ratio in picturis; ſecus vero in ſculpturis. 56. 60.
Genius Domeſticus a veteribus cultus; menſis praeerat; quomodo expreſſus, & quo veſtium cultu: cur ſummis pedibus inſiſtens. 2. 3. convivali cultu ornatus. 4. quid de eius divinitate ſenſerint veteres. *ibid.* praeeſse creditus domibus privatorum: fuit etiam Genius publicus, qui urbibus & populis praeerat. 4. 5. Geniorum erigo inveſtigatur. *ibid.* Genii Domeſtici ſignum in menſa poſitum. 5. in theca Genii ſervari ſolebant. Veteres cibos iiſdem libabant, ſolemni cultu in die Natali. 6. 7. Natalis Genius deſcribitur. 7. 8. liba & placentulae Genio oblatae. *ibid.*
Genius Domeſticus alatus, pictus in vaſculis Etruſcis. 10. 11. 12. 13. 14. floribus & coronis ornatus. *ibid.*
Genius omnium Geniorum princeps. 4. 58.
Genius proprius homines poſt mortem ad locum deſtinatum ducere credebatur ab Ethnicis. 34.
Gignendi caſus apud Etruſcos in *au* deſinit. 101.
Globulus in manu Deorum quid deſignet. 51.
Gorius Antonius Franciſcus laudatus. 8. 17. 19. 25. 44. 53. 63. 75. 111.
Gottius Martinus laudatus. 70.
Graecia Aegyptiorum fabulas recepit Orphaei temporibus. 23.
De Gratianis Comes Vincentius laudatus, & eius Muſeum. 80.
Gratianius Tullius laudatus. 102.
Gutti unguentarii cur ſculpti in urnis Etruſcis. 122.

H

HErculis beneficio in vitam reſtituta Alceſtes. 85.
Herennia familia ex Etruria originem ducit. 75.
Heroas quomodo adpellarint Perſae. 49.
Heroës culti divinis honoribus. 30. 31.
Heroum ſepulcra. 45.
Hippolyti nex in Aricino nemore. 132.
Homerus fere coaevus Numae Pompilio, quo ſaeculo floruit. 22. Tagete longe poſterior. *ibidem.*
Homines defuncti quomodo a Diis per ambroſiam divinitatem conſequerentur. 31. 32. 33. 34.
Hominibus ſingulis tributus ab ortu Genius. 4.
Hymni ac naeniae in funeribus cantatae. 99.

I

IAnus & Iana. 59.
Iguvinorum Indigitamenta Pontificalia. 22. 36.
Imagines Virorum illuſtrium ſculptae in ſepulcris Etruſcorum. 76. 77.
Imago Mortis larva cucullata expreſſa in monumentis Etruſcis. 85.
Indigitamenta Etruſcorum Iguvinorum nota faciunt Deorum nomina. 59.

In-

Inſcriptiones ſepulcrorum Etruſcorum, ut & Latinorum antiquorum perbreves. 114.
Ioannellius Andreas laudatus. 1. *16.* *19.* 40. eiuſdem Diarium Italicum Antiquitatum Tudertium. 20. 24. 25. eiuſdem Diſſertatio in Acta Martyrii S. Vincentii, Maevaniae Epiſcopi. 23.
Iunones Geniae mulierum. 58. *59.*
Iunoni ſerpens cuſtos & famulus datus. 84.
Iunonis protoma tamquam theca ſculpta, in qua icuncula ſacratior recondita. 8.
Iunonis Soſpitae templum, eius cuſtos draco, altus a virginibus. 84.
Iurare ſervi ſolebant per Genium dominae. 58.
Iuvara Philippus Architectus laudatus. 118.

L

LAc feminae e papillis exprimebant in funeribus. 92.
Lacoontis exſcidium, immiſſis a Pallade ſerpentibus. 83.
Lagenula Etruſca cum nota X. 40.
Lamellae tres plumbeae effoſſae in Tudertino Etruſco ſepulcro, quae explicantur. 104.
Lanuvii templum Iunoni Soſpitae ſacrum, & draco in eius tutela. 84.
Lar animam defuncti, ſive Deum Manem exprimit. In aëre ſculptus volitans, & domeſticis ſacris adſiſtens. 85.
Lares bullati in menſa poſiti, hoc eſt Genii. *6.* qui nam ſint. *ibid.*
Lares Compitalitii, ſeu Viales. 54.
Lares dictae animae mortuorum. 48. *49.* domi culti Lares foci Genii, ab Etruſcis dicti Lartes, Lares, non quaſi *larvas*. *ibid.*
Lar & Lara. 59.
Lari adfines alii Dii, Laterculus, ſeu Larculus & Lateranus. 53.
Laribus defunctorum ſacratae ab Etruſcis arae, urnae, columellae. *46.*
Laris & Larthis praenomina apud Etruſcos, inter quae nullum diſcrimen. 116.
Larium cultus qui. 52. corollae, taeniae, ſerta iiſdem donata. 52. 53. liba, placentae. *ibid.* Graeci ad Cecropis tempora Larium cultum referunt. *ibid.* myrto, & rore marino coronati Lares. 52. item ſpiceis ſertis. 53. thure, farre placati & placentis. Bullati Lares. *ibid.* Lares ſunt mortuorum animae. *ibid.* 54. in foco domeſtico culti. *ibid.* Larium ſpecies, cultus veſtium, corona capitis ex frondibus ſeu foliis. *ibid.* 55.
Larthes Etruſcorum ſunt Dii Manes, ſeu Lares. 70. 71. 72.
Larthia praenomen Etruſcum. 73. 74.
Lartis, *Lartes*, Etruſci nominis origo, ex Perſis. *ibid.* eorum diſcrimen a Geniis. 50. Laribus ſacer focus. *ibid.*
Larvae cucullatae imaginem Mortis deſignant in ſepulcris Etruſcorum. 85.
Larvis ornata capitula Etruſcarum columnarum. 128.
Lateranus Deus qui. 53.
Laterculus, ſeu Larculus Deus familiaris. 53.
Laurus ad luſtrationem in funeribus geſtatus. *94.*
Lecti Romanorum ſpondis muniti: ſed apud Etruſcos circumquaque pervii, nec parietibus adhaerentes. 88.
Lectus cubicularis Etruſcus. *ibid.*
Lemures, larvae defunctorum quae. *46.* *49.*
Leo animal Herculi ſacer: cur in ſepulcris ſculptus. 43. 44.
Leonum imagines in ſepulcris. *ibidem*.
Leunculi caput in quod deſinit cornu potorium. 42. Leunculi in faſtigio Etruſci ſepulcri. 78.
Liba quae Genio Domeſtico oblata. 8.
Libatum Genio in menſa poſito. *6.* vini effuſione. *6.* 7. in die natali maiori cultu honoratus Genius. *ibidem*.
Liberi apud Etruſcos patri ſepulcrum ponunt. *65.*
Liberti nomen familiae patronorum obtinebant. 114.
Libri Acherontici Etruſcorum. 21. 22. 23.
Liquores qui ſparſi in parentalibus. 38. 39.
Littera Etruſca Q expenſa. 100. 101.
Litterae Etruſcae ↓ poteſtas detecta. 108.
Litterae in una eademque voce ab Etruſcis repetitae ad emphaſin. 73.
Litterae rarius geminatae ab Etruſcis. 109.
Liviae Aug. Libertorum ſepulcrum hodie deletum. 110.
L. nota ſingularis Etruſca ↓. liberum ſeu filium deſignat. *66.*
Lucerna ſepulcralis navim referens. 114.
Luctus Etruſcorum in funeribus. a pag. 88. ad 100.
Luſtrationes factae in funeribus. *94.* *99.*
Lybantis Genius, qui Temeſſenſes adflixit, ſepulcrorum emblema. *60.*

M

MAcer, cognomen familiae Etruſcae. *64.*
Maevaniatis Eccleſiae Codex continens Acta Martyrum. 23.
Maffeius Marchio Scipio laudatus. 73. 105.
Manes dicuntur defunctorum animae, Lares ab Etruſcis. *46.* Manes, *manus* ve-

veteri lingua *bonus*. *ibid.* Manes cur plurali numero invocati. 47. 48.
Manium Deorum propriae coronae. 40. 41.
Manium nomen pro Defunctis ad ſequiora uſque ſaecula manſit. 46. 47.
Mantile gerunt Dii menſae Praeſides. 3.
Manu capillos vellere in funere ſolebant, & caput tundere. 97.
Maria gens celebris. 114. 115.
Marina monſtra. Vide *Monſtra*.
Mars cur ita dictus. 115.
Materina in Maevania. 100.
Matronarum Etruſcarum habitus. 91.
Mazochius Alex. Sym. laudatus. 73.
Menſae domeſticae forma. 13.
Menſae eſcariae forma, in qua Genio Domeſtico libari ſolebat. 11.
Menſae Etruſcae communioris forma. 13.
Menſa Genio Domeſtico ſacra. 6.
Mercurius animarum Defunctorum comes & ductor; eas ab Orco evocat. 34. 35.
Mercurius *Caſmilus* dictus. 22.
Micron creas ſegmenta ciborum Laribus data. 50. 51.
Mi formula Etruſca in principio Inſcriptionum, donarium & rem ſacram deſignat. 69.
Milites dignitate inſignes ſculpti in Cippis Etruſcis. 76.
Miniſtri & famuli Deorum Genii. 83.
Mithriaca ſacra quo tempore invaluere. 130. 131.
Monetas cum Vulſinenſium, tum Arretinorum cur hodie deſideremus. 102.
Moneta veterum Etruſcorum Peruſinorum cur careant Muſea. 102.
Monſtra in ſepulcris Etruſcis ſculpta quid deſignent. 113. eadem placata, ne defunctis gravia eſſent. *ibid.* Monſtra marina cur ſculpta in ſepulcris Etruſcorum. 114.
De Montemellinio Comes Diamantes laudatus. 19. 79. 86. 104. eius Muſeum celebre. 80.
Morientium ſpiritus ore exceptus a propinquis. 88. 89. 90. 91.
Mors, quomodo expreſſa in monumentis Etruſcis. 85.
Mortui Deorum effigie ſculpti. 31.
Mortuorum animae aut Manes aut Lares adpellatae. 55.
Mortuos floribus & odoribus delectari putarunt veteres. 117.
Multitudo Geniorum. 56.
Murcia gens Etruſca. 71.
Muſeum Cardinalis Gualterii laudatum. 1. 2. 10. 11. 122.
Muſeum Gaddiorum. 65.
Muſeum Gratianium laudatum. 104.
Muſeum Maſciolium. 95.
Muſeum Nobilium de Bavaria Piſauri. 37.
Muſeum Nobb. Oddiorum Peruſiae. 109.
Muſeum Paſſerium. 107. & *alibi*.
Muſtela animal Herculi ſacrum. 43.
Mutini imaginem non referunt Acherontici lapides, Etruſcis litteris ſculpti. 25.
Myrto & rore marino coronati Lares. 52. item ſertis ſpiceis. 53.

N

NAria familia Etruſca. 101.
Natalis Genius cultus. 6. 7. 8.
Navium inſignia, nempe acroſtolia cur in ſepulcris Etruſcorum ſculpta. 114.
Nectare conlata animabus Defunctorum divinitas; pro nectare vinum, lac, mel, unguenta adhibita. 34. 35. 36.
Neleus & Pelias gemini fratres ſculpti in patera Etruſca, eorumque fata. 80. 81. 82. 83.
Nemorenſis Rex qui, & eius ſacrum. 131.
Neniae & Carmina in funeribus cantata. 94.
Neptunus Enipei fluminis forma Tyronem gravidam effecit. 81. 82. eius filii qui. *ibidem*.
Noë nomen Etruſcis notum videtur. 88.
Nomina antiquiſſimorum Romanorum Etruſcis adfinia. 116.
Nomina Deorum Dearumque viris & feminis adtributa. 115.
Nominum Etruſcorum inflexiones. 70. a nominibus urbium ſaepe deſumtorum. *ibidem*.
Notae numerales Etruſcorum. 100. compendiariae. 106.
Numae nomen Etruſco adfine. 88.
Numerales notas Romani ab Etruſcis mutuati ſunt. 40.
Numerales notae Etruſcorum. 73.
Numiſmatum tituli *Roma reſurgens*, *Roma renaſcens*. 103.
Numus aereus inventus intra dentes Defunctorum. 35.
Nuptiae ut felices eſſent ſacra Genio Domeſtico veteres faciebant. 13.

O

OCeano vectae Defunctornm animae ad Elyſiis. 114.
Oliverius Hannibal laudatus. 22. 107. 119.
Ollae cinerariae litteratae. 104.
Orantes Deos, precantes, ac ſalutantes ſummis pedibus ſe adtollebant. 2. 3.
Ore a propinquis ſpiritus morientium ſuſceptus. 88. 89. 90.

Oreſtes in Italiam ſacra in honorem Dianae Tauricae invexit. 131. 132.
Ornamenta Vrnarum Etruſcarum quae. 122.
Oſcilla fictilia pro veris hominum capitibus Saturno dicata. 35.

P

PAlladi famulus adſignatus ſerpens. 83.
Pallii Etruſci figura. 54.
Parentalia ab Etruſcis quomodo perſoluta. 16.
Paſſerius Dominicus laudatus. 104.
Paſſerius Ioannes Baptiſta adoleſcens moratus eſt Tuderti: I. C. Maſſae Praeturam geſſit. 1. 2.
Patellae, ampullae, & alia effoſſa Tuderti in ſepulcro Etruſco. 104.
Paterae Deorum imaginibus conſignatae. 42. omni eruditione refertae. *ibidem*.
Paterae Etruſcae feralis hiſtoria illuſtrata. 82.
Paterae fictiles Etruſcis litteris inſignes. 40.
Paterae ſculptae in Vrnis Etruſcis. 122.
Pateram tum viri, tum mulieres tenent ſacra Genio Domeſtico facientes. 13.
Paterarum Etruſcarum ferales Hiſtoriae. 82. 83. 85.
Patriae amor omnibus a natura inſitus. 79.
P. Paciaudius Teatinus laudatus. 41.
Peccius Eques Ioannes Antonius laudatus. 71.
Pectore nudo & brachiis mulieres funus celebrabant. 92. Pectus & caput tundere in funeribus ſolebant. 91. 92. 93. 94. 98.
Pedibus ſummis inſiſtentes Dii ſculpti, qui nam ſint. 2. 3.
Pelias quaſi *livius* dictus a livore faciei. 81. 82.
Peltae ad ornatum ſepulcrorum ſculptae. 112. & quare.
Peltae Etruſcorum ſepulcrorum religioſa ornamenta. 120.
Peltam Diis praeliantibus, non parmam tribuere Etruſci. 113. item data Diis Inferis. *ibidem*.
Peltatae Vrnae Etruſcorum, nempe peltis ornatae: quid peltae huiuſmodi ſignificent, & cur in ſepulcris Etruſcorum ſculptae. 122.
Penates diverſi a Genio, & Laribus. 54.
Peruſini a Graecis originem ſuam ducunt. 28.
Peruſinorum in Architectonicis ſculpturis peritia. 127.
Perutius Bindus Simon laudatus. 65.
Petrui & *Petruae* praenomina apud Etruſcos, ut *Opeter* apud Latinos. 122.
Phialae cryſtallinae in ſepulcris conditae: unius Etruſcum opificium. 39.
Phoeniciae originis fabulae ab Etruſcis ſuſceptae. 113.
Pictores Etruſci in vaſculis pingendis praecellentes. 9. 10.
A. Pinna Marchio laudatus. 105.
Piſaurenſia vaſcula cryſtallina. 39.
Placentae cum mortuorum cadaveribus tumulatae. 35.
Placentae Laribus donatae. 52. 53.
Plantis omnibus multi Genii adtributi. 56.
Platonis doctrina de Geniis. 5.
Pluto animarum Defunctorum ſuſceptor. 35.
Pluto dictus *Axiocerſus*. 22.
Pocillatorum nomine Genii Domeſtici intelligendi ſunt. 2.
Pocula ſingula ſingulis adpoſita in conviviis. 14. 15. maiora dignioribus viris. *ibidem*.
Pocula maiora magnis viris adpoſita in menſa. 15.
Pocula potoria Etruſca in capita animalium deſinentia. 43.
Potoria Vaſcula Etruſca adferuntur, & illuſtrantur. 15. 16. ea deſinunt in animalium capita. *ibidem*.
Praenomina ab Etruſcis uſurpata indicantur & illuſtrantur. 106.
Praenomen cum nomine coniungunt non raro Etruſci. 101.
Praenominum uſus apud Etruſcos. 66. 67. 68.
Proſerpina *Axiocerſos* dicta. 22. quid haec nomina in ſacris Samothracum, atque in eorum myſteriis prolata ſignificent. *ibidem*.
Pſammeticum commercium reſpondet Tulli Hoſtilii aetati. *ibidem*.
Pugiles Etruſci ad tibiam pugnantes expreſſi in ſepulcro. 78.
Pyrae Etruſcae thema. 87.
Pyra in funeribus Etruſcorum quomodo facta. 95.

Q

QVirinus Angelus Maria S. R. E. Cardinalis Bibliothecarius, Epiſcopus Brixienſis, laudatus. 119.

R

R *Antal* vox Etruſca quid ſignificet. 105.
Rex Nemorenſis Sacerdos Dianae. 131.
Rogus in funeribus. 95.
Rore marino & myrto coronati Lares. 52.

Ro-

Roſae cur ſculptae in ſepulcris Tuſcorum, & in funeribus adhibitae. 117.
Roſae interdum ſculptae in Vrnis Etruſcis cum aliis ſymbolis. 122.

S

SAbatiorum ſacra in Etruriam delata. 131. Sacerdotium Dianae Tauricae quomodo acquiſitum ac delatum. 131.
Sacra quaedam in Etruria introducta, quae ſint. 131.
Sacrificalia Etruſcorum vaſa quae. 13.
Sacrificantes Etruſci quibus veſtibus amicti. 92.
Sacrificia & libationes in honorem Genii Domeſtici pictae in Vaſculis Etruſcis. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
Sacris domeſticis operantes in honorem Genii picti in Vaſculis Etruſcis viri & mulieres. 1. 10. 11. 12. 13. 14.
Salutationes Deorum quo ritu factae. 2. 3.
Saxis ingentibus tituli ſepulcrales ſcripti ab Etruſcis. 65.
Scylla, Larvae & alia Monſtra cur ſculpta in ſepulcris Etruſcorum. 113.
Sepulcra Chriſtianorum forinſecus ſignis quibuſdam indicata. 29.
Sepulcra veterum cur cum capitibus leonum ſculpta. 43. 44. laneis corollis, & frondibus ornata. 93. 94.
Sepulcri Tudertini Etruſci ſupellex deſcribitur. 104.
Sepulcrorum Etruſcorum ornamenta quae. 78.
Sepulcrorum opercula interdum perforata & cyathus ſuper ea cum foraminibus. 37.
Sepulcrum Furiorum. 122. 128.
Serpens in tutela Palladis. 83.
Serpens Iunoni tributus. 84. 85.
Serpentes Genios Deorum & Defunctorum exprimunt interdum. 83. eorum cultus apud Aegyptios. *ibid.* eorum uſus in ſacris Eleuſiniis, Sabatiis, & Orgiis Bacchi. *ibidem*.
Serra Nicolaus laudatus. 111.
Servi fugitivi pro Sacerdotio Dianae Tauricae in Aricino nemore conſequendo digladiantes. 132.
Sigillorum veterum immenſa collectio in Muſeo Gualterio. 1.
Signa Genii Domeſtici ſummis pedibus inſiſtentis. 2. 3.
Signa & ſimulacra Deorum breviuſcula columellis impoſita. 51.
Silicernia ad tumulos celebrata. 14.
Siliceae ſquamae iaculis infixae. 26.
Sindone coenatoria amicti viri ſacra Domeſtico Genio facientes. 12. 13.
Siſpitae ſeu Soſpitae Iunonis templum apud Lanuvinos. 84.
Spiceis ſertis coronati Lares. 53.
Statuae decus homines ſibi uſurparunt, & Deorum effigie ſculpi voluerunt. 31. 32.
De Stoſch Philippus Lib. Baro laudatus. 17.

T

TAbellae ſeu tituli cum bullis picti in Vaſculis Etruſcorum quid deſignent. 12.
Tanitii Etruſci liberalitas in Accam Laurentiam. 61.
Targionius Ioannes laudatus. 70.
Taurus immolatus in Etruſcorum inferiis. 120.
Templa defunctis ſacrata. 44. 45.
Tetinia & Titinia familia Etruſca. *64.* *106.*
Tevinia familia Etruſca apud Peruſinos. 122.
Thana communis Etruſcarum feminarum titulus. 72.
Thecis recondita & ſervata ſigna Deorum, & Genii Domeſtici &c. *6.* 8.
Thure, farre, coronis, libiſque ſacra Laribus facta. 53.
Tibicines in funeribus ab Etruſcis adhibiti. *99.*
Tiburtinus lapis. *86.*
Tiphon unus e Titanibus expreſſus in Vrnis ſepulcralibus quid deſignet. 112. 113.
Titanes, & alia monſtra placata, ne Defunctis gravia eſſent. 113.
Titia gens ex Etruria orta. 75.
Tituli ſeu tabellae cum bullis pictae in Vaſculis Etruſcis quid deſignent. 12.
Toga, quomodo ab Etruſcis geſtata. *92.* *94.*
Toga ſine tunicis *diu amicti* Romani. *92.*
Tommaſii Patricii Senenſes. 88.
Tuderti erutum nuper Sepulcrum Etruſcum deſcribitur. 103. 104. 105.
Tudertina Vaſcula. 42.
Tudertinae Antiquitates Etruſcae. 1. 2. *19.* 24. 25.
Tudertium qui Dii ſumma religione culti. 23.
Tullia familia Etruſca. *64.*
Turni nomen origine Tuſcum. *116.*
Turnorum Peruſinorum ſepulcra. 122.
Tutor filiis a patre morti proximo datus. *99.* 100.
Typus Mortis larva cucullata in monumentis Etruſcorum. 85.
Tyro liberata a calamitatibus a Neleo & Pelia. 80. 81. 82. a Neptuno amata. *ibidem.* eius umbra apud Inferos.

Var-

V

VArna Etruſcorum, forte *Verna* Latinorum. 67.
Vaſa cum liquoribus in ſepulcris Defunctorum condita. 37. 38.
Vaſa ex auro, & argento. 15.
Vaſa in ſacrorum animalium imaginem figurata. 42. in funeribus adhibita eorum figura. 42. 43. Vaſa potoria in funeribus quomodo adhiberentur. *ibidem*.
Vaſcula Etruſca convivalia & eſcaria cur in Sepulcris condita atque in his inventa. 13. Vaſcula potoria ſingula ſingulis in menſa adpoſita. 14. 15.
Vaſcula referentia imagines Deorum. 41.
Vaſculorum Etruſcorum picturae, colores & opificium obſervatur. 9. figurae in his expreſſae intortum inſtrumentum praeferentes, quid deſignent. 10. 11. 12. 13. 14.
Vates in funeribus adhibiti, item Augures. 99.
Vehiculum quid eſſet apud Platonicos. 90.
Velare caput ſolebant funeri adſtantes matronae. 93.
Velciae familiae Etruſcae Peruſinae & Tudertinae monumenta illuſtrata. 105. 106. 107. 108. 109.
Velciorum familia antiqua Peruſina Etruſca. 103. 104. 105.
Velum ſuper pyram expanſum ad Defuncti dignitatem. 95. 96.
Venationes in Sepulcris Etruſcorum expreſſae. 78.
Veſtae protoma ſingularis. 8. 9.
Veſtes quae in luctu ſumtae. 97. veſtis quae fabrorum propria. *ibidem*.
Victores certaminum & milites coronis donati. 41.
Vicus Martis apud Tudertes. 2. 3.
Vinaria, ſeu Vinicia familia Etruſca. 73.
Vinum e maiori cratere ſeu amphora infuſum in poculis convivalibus. 14. 15.
Vipina cognomen Etruſcum. 108. 109.
Virgines quomodo apud Lanuvinos probatae. 84.
Viri & feminae in operculis Etruſcorum Sepulcrorum, in ſiniſtrum cubitum cur reclinati. 88.
Viri & mulieres picti in Vaſculis Etruſcis habitu ſacrificantium. 12.
Vmbrae in Inferno cruciatae, animae vero in caelis degere creditae. 48.
Vmbras Inferos petere, animas caelum putabant veteres Ethnici. 90. 91.
Vmbrorum Acherontici lapides illuſtrati. 21. 22. 23. 24.
Vmbrorum Deus peculiaris Ceronus ſive Cironus. 23.
Vnguentorum uſus in exequiis. 36. 37.
Voces Etruſcae explicatae. 60. 61. 62.
Vrbini cippus ſepulcralis illuſtratus. a pag. 111. ad 129.
Vrbium fundatores pro Diis habiti. 30.
Vrceoli in Sepulcris conditi, quibus vina in inferiis fundebantur. Vrceolus cum nota Etruſca XVI.
Vrnae ſepulcrales e Graeco marmore, utrum exſtent. 24.
Vſtrinae Etruſcae adparatus. 99.
Vulſinenſium Etruſcorum moneta cur hodie nondum viſa. 102.

INDEX RERVM

QVAE OBSERVANTVR ET ILLVSTRANTVR

IN DISSERTATIONIBVS

ANTONII FRANCISCI GORII.

ACademia Cortonenſis Etruſcorum Sociorum laudata. *Pag.* XIX. 50.

Acherontica ſacra in honorem Defunctorum. 113.

Acheronticis ſacris, quae hoſtiae adhibitae ab Etruſcis pro expiatione ſacrorum. 135. *136.* 137.

Achillis ſepulcrum. 125. *126.*

Aedes & palatia nobilium Etruſcorum valde magnifica. *69.* 70.

Aedicularum, & ſimulacrorum apud Etruſcos dedicatio: epulae datae, & hymni cantati. 172.

Aegiſthus ab Oreſte & Pylade interfectus. *162.*

Aegyptii muros quadratis lapidibus exſtruxere. *64.*

Aegyptiorum Architecturam in multis, & in inſtitutis quoque imitati ſunt Etruſci. 52. 85. *86.*

Aegyptius Matthaeus laudatus. 31.

Agonotheta ludis praeſes apud Etruſcos. *86.*

Alabaſtro inſculptae Vrnae Etruſcae apud Volaterranos. 159. *160.* Alabaſtrorum variae ſpecies. 32.

Albergottius Albericus Marchio, & Eques Hieroſolym. laudatus. XXVI.

Albertius Leo Baptiſta laudatus. 22.

Alceſtis fabula ſculpta in patera Etruſca. 135.

Alexandri Paridis fatum in Etruſca Vrna ſculptum. 158.

Alfanii Comites Peruſini. 138.

Aliſa vox Etruſca, quid ſignificet. 142.

Alyattis Croeſi parentis ſepulcrum apud Lydos. 73.

Amphiaraus terrae hiatu abſorptus. *163.*

Amphitheatra in opulentioribus Etruriae urbibus: hodie veſtigia Arretii & Volaterris ſuperſunt. XXVI. 55. *56.* 57. 58. *59.* columnis ornata. 150. Volaterranum & Arretinum deſcribuntur. XIX. & XXVI. *ibid.*

Amphorarum cinerariarum figura. 118. in fictilibus conditi cineres Defunctorum apud Graecos & apud Etruſcos. *91.* 125.

Amymone Nympha rapta a Neptuno. *149.*

Anaglypha fictilium Vrnarum, in quibus conditi Defunctorum cineres, quibus coloribus picta ab Etruſcis. 120.

Andromeda a Perſeo e faucibus ceti liberata. 147.

Angelius Petrus Bargaeus laud. 43.

Animae Defunctorum quomodo redditae divinae ſacris Acheronticis. 135. *136.* 137. 138. ductae ad Deorum coetum a Geniis. 140.

Animalia ſculpta in Vrnis & Cinerariis. 115. *116.*

Animalia ab Etruſcis immolata pro expiatione Defunctorum. 135. *136.*

Animalia monſtroſa commenti ſunt etiam Etruſci. 151.

Animarum profectio ad Elyſios, Geniis deducentibus & comitantibus. 120. purgatio triplex. 148.

Animas hominum eſſe immortales credidere Etruſci. 131. 132. 175.

Anuli cum lapillis pretioſis, inventi in Sepulcris Etruſcorum. 79.

Anulus puerilis cum imagine Nortiae Deae in Muſeo Guarnaccio. *61.*

Apollinis Sminthii templum apud Graecos. 51.

Apol-

Apollo a Tuſcis cultus. 49.
Apotheoſis Defunctorum apud Etruſcos. 135.
Aquae uſus in ſacris Tuſcorum. 62.
Aquarum optimarum inventores Tuſci. 62.
Aquilarum auſpicia Romulus obſervavit in condenda urbe. 6. 7.
Aquilices Tuſci qui. 62.
Ara Etruſca ſuperne in arculae modum ſculpta, Defuncti cineribus ſervandis dedicata. 95.
Arae primum Diis dicatae & erectae in montibus. 50.
Ararum dedicatio ex Etruſca diſciplina. 48.
Aratro impreſſae, & everſae urbes. 9.
Aratrum a qua parte ductum in condendis urbibus. 8. 9. 10. ſublatum, vomere exemto, ubi portae condendae erant. *ibid.*
Arbores & plantae Diis ſacratae ab Etruſcis, & ſub his ſacra iiſdem facta. 51. 177.
Arborum folia maiora Defunctis ſacra. 177.
Architecti Etruſci moenibus condendis praepoſiti. 42. in templis Deorum aedificandis periti. 51.
Architecturae Etruſcae inſigniora aedificia adlata. *Vide in Praefat.* eius partes quae. 29. origo & progreſſus in Etruria. 59. 60. 122. 123. 124.
Architectura Vrnarum ſepulcralium expenditur. 124. 125. 127. 128.
Arculae ligneae inventae in Sepulcris Etruſcorum. 129.
Arcularum ſepulcralium e marmore figura. 114. 115.
Ardeae templum vetuſtiſſimum picturis ornatum. 123. 124.
Argilla elaborata Etruſcorum Vaſcula, Ollae, & Vrnae cinerariae recenſentur. 117. 118. 119. 120. 121.
Argonautarum profectio Colchos. 151.
Aries, ovis & vitulus hoſtiae in inferiis Defunctorum apud Etruſcos. 134. 135. 136. 137. 138.
Arma Deorum Infernalium ſculpta in Sepulcris Etruſcorum. 116.
Arma & inſtrumenta Sepulcris impoſita apud Graecos. 126.
Arretinorum murus lateritius laudatus. 42. Amphitheatrum Tuſcanici operis. XXVI. 55. 56. eorum opes. 57.
Arretii officinae Figulinae. 117.
Artifices Etruſci fictiliarii celebres. 119.
Atalanta cum Helena pictae Lanuvii. 124. Meleagri ſocia. 150.
Atria Tuſcorum inventum, ea picturis ornata. 52. 70.
Auguria captata in condendis urbibus. 3. 4.
Auguſtus quid notet. 5.
Aulaea & ſtragula apud Etruſcos valde operoſa. 133.
Auges & Telephi fatum emblema Etruſcarum Vrnarum. 152.
Aurigae Circenſium Etruſcorum. 87.
Auſpicia captata in templo in condendis urbibus. 3. 4. 5.
Auſpicia captata ab Etruſcis in deſignatione templorum. 52.

B

Bacchus cultus ab Etruſcis. 48.
Baldellius Rinaldus Corton. 75. 76.
Balnea celebriora Etruriae. 62.
Berardius Antonius Franciſcus Comes laudatus. 81.
Biſomum Etruſcum. 116.
Bocchius Octavius laudatus. XX. 54.
Bonarrotius Philippus Senator Florentinus laudatus. XXI. 52. 58. 59. 69. 70. 77. 92. 113. 120. 173. emendatus. 139.
Borghinius Vincentius laudatus. 58.
Bottarius Ioannes Praeſul laud. 77.
Bourguettius Ludovicus laudatus. 113.
Brutus in funere laudatus. 176.
Bucellius Petrus, Patricius Politianus laudatus. XXXI. 102. 121.
Bucrania & paterae ad ornatum ararum Etruſcarum. 95.
Bullae decus additum Defunctis ab Etruſcis. 132. 133. tributum matronis. 150.

C

Cabiri Bacchi cultum in Etruriam detulere. 48.

Cadavera ab Etruſcis promiſcue humata & cremata. 134.

Caecina Aulus Laurentius I. V. D. Patric. Volaterr. laudatus. XXII.

Caecina Familia inter Volaterranas nobiliſſima & illuſtris. 95.

Caelo Deorumque conſortio, qui digni habiti ſunt ab Ethnicis. 79.

Caere picturae Vrbe antiquiores ſpectabantur. 124.

Candelabra ſcitiſſime ab Etruſcis facta. 21. eorum forma. 166.

Cantores & Hymnologi in funere apud Tuſcos. 176.

Capitulum Doricum in uſu apud Tuſcos. 60.

Capponius Marchio Alexander Gregorius laudatus. 134.

Captivi mactati in funere apud Graecos. 139.

Caput veſte tectum in luctu apud Etruſcos. 174.

Carmenta Evandri mater: eius oraculum apud Tuſcos & Latinos. 50.

Carthaginienſium patrii Dii qui. 49. eorum templa, & fores ornatae. 51.

Caſſandrae fatum in Vrnis Etruſcis. 165.

Caſtores inferiis mortuorum praeerant. 176.

Ceiſinia familia Etruſca. 90. 105.

Celer Architectus Etruſcus. 42.

Cella mediana Sepulcri ſacris faciundis deſtinata. 85.

Centauri & Centaurides quomodo ſculptae in Vrnis Etruſcis. 147. 148. eorum exitialis pugna, emblema Etruſcarum Vrnarum. 147.

Centurionis Etruſci inſigne quomodo pictum. 86. 87.

Ceres Dea urbium condendarum praeſes. 12. 13.

Certamina primum Diis & Heroibus ſacra; mox in honorem Defunctorum inſtituta. 133.

Chriſtianorum veterum Sepulcra. 77.

Chriſtianus VI. Rex Daniae & Norveg. laudatus. 64.

Ciampinius Ioannes Praeſul laud. 29.

Ciattius Felix laudatus & emendatus. 101.

Cigna Hippolythus laud. XIX. XXIII.

Cilnia gens Etruſca, e qua Maecenas. 97.

Cineraria clauſa in utroque latere laminulis. XXV. 116. ſine titulo, cur. 117. 118. fictilia. 117. 118. 119. 120. 121. item e plaſtico opere. *ibidem*.

Cineraria & Ollae ex omni materia enumeratae, & quibus in locis frequentius inveniuntur. 122.

Cinerariorum praecipua ornamenta. 114. 115. 116.

Circenſes ludi Etruſcorum. 53. 54.

Clavi figendi in templis conſuetudo apud Tuſcos. 47.

Clavi in parietibus Sepulcrorum fixi, quid ſignificent. 80. 85. 102. 103.

Cloaca maxima Tuſcanici operis deſcribitur, & ſchema adfertur. 66. 67.

Cluſinum Sepulcrum quinque cellis & picturis ornatum. 84.

Clytemneſtra ab Oreſte interfecta. 162.

Coëles Vibenna Dux Tuſcorum. 41.

Colare vina Tuſcos conſueviſſe docent vaſa & cyathi perforati. 186.

Collegia virorum ſacrorum apud Etruſcos ad funus celebrandum ibant. 183. 184. eorum proceſſus & pompa ſacra in ſepulcralibus Vrnis Etruſcorum expreſſa. 178. 179.

Color rubrus Deorum proprius creditus, Defunctis tributus. 133.

Colores qui nam frequentius in uſu apud Pictores Etruſcos. 120.

Columellae impoſitae Sepulcris Etruſcorum. 138. quomodo ſculptae in Vrnis Etruſcis. 174. 175. 176. has ad tumulos Defunctorum ponebant Graeci, item Etruſci. 71. 72. 125. 126. 128.

Comburendi cadavera ritus apud Etruſcos. 134. v. *Humandi ritus*.

Comitium haud dicta fuit foſſa facta dum urbes conderentur. 11.

Communes Dii Tuſcis, Sabinis & Latinis. 49.

Coniugiorum praeſides Dii qui apud Etruſcos. 170. 171.

Conſecratae & dedicatae Ollae cinerariae, & Sepulcra. 118.

Con-

Conſualia ludi Neptuno dedicati a Romulo. 53.
Conſules Gabino ritu cincti bellum indicebant. 13. 14.
Convivantes viri & mulieres apud Etruſcos, quae manibus geſtant. 130. 131. 132. eorum veſtes, & coronae. 130.
Conviviorum ſecundae menſae exquiſitiores. XIII.
Coratius Galeoctus Eques, Patricius Cortonenſis, laudatus. XVI. XXI. 37. 75. eius Muſeum. 152.
Corinthiorum artificum Fictorum & Pictorum commercio valde profecerunt Etruſci. 119. 123. 124.
Cornetanae Cryptae ſepulcrales deſcribuntur. 88. 89. 90.
Coronae vallaris & muralis origo. 18.
Coronae, vittae, & encarpi ſuſpenſi in Sepulcris Tuſcorum. 80. 116. myrteae & laneae in conviviis adhibitae ab Etruſcis. 130. 132. unguentis delibutae. *ibidem*.
Coronae ſacrae Diis Manibus, & eorum Sepulcris. 132.
Coronariae feminae. 182.
Coronati & velati termini poſiti ſacro ritu in privatis agris. 20.
Coronis ſolutis ornata Sepulcra Etruſcorum. 139.
Cortonae moenia Etruſco opere inſignia. 36. 37. eius urbis origo vetuſtiſſima. 38.
Cortonenſe Hypogaeum Sepulcrum deſcribitur & adfertur. a pag. 73. ad 77.
Crotala adhibita forſitan in nuptiis. 172.
Crucis figuram referunt Sepulcra antiqua Etruſcorum. 74. 78. 89.
Culina prope Sepulcrum, vel in parte Sepulcri dedicata Defunctis. 129.
Cuelnia gens Etruſca: eius Sepulcrum in agro Senenſi erutum. 96. 97.
Cultum Defunctorum quae indicant, expoſita. 137.
Cuprae Iunonis templum. 48.
Cupreſſus ſacra Defunctis. 177.
Cyriaci Anconitani editum Itinerarium prodiit ex autographo Bibliothecae Stroziae. XVIII. laud. 65.

D

Defuncti prandentes vel coenantes ſculpti in Sepulcris apud Graecos, ſed non in operculis. 129. 130.
Defuncti ſimulata perſona expiata. 135. 136.
Defuncti culti ab Etruſcis; Manes Dii inferi & ſuperi adpellati. 136. 137. Orientalem plagam ſpectantes ſculpti in Sepulcris Etruſcis. 141. laudati in funere apud Etruſcos, honoribus culti divinis. 131. *& ſeq.* 176. 177.
Defunctorum imagines pictae in operculis Sepulcrorum, Deorum ſpecie. 90. eorum cultus Idololatriae origo fuit. 137. eorum animae cum pompa a Diis deductae ad Elyſios. 174. 175. eorum caput cur velatum. *ibid.*
Defunctos tamquam Deos coluere Etruſci, & eorum ſpecie iiſdemque fere ornamentis exhibuere; a p. 130. ad 140. in ferali lecto, quomodo ſculpti. 174.
Delphines cur ſculpti in Vrnis Etruſcis. 181.
Demaratus Corinthius artifices, Pictores, & Fictores in Etruriam adduxit. 119. 123.
Deorum ſigna ad ornatum portarum Vrbis poſita. 45. 46.
Dempſterus Thomas emendatus. 12. laudatus. 144. 162.
Deorum ſpecie & cum ornamentis ſculpti Defuncti in operculis Sepulcrorum ab Etruſcis. 131. 132. 133.
Deorum Tutelarium ſigna in portis ad ornatum poſita. 45. 46. 47. 51.
Deorum vindictam in impios Monſtra ſculpta in Vrnis oſtendunt. 151.
Deſmaires Carolus Architectus XXVI.
Dextrae iunctae in nuptiis, apud Etruſcos. 171.
Diana immiſit aprum in Calydonium agrum. 150. quomodo expreſſa haec fabula in Vrnis Etruſcis. 169. Diana Infera. *ibid.* & 170.
Dianae Tauricae Sacra in Vrnis Etruſcis ſculpta XXIV. 168. 169. 170.
Dii locorum praeſides culti ab his qui urbes condebant. 6. placati a Romulo

mulo in condenda Vrbe. *6.* 7. iidem invitati. *ibid.*
Dii Aegyptiorum cur orbis ſymbolum capite gerant. 10. 11.
Dii tutelares urbium apud Etruſcos, qua ſpecie eſpreſſi. 25.& in portis. 51.
Dii Lares, ſeu Viales ſculpti in portis. 45. *46.*
Dii patrii urbium Etruſcarum. 48. 51.
Dii Etruſcorum Conſentes, & Complices. 48. patrii, communes. *49.*
Dii contenti vaſculis, & ſignis fictilibus. 117. qui ſint comites Defunctorum ad Elyſios. 140.
Divinitas defunctis impetrata ab Etruſcis. *a* 132. *ad* 137. *&* 150.
Divitum & pauperum Etruſcorum Sepulcra. 71. 72.
Doliis fictilibus reconditi Defunctorum cineres. 117.
Doloris & moeroris indicia. 174.
Domus nobiliorum Tuſcorum magnificae. *69.* 70.
Domus mortui poſt funus luſtrata. 177.
Dona & donaria quae oblata Defunctis. 138. *186.*
Druidae Galli antiqui in multis cum Etruſcis conveniunt. *49.* 50.

E

Echidna monſtrum ſculptum in Vrnis Etruſcorum. *149.* 150. 182.
Elyſiorum beatitate Defunctos frui crediderunt Etruſci. 131.
Emblemata Vrnarum Etruſcarum variant in ſingulis Etruriae Vrbibus. 125.
Elyſiorum beatitudo credita a Tuſcis. 175.
Emblemata Etruſcarum Vrnarum non conveniunt cum inſcriptis titulis. 140. in plures Claſſes ordine diſtributa, quae enumerantur. 143. 144. 145. plerumque feralia in Vrnis Etruſcis. *146.* ſculpturae ex Pontificum placitis, non ſculptorum ingenio pendebant. 147.
Encarpi quomodo fierent. 182.
Epitaphia Vrnarum Etruſcarum brevia, defuncti laudes non continent. 141.
Epulae, & dapes oblatae Defunctis in funere & in inferiis. *129.* ferales & ſceleratae quae. *164.* datae ab his qui urbes condebant. *6.* datae in dedicatione aedicularum apud Etruſcos. 172.
Equus curva Tuſcis ſculptus prope Sponſos in nuptiis. 174. 175.
Ergaſtula Etruſcorum. 101.
Erinnys ſive Furia. *163.*
Eteoclis cum Polynice pugna ſculpta in Vrnis ſepulcralibus apud Tuſcos. 1*39.*
Etruſci augurandi ſcientia periti. 3. 4. artium omnium peritiſſimi. 21. Vid. *Tyrrheni*. in multis Aegyptiorum Architecturam imitati ſunt. 52. ſpectaculorum inventores. a pag. 53. ad 57. ex Aegypto primum, mox ex aliis in haec loca profecti. *69.* 70. deliciis & luxui dediti. 70. viventes Sepulcrum ſibi condiderunt. 118. Sepulcrorum magnificentia. 2. in fictilibus operibus praeſtantia. *119.* eorum cum Graecis commercium. 122. eorum ritus & civiles caerimoniae expreſſae in Vrnis ſepulcralibus. 144.
Eugubinae Tabulae. *26.*
Evocandi religioſi ritus apud Etruſcos. 25.
Evocationes Deorum tutelarium Vrbium. 31.
Evocationes Defunctorum. 137.
Euthimi pugna cum Genio Lybantis. *160.* *161.*
Expiationes ſacrae animarum Defunctorum apud Etruſcos. a pag. 135. ad 138.
Expiati populi, qui conditam Vrbem incolere debebant. 7.

F

Faeſularum moenia e quadratis ſaxis. 38. Faeſulani aedificandi ſtudioſi. *ibid.* Faeſulis porta, & antiqua monumenta, quae exſtant indicantur. *39.* 40. 45.
Falarienſe Sepulcrum in rupe exſciſum. 77.
Falconcinius Linus Eques, Patricius Volaterranus, laudatus. XXIII.

Familiarum Tuſcar. Nomenclator. 142.
Fana adpellata Sepulcra ab Etruſcis. 83. quia ea referunt. 79. 80. 83.
Fana Veneris, Vulcani Martis cur extra moenia exſtruxerint Tuſci. 25.
Faſciae pectorales ornamenta Etruſcarum mulierum. 132.
Faſtigia templorum ornata ab Etruſcis ſignis fictilibus, & aheneis inauratis. 51. & quadrigis. 114.
Fatum & Genius Vrbis invocati. 26.
Feneſtra in Sepulcris Etruſcorum. 80. 81. 101.
Feſtis diebus quomodo culta & ornata ſimulacra Deorum. 133.
Ficoronius Franciſcus laudatus. XVIII. 64. 66. 67.
Fictilibus vaſculis & ollis cinerariis delectati antiquiſſimi Etruſcorum & Latinorum. 117.
Fictilibus ſignis & operibus ornata templa Deorum. 119.
Figulinaria ars a quibus inventa. 119.
Flabella cur teneant Matronae Etruſcae ſculptae in Sepulcris. 150. 177. 178.
Florentiae urbis portae leonibus lapideis ornatae. 45.
Flores ſculpti in Vrnis Etruſcis. 116.
Fontes calidi Homero haud ignoti. 62.
Fores templorum ornatae hiſtoriis. 51.
Forliveſius P. Nicolaus Auguſtinianus laudatus. 90. 106.
Foſſa facta in condendis Vrbibus vocata *caelum*, *mundus*. 10. 11. 12. peritiſſime factae ab Etruſcis. 21. 22.
Fundamenta murorum auſpicato iacta ab Etruſcis & Latinis. 15. 16.
Furiarum ſive Geniarum cultus & ornamenta. 133.
Franceſchiniorum Praedia Volaterrana. XXI. XXII.
Franciarinius Marcellus I. C. Patric. Eugubinus laudatus. 81.
Furiae Plutonis miniſtrae. 149.

G

GAbinus cinctus qui. 10. 13. 14. eo Vrbes conditae ab Etruſcis & Latinis. *ibid.*
Gabinus lapis. 66. 67.
Gabiorum moenia firmiſſima. 41.
Galli antiqui in multis cum Etruſcis conveniunt. 49. 50. eorum patrii Dii qui. 49.
Genia & Parca ſimul ſculptae. 166. comites Sponſorum. 171. 172.
Geniae ſculptae veſtibus ſuccinctis, ritu Gabino perſimili. 13. 132. 133.
Genii praeſides urbium. 7. 25. culti, & invocati. 26. eorum imagines ſculptae in portis. 45. 46.
Genii & Geniae comites Defunctor. 91.
Genius urbibus, & ſingulis locis adſignatus ab origine. 14. item nuptiarum praeſes. 156.
Ginorius Marchio, Senator, Eques Patricius Florentinus laudatus. 122.
Gladiatorum certamina apud Etruſcos. 139.
Graeci aliorum inventa ad ſe trahunt. 119. in moeniis & portis condendis Architectura. 65. ex his multa ſculpta in Sepulcris Etruſcorum. 153. 154.
Graphices artibus Etruſci praeſtantes. a pag. 118. ad pag. 125.
Gryphes cur ſculpti in Sepulcris. 151.
GVARNACCII Proceres clari enumerantur & laudantur in Epiſtola Dedicatoria. a pag. V. ad XII.
GVARNACCIVS Marius Praeſul laudatus in Dedic. Epiſtola, & alibi. XIX. XXI. 110. 111. 112. germani eius Fratres, & Muſeum laudatum. 111. 154.
Guazzeſius Laurentius Eques Patricius Arretinus laud. XIX. XX. XXVI. 55.
Gulinius Antonius Peruſinus laud. 82.

H

HAlicarnaſſeus Dionyſius infenſus gloriae Etruſcorum. 7.
Harpyiarum quae forma, & numerus. 151. 152.
Hecate Etruſcorum. 170.
Hectoris Sepulcrum ornatum columella, & eius clypeo cum ſymbolo leonis. 125.
Helena non per mare vecta, ſed curru quadriiugo Troiam a Paride deducta. 156. Sponſae cultu ornata. 154. 155. 156.

Her-

Hercules cultus ab Etruſcis . 48. Philoctetae donum dedit ſagittas ſuas. 157.

Herculi ara dedicata ab Evandro . 7. eius conſecratio & ad caelum deductio ſculpta in patera Etruſca . 135.

Hiſtoriae Graecae, & Fabulae Homericae ſculptae in Vrnis Etruſcorum. 122. 125. Fabulae peregrinae . 143.

Hiſtriones Tuſci . 53. 54.

Homericae Hiſtoriae ſculptae in Vrnis cinerariis Etruſcorum. 122. 125.

Homeri Ilias & Odyſſea Etruſcis Vrnis illuſtrata . 143.

Homerus Etruriam peragravit, & multa ab Etruſcis accepit . 155.

Hominum delictis obnoxiorum poſt mortem expiatio quomodo facta ab Etruſcis. a pag. 135. ad 138.

Honores habiti Defunctis . 177.

Hoſtiae pro expiatione Defunctorum apud Etruſcos . 135. 136.

Humandi & comburendi cadavera Defunctorum ritus apud Etruſcos promiſcuus . 134.

Hypogaea Sepulcra cur ſibi viventes fecerint Etruſci . 130.

I

IAnuae templorum Etruſcorum ornatae . 51. Sepulcrorum ornatae ſolutis coronis. 139. Vide *Fores*.

Ianualis porta a Iano dicta. 44. 46.

Ianua ſculpta in Sepulcris quid deſignet . 181.

Idololatria orta ex cultu Defunctorum. 79. 137.

Igne excoquendis fictilibus operibus Etruſci praeſtantes . 117. 119. 120.

Ignis omnia purgare creditus ab antiquis . 134.

Ignita ara adhibita in ſacris Acheronticis . 135. 136.

Iguvinorum Sepulcrum Etruſco opere, quadratis lapidibus exſtructum . 79. 80. 102.

Iliaca emblemata ſculpta in Vrnis Etruſcis. 153. 154. 155.

Ilias Homeri Vrnis Etruſcis illuſtrata . 143.

Imagines Defunctorum in operculis Sepulcrorum ſculpſere Etruſci; qua ſpecie, & quare. a pag. 128. ad 132.

Imagunculae Deorum in Sepulcris Defunctorum conditae . 184. 185.

Immortalitatem animarum poſt mortem corporis credidere Etruſci. 131. 132.

Inaurandi ars apud Tuſcos . 120. 121.

Infera Numina armis inſtructa . 175. 176. imas terrae partes tenent . 130.

Inferum Numen barbatum apud Etruſcos . 181. 182.

Inghiramius Iacobus Abbas & Canonicus , Patric. Volaterr. laud. XXIII.

Initia, & myſteria cur ſculpta in Vrnis Etruſcis . 167. 168.

Inſcriptiones maiores Sepulcrorum Etruſcorum quid contineant . 104. earum Syntagma . 142. 143. minio pictae. 82.

Inſignia regiae maieſtatis Romulus ab Etruſcis accepit . 14.

Inſignia militaria, ut & Centurionis Romani ab Etruſcis accepere . 87.

Inſignia impoſita Sepulcris. 126.

Iovis Tarpeii templum ab Etruſcis Architectis ornatum . 51.

Italiam occuparunt primum populi , qui vel Graecis originem dedere , vel ex ipſis orti ſunt . 153.

Iulianellius Andreas Sacerdos Florent. laudatus . 94.

Iuno Cupra ab *Etruſcis culta*. 48. Iugalis culta a mulieribus . 172.

Iunonis cognomina Etruſca . 48.

Iupiter *Anxur* cultus ab Etruſcis . 49. *Minianus* , quia minio tinctus in feſtis . 133.

K

KIrcherus Athanaſius laudatus . 86.

L

LAcunaria Sepulcrorum Etruſcorum picta, & in topho excavata. 86. 90.

Laena veſtis duplex Etruſcorum . 86.

Laeva pars apud Etruſcos auſpicatior. 8.

Lanuvinorum antiquae picturae. 123. 124.

La-

Lapidibus quadratis exſtructa moenia Etruſcarum, & Latinarum Vrbium. 40. 41. Vide *Moenia*.
Lapis auſpicalis qui. 16?
Lares Dii, ſive Dii Viales ſculpti pro ornamento Tuſcanicae portae Volaterranae. 45. 46.
Larva cucullata ſculpta in Vrnis Mortem deſignat. 181.
Lateritii muri quando in uſu. 30. 42.
Latii oppida multa Etruſco ritu condita. 2. 3. Latinae Vrbes opulentiores Amphitheatra habuere. 56.
Latini in Deorum coetum animas Defunctorum ut Etruſci referebant. 140.
Latinorum inſigniora antiqua aedificia adlata. xviii. eorum antiquiora Cineraria. 115. picturae antiquiores. 123. 124.
Laudes mortuorum in funere apud Tuſcos celebratae. 176.
Lautumiae Volaterranae marmoris copia, nempe alabaſtro, fecundae. 121. 122.
Lecti cubicularii apud Etruſcos qua forma cultuque facti. 154. 164. diſcubitorii & ferales apud Etruſcos. 172. 174.
Lemniſci additi coronis ab Etruſcis. 132.
Leones ornamenta portarum antiquarum. 45.
Leonum capita ad ornatum Sepulcrorum Etruſcorum. 126.
Libationes *factae* in honorem Defunctorum. 139.
Libitina. 168.
Libri Etruſcorum qui. 4. Rituales. 17.
Lictores apud Etruſcos cum faſcibus, & baculis. 172. 179. 180.
Linearis caelatura apud Etruſcos. 123.
Linguae Etruſcae cum Graeca & Latina antiqua ſumma adfinitas. 83. quae aliae linguae Etruſcae opitulantur. 107. 108.
Lipſienſium Actorum Eruditorum Auctores. 154.
Litterae in Sepulcris Etruſcis inciſae, rubricatae vel atramento ſcriptae. 142.
Loculi in Sepulcris Etruſcis. 74. 77. 78. in rupe excavati. 83.
Locuſtas abigere creditus Hercules. xvii.
Lucernae inventae in Sepulcris Tuſcorum. 139.
Luctus in funere Defunctorum apud Graecos, & Etruſcos. 125. 126. *& ſeq.*
Ludi ſaeculares quando inſtituti. 5. 6.
Ludi ſcaenici apud Etruſcos. 53. 54. 56. triumphales Etruſcorum. 57. 58. in honorem Defunctorum ab Etruſcis inſtituti. 133.
Ludiones Tuſci. 53. 54. 56. in funere picti in Sepulcro Cluſino. 86.
Luci prima Deorum templa fuere. 50.
Lunae urbis Etruſcae antiqua monumenta. 58.
Lunenſium marmorum lautumiae. 58.
Luſtrationes & expiationes cur ſculptae in Vrnis Etruſcis. 167. 168.
Luſtrationes animarum Defunctorum apud Etruſcos. a pag. 135. ad 138.
Luxus nobilium Tuſcorum. 70.
Lybantis Genius in Temeſſenſes deſaeviens quomodo ſculptus in Etruſcis Vrnis. 160.

M

MAecenatis Etruſci laudes. 97. 98. Maffeii Patr. Volaterr. laudati. xix. xxii. 61. 62.
Maffeius Marchio Scipio laudatus. 88. 89. 90. 101. 104. 111. 113. 141. 142. 144.
Maffius Stephanus Architectus Volaterranus laudatus. xv. 33. 63. 68.
Magiſtratus antequam munera obirent expiari ſolebant. 179.
Malvae Diis Inferis ſacrae. 182. 183.
Manes Dii Defuncti: cur ab Etruſcis ita dicti: Superi & Inferi. 136. 137. eorum tutela. 140. ſacra abdita & occulta apud Etruſcos. 113.
Mantuani Etruſci Ditem Patrem coluere. 49.
Margarinius Antiquarius laud. xviii.
Marmocchinius P. Sanctes laud. 78. 79. 98. 100.
Marmora Etruſci unde acceperint. 60.
Mars Gallorum Deus, *Heſus* ab his dictus. 49. 50.

Matronarum Etruſcarum ornamenta quae. 150.
Mazzochius Alexius Symmachus laud. 22. 30. 32.
Meleagri pugna cum apro Calydonio ſculpta in Vrnis Etruſcis. 150.
Menelaus necem Paridis raptoris Helenae expetit. 155. 158.
Menſae Etruſcorum voluptuoſae. 70.
Mercurius cum delphine ſculptus in patera adhibita in parentalibus. 185. 186. a Gallis adpellatus *Teutates*. 49. 50.
Minerva urbium & arcium praeſes. 13. a Gallis culta dicta *Tharamis*. 49. 50. cum Victoria Pallantis filia ſculpta in patera Etruſca. 134. 135.
Miniari ſolitus vultus Deorum in feſtis iuxta morem Etruſcorum. 133.
Miniatae litterae Sepulcrorum Etruſcorum. 82.
Miniſtri & Rex ſacrorum in ſacris Acheronticis. 135. 136.
Moenia Vrbium Etruſcarum. xiv. xv. eorum fundamenta auſpicato & rite condita. 15. ea ſacra habita, item ſancta. 16. 17. *auguſta* adpellata, & habita. 17. 18. cur ita dicta. *ibid.* quadratis lapidibus exſtructa. 23. Romae ſub Romulo parva, & e lapidibus coacervatis, mox lapidea & ex quibus lapidibus. 29. valde alta conſtrui ſolita. 57. eorum ſtructuram Etruſci excogitarunt, & Italis monſtrarunt. 21. eorum apud Tuſcos magnificentia. 28. 30. Muri Arretini. 55.
Moerus pro murus. 18.
Monſtra quae in veſtibulo Orci. 148. 149. 150. 151. eorum expiatio quo ritu apud Etruſcos peracta. 160. 161. 162. quae & quare in Vrnis Etruſcis ſculpta. 182.
Montemellinius Comes laudatus. 186.
Montes Diis ſacrati ab Etruſcis, & ab eorum nomine adpellati. 50. 51.
Monumenta illuſtrium virorum ornamentis & parergis ornata. 126.
Moronus Carolus laudatus. xviii.
Mortem quomodo deſignarint Tuſci. 116. 160. 161. 181.
Mortui. Vide *Defuncti*.
Motus a ſiniſtra in dexteram. 8.
Muliebris mundi ornamenta apud Etruſcas feminas. 127. 132. 133.
Mulieres ſculptae in Sepulcris, quae nam manu gerant. 130. 131.
Mundum dixere inferiorem terrae partem, Diis Inferis & Dis Manibus ſacram. 130.
Munitiones urbium *tyrſes* dictae ab Etruſcis. 21.
Muri urbium ſacri erant. 16. V. *Moenia*.
Muri lateritii quo tempore in uſu apud Romanos. 30. 42. in uſu apud Etruſcos. 55. 56.
Murorum praeſtantes conditores Pelaſgi, & Etruſci. 21. anguli in muris ab ipſis improbati. 24.
Muſeum Guarnaccium & Publicum Volaterris, item Georgiorum. 110. 111. 112. Antinorianum. 174. Bucellium. xx. 115. 121. laudantur.
Muſica in ſacris Acheronticis adhibita. 136.

N

Natalis dies Romae. 5. 6.
Natio Latinorum Dea quae. 61.
Nauplius cuius filius. 149.
Nemeſis num Tuſcis ignota. 166.
Nemorenſis Rex ſacrorum. xxiv. 169. 170.
Nordenus Danus laudatus. 64.
Nortiae Deae templum apud Volſinienſes. 47. 48. 61.
Nudis pedibus Etruſci epulabantur. 130.
Numae corpus in arca conditum. 115.
Numen Romae tutelare ignotum. 14.
Numina Etruſcorum pluribus cognominibus adpellata. 48.
Numerales notae Etruſcorum. 142.
Numorum Etruſcorum typi cum Deorum imaginibus vel adtributis. 48. 49.
Nuptiae noctu celebratae. 171. ante oſtium domus, cur ſculptae in Vrnis Etruſcis. 170. 171. 172.
Nuptiales veſtes quae. 171.
Nymphis Fontinalibus quae folia adtributa. 178.

Obla-

O

OBlationes quae Defunctis factae. 138.
Odoramenta & vaſcula cum odoribus donata Defunctis. *139*.
Odyſſea Homeri emblematis Etruſcarum Vrnarum illuſtrata. 143.
Officinae Sculptorum in Vrbibus Etruriae. 71. 125. Figulinariae integrae prope Volaterras inventae. 122.
Oliverius de Abbatibus Hannibal laudatus. 103. 113. 142.
Ollae ſine titulo in Sepulcris conditae, quid ſignificent. 117. 118. *virgines* dictae, earum figura. *ibidem*.
Opercula Vrnarum Etruſcarum. 141.
Oracula Deorum apud veteres Tuſcos. 50.
Orbis ſymbolum cur in capite gerant Dii Aegyptiorum. 10. 11.
Oreſtes Clytemneſtram interficiens, emblema Vrnae Etruſcae; comes eius ultionis Pylades. *163*. expiatus apud Troëzenios. *169*. in Italiam ſacra Dianae Tauricae adduxit. *168*. *169*.
Ornamenta mulierum Etruſcarum quae. 150. cum virilia tum muliebria condita in Sepulcris. *186*.
Ornamenta Vrnarum Etruſcarum, quae Volaterris eruta ſunt. 127.
Orthographia Etruſcorum. 142.
Orville Iacobus Philippus laudatus. *65*. *66*. eius opus inſigne *Antiquitates* Siculae. *ibidem*.
Oſcilla cur ſculpta in Vrnis Etruſcis. 181.
Oſtia Sepulcrorum foribus ſeu valvis clauſa. 75. 81. interdum ingenti lapide. *94*. *97*.

P

PAciaudius Paulus M. Teatinus laudatus, eius lucubrationes: Diſſert. *De Vmbellis veterum*. 18*6*.
Pagninius Antonius Philippus Medicus laudatus. *68*.
Pales Dea; eius ſacrificium incruentum. 5. *6*.
Palilia Feſta, quae. 5. *6*.
Panvinius Onuphrius laudatus. 10*9*.
Paranymphus in nuptiis Etruſcorum. 171.
Parca ſculpta in Vrnis Etruſcis. 150. ductrix curtus Helenae & Paridis. 15*6*. cur ab Etruſcis expreſſa cum rota. 1*66*.
Parcae placatae in nuptiis apud Etruſcos. 171. earum imago apud Tuſcos. 185. 18*6*.
Parentalia Etruſcorum. 177.
Parietes formaceo opere ſtructi ab Etruſcis. *63*. eos pingere primus forſitan in Italia docuit M. Ludius Elota. 123. 124.
PASSERIVS Io. Baptiſta Vicar. Dioeceſis Piſaurenſis laud. XX. XXIII. XXIV. 13. 2*6*. 52. *61*. 72. 78. 84. *97*. *98*. 100. 113. 114. 122. 128. 133. 134. 135. 13*6*. 142. 144. 145. 150. 1*6*8. 173.
Paterae ſacrificales adhibitae in funeribus Etruſcorum. 134. 135. eaedem & cyathi perforati apud Etruſcos. 18*6*.
Pavimenta Etruſcor. Sepulcrorum. *96*.
Peccius Ioannes Antonius Eques Patric. Senenſ. laudatus. *96*.
Pelaſgi in condendis muris praeſtantes. 21.
Peltae cur in Tuſcis Vrnis ſculptae. 12*6*. 181.
Penatibus ſacra erat culina, quae etiam Diis Manibus adpoſita. 12*9*.
Perpetuitatem aedificiorum Tuſci ex quibuſdam obſervationibus portendebant. 27.
Peruſia referta Sepulcris Tuſcanicis. 81. 82. Etruſcum Sepulcrum inſigne deſcribitur. 100. 101.
Philoctetae fatales ſagittae: ſine his Troia capi non poterat. 15*6*. 157. eius imago ſculpta in Sepulcro Etruſco. 157. 158.
Philomelae fatum. 1*6*3. 1*6*4.
Phineus ab Harpyis vexatus, & liberatus. 151.
Phogor Deus Moabitarum & Madianitarum. 50.
Picturae quae nam prima fuere fundamenta. 120. origo & progreſſus in Italia & Etruria. 122. 123. 124.

in Sepulcris Etruſcorum ad lumen candelae factae. 133.
Pictura in Italia & Etruria floruit ante Romam conditam. 123. 124.
Piſcina admirando opere Tuſcanico exſtructa apud Volaterranos. 63.
Plaſtae Etruſci & Graeci celebriores. 119.
Plaſtice ars omnium antiquiſſima. 119. eam Etruſci & Itali perfecere. *ibid.* omnium artium mater. 122.
Pluto rapiens Proſerpinam, emblema Etruſcarum Vrnarum. 149.
Pochoch Richardus laudatus. 65.
Polites a Pyrrho ad aram occiſus. 165.
Politiani effoſſa Etruſcorum Sepulcra. 102.
Polynicis cum Eteocle pugna ſculpta in Sepulcris Etruſcis. 139.
Polyxena mactata ad Sepulcrum Achillis. 126.
Pomoerium quid eſſet, quomodo, & cur poneretur: tam intra quam extra Vrbis murum fuit. 19. cippis ac terminis definiebatur. 19. 20. quibus licitum erat pomoerium proferre. 20.
Pompa nuptialis. 172.
Pontificum auctoritatae Sepulcra, Cineraria & Ollae conſecratae & dedicatae. 118.
Populonium urbs Etruriae, colonia Volaterranorum. 31. eius numi. 32.
Porſenae Sepulcrum magnificentiſſimum e quadrato lapide. 72. 73.
Porta aditus ad Sepulcrum. 94.
Portae Etruſcarum Vrbium. XVI. ornatiores interiore parte. 44. non ſacrae, ſed ſanctae habitae: ornatae ſignis Deorum. 46. ritus Etruſcorum in condendis portis. *ibid.* ornatae ſtatuis Principum, & virorum illuſtrium. *ibi.*
Portas tres, alii quatuor a Romulo conditas tradunt. 44. 45.
Portarum arcuata forma laudata. 43.
Praſiteles Plaſta celebris & Sculptor. 119.
Preces & ſacra verba in Acheronticis recitata. 136. 137.
Primitiae omnium, quae erant in uſu, in foſſam coniectae dum urbes conderentur. 11. 12.
Profectiones animarum Defunctorum ad Elyſios ſculptae in Vrnis Etruſcis. 140.
Profuſiones & ſparſiones roſarum in funeribus. 116. 177.
Pronubae Etruſcae imago. 171. 172.
Propinationes in honorem Genii Domeſtici. 131.
Proſerpina a Plutone rapta expreſſa in Sepulcris Etruſcis. 149.
Pugiles Etruſci ſpectati Romae ſub Romulo. 53. ſculpti in urnis. 78.
Pugillaria & volumina tenent viri convivantes ſculpti in Sepulcris Tuſcorum. 131.
Pugilum Etruſcorum certamen pictum in Cluſino Sepulcro. 78. 87.
Pulvinaria Diis dedicata, & Defunctorum Manibus ab Etruſcis. 133.
Purgationes & luſtrationes animarum apud Inferos. 148.
Puticuli in Sepulcris Etruſcorum. 103.
Pyrae uſus apud Etruſcos & Latinos ad comburenda Defunctorum corpora. 138.
Pythagorae in Italiam adventus. 76. eius hiſtoria multis fabulis corrupta. 77. idem multa docuit Italos & Etruſcos. 132.

Q

QVadratis lapidibus aedificare ſoliti Aegyptii, Graeci, Siculi & Etruſci. ~~64. 65. 66. item an~~tiqui Romani. *ibid.*
Quadrigae fictiles ad ornatum templorum Etruſcorum. 51.
Quiritium dicta foſſa urbium monimentum. 11.

R

REtiariorum cum ſecutoribus ludus apud Etruſcos. 54.
Rex Nemorenſis qui. 169. 170.
Rex Sacrorum & eius Miniſtri in ſacris Acheronticis in honorem Defunctorum. 135. 136.
Rhodiginus Caelius emendatus. 11.
Ril vox Etruſca quid ſignificet. 142.
Rituales Libri Etruſcorum. 26. V. *Libri.*

Ri-

Ritus in condendis urbibus praeſcripti ab Etruſcis, & a Latinis ſervati. 2. 3. 4.
Roma a Romulo condita Etruſco ritu. 3. Vrbis conditae ambitus 8. quadrata figura. *ibid.* quo tempore rurſum condita. *6.* in principio tres portas habuit. 45. eius natalis dies. 5. *6.* nomen arcanum. 13. eius moenia ſub Romulo parva: mox ab Anco Rege muro lapideo cincta. *29.*
Romani ab Etruſcis ſcaenicos ludos acceperunt. 54. 55. 56. 57. in condendis Sepulcris ab iiſdem exemplum mutuati ſunt. 80.
Romuli conſecratio. 140.
Romulus Augur fuit, & auſpicato Vrbem condidit. 3. 4. 5.
Roſae ſculptae in Sepulcris Etruſcorum. 116. earum ſparſiones in funeribus apud Tuſcos. 177. 183.
Roſis ornatum Hecates Deae caput. 182.
Rota Parcae ſeu Nemeſi Etruſcae adtributa, vitae currentis imago. *166.*
Rubricatae litterae Sepulcrorum Etruſcorum. 141.
Rubrus color Deorum proprius. 141.

S

SAcerdotes & Pontifices Etruſcorum barbati. *163.*
Sacra facta antequam urbes conderentur. 5. *6.*
Sacrificium *piaculare*. *168.*
Saecula naturalia, quae apud Etruſcos. *26.* 27.
Saliorum Curia. 5.
Sanctitas tributa moenibus, non autem portis ab antiquis. 17.
Sanguine quorumdam animalium animae Defunctorum expiatae in ſacris Acheronticis Etruſcorum. 135. 1*36.* 137. 138.
Sarcophagi fictiles anaglyphis ornati apud Etruſcos. *91.*
Saxis pugnatum antiquitus. 147. 148.
Scamna in Sepulcris Etruſcis cui uſui. *90. 93. 94.* 103. 104. ad Sepulcrum Hectoris. 125.
Schoepſlinius Io. Daniel laudatus. 175.
Sculpturae origo, progreſſus & laudes apud Etruſcos. 113. 124.
Sculptorum Etruſcorum mirum ingenium, ac ſolertia. 123. 124. 173. 174. 175. officinae in Etruria. 15*6.*
Scylla monſtrum ſculptum in Etruſcis Vrnis ſepulcralibus. 150.
Sedentes ſuprema officia mortuorum celebrabant apud Tuſcos. 17*6.*
Sedilia ſive ſcamna in Sepulcris Etruſcorum. *90. 93. 94.* 103. 104. 17*6.*
Sella curulis in pompis geſtata. *179.*
Sepulcra Etruſcorum pro varia hominum conditione condita. 71. 72. pro templis habita. *79.* 80. 83. ſplendidiora duplici cubiculo ornata. 80. 81. 82. 83. ſuperiora nobilioribus, inferiora minoris ordinis viris deſtinata. *ibid.* picturis, ſtatuis, cellis, lacunaribus ornata. 84. 85. *90. 91.* Volaterris eruta deſcribuntur. *92. 93. 94.* ea in ſingulis Etruriae Vrbibus Magiſtratus & Collegia habuere. *99.* 100. Templa ſunt Deorum Manium. 103. in ſuperiori cubiculo conditae Vrnae Defunctorum nobiliorum; in inferiori aliorum infimi ordinis & ſervorum. 103. eorum oſtium & aditus verſus meridiem. 74. 78. *93. 95.* quae eorum forma. *97.*
Sepulcrorum latera Etruſci anaglyphis ornarunt. 12*6.*
Sepulcrum Chriſti Domini novum, & *hypogaeum* fuit. 118.
Sepulcrum domus aeterna dicta ab Aegyptiis. 70. 115.
Servi apud Etruſcos ſecretas aedes habebant. 70. titulos Sepulcrorum ſcribebant. *97.* magno numero apud Tuſcos: iidem & agros colebant. 101.
Signa Penatium Deorum, Larium & Genii Domeſtici recondita in Sepulcris. 184. 185.
Silicernia apud Etruſcos. 104.
Simulacra Deorum in templis Etruſcorum. 51. in feſtis quomodo culta & ornata. 133.
Siniſtra pars apud Etruſcos auſpicatior. 8.
Spectacula ab Etruſcis dari ſolita in fu-

funere ex antiqua Sepulcri pictura. 86. 87. eorum inventores Etruſci. 53.
Sportularum largitiones in uſu apud Tuſcos. 179. 180.
Statuae in Sepulcris Etruſcorum inventae. 84. earum multitudo apud Etruſcos. 62. primi eas Tuſci in Italia invenerunt. 123.
Steno Nicolaus laudatus. 44.
Strigiles balnearii in Sepulcris Etruſcis inventi. 186.
Strozius Carolus Senator Florentinus laudatus, & eius Bibliotheca. XVIII.
Suareſius Ioſeph Maria laud. XVIII.
Sulcum inter & foſſam diſcrimen in condendis urbibus. 12.
Sullae L. Cornelii Arx in edito colle Volaterrani Agri adfertur. 68.
Supellex funebris inventa in Sepulcris Etruſcis, in tres claſſes diſtributa enumeratur. 79. 184. 185.
Suppedanea prope lectos cubiculares & triclinares apud Etruſcos. 174.
Suſpenſi in Inferno homines ſontes. 148.
Symbola Vrnarum Etruſcarum quae. 180. 181.

T

TAberna & coenaculum partes Sepulcri. 129.
Tages auctor Acheronticorum Sacrorum apud Etruſcos. 135.
Targionius Ioannes Med. laudatus. 35.
Taurica Dianae ſacra in Italiam invecta ab Oreſte. 168. 169.
Taurus & vacca cur ad aratrum iuncti ab Etruſcis in condendis urbibus. 8. cur. *ibid.* 9.
Tauticus Aegyptiorum character. 85. 86.
Tegulae apud Etruſcos. XXV. ad occultandas Ollas cinerarias in Sepulcris: ornatae & inſcriptae. 78. 121. earum uſus in Sepulcris Etruſcorum. 102.
Telephus cum Auge ſculptus in Vrnis Etruſcis. 152.
Temeſſenſes infeſtati a Genio Lybantis. 160. 161.
Templa quibus nam Diis intra urbem, quibus extra dedicarint Etruſci. 25. & iuxta urbis portas condita. 44. celebriora Etruſcorum enumerantur. 47. 48. ornata donariis. *ibid.* ea Etruſci condentes, eorum imaginem in ſolo ſcipione deſignabant. 52. eorum dedicationes ex Etruſca diſciplina. 48. quam antiqua origo apud Ethnicos. 50. 51. quae figura. *ibid.* primum exigua & anguſta fuere: vetuſtiſſima etiam apud Latinos. 52.
Templum Capitolinum a Tuſcis fabris perfectum. 52. eius antiqua veſtigia adferuntur. 67.
Terminis definitus locus Sepulcri. 20.
Termini in privatis agris quo ritu ponerentur. 20.
Teutates Gallorum patrius Deus, nempe Mercurius. 49. 50.
Thalamus in Tuſca Vrna expreſſus. 154.
Theatra ornata ab Etruſcis cum aris Deorum. 54. quae in urbibus Etruriae. 53. 54. 56.
Thebae centum portis clarae. 42. 43.
Thebanorum in templis & Sepulcris condendis magnificentia. 64. 65.
Themis culta ab Etruſcis, oraculum in Etruria habuit. 50.
Theſeus contra Centauros pugnavit. 147. Helenam rapuit. 155. 156.
Tiſiphone ſculpta in Sepulcris Etruſcis. 149.
Tituli ſcripti in Ollis ſepulcralibus. 117. in operculis Etruſcarum Vrnarum ſcripti litteris rubricatis. 141. 142. Vide *Epitaphia*.
Torque circa collum more Dearum ornatae mulieres ſculptae in Sepulcris Etruſcorum. 133.
Traiectitia ſacra Etruſcorum. 9.
Tragoedi Tuſci. 53. 54.
Tribus nomen utrum Etruſci in titulis ſepulcralibus expreſſerint. 141.
Triclinii Etruſci exemplum. 164.
Triumphantis pompa cur ſculpta in Vrnis Etruſcis. 180.
Troica Hiſtoria emblema Sepulcrorum Etruſcorum. 154. 155.
Tumulandi ritum Etruſci ab Aegyptiis didicerunt. 78.
Turianus figulus Iovis & Herculis ſigna fecit iuſſu Tarquinii Priſci. 119.

Turres urbium ſacrae habitae. *26.*
Tuſcanica ſigna quanto in pretio. 123.
Tuſcorum Hiſtoriae. *26.*
Tyrrheni cur ita, & unde adpellati. 21. in aedificiis condendis peritiam Italis monſtrarunt. *ibid.*

V

VAſa ſeu Vaſcula omnis generis inventa in Sepulcris Etruſcorum. 129. picta, Defunctis donata. 185. mira eorum varietas & ſymmetria. 122.
Veientes in figlinis operibus fingendis praeſtantes. 119. eorum moenia firmiſſima. 24. 41.
Velamina, vittae, taeniae ornamenta Sepulcrorum Etruſcorum. *181.* 182.
Velati & coronati termini in agris privatis poſiti. 20.
Venatio picta in Sepulcro Cluſino. 87.
Venationes editae ab Etruſcis. 58.
Venutus Philippus laudatus. 172. 173. 186. item eius Fratres. 37.
Vrnarum ſepulcralium varia genera. 114.
Veſtae matris ſigillum inſcriptum litteris Etruſcis. 106. Iovem infantem ſinu fovens. *61.*
Veſtibulum habuere ſplendidiora Tuſcorum Sepulcra. 75.
Viales Dii ſculpti in portis. 45. *46.*
Vinciolius Com. Hiacynthus laud. 58.
Virgilius *Hiſtoriarum & Mythologiae* Etruſcorum peritiſſimus. 148.
Viri & mulieres promiſcue ſepulti in Hypogaeis Etruſcorum. *98.*
Virorum illuſtrium & Principum ſigna ad ornatum portarum poſita. *46.*47.
Vittae & taeniae Defunctis donatae ab Etruſcis. 132.
Vitulus hoſtia in inferiis Defunctorum apud Etruſcos. 138.
Vmbellarum uſus apud veteres. 186.
Vnguenta oblata Defunctis. 139.
Vnguentis & floribus ornata ſimulacra Deorum. 133.
Vocabula Etruſca explicata. 83. 105. *106.* 107. 108.
VOLATERRANI laudati. IX. XVII. 35. *36.* Sullanis temporibus conflictati. *68.* Cicero eorum patronus. *ibid.*
VOLATERRARUM urbis laudes. 30. duo eius nomina: ſitus. 30. 31. eius moenia inſignia. *ibid.* 32. 33. 34. 35. eius colonia Populonium. 31. eius fodinae, & marmora varia ex alabaſtro. 32. porta Tuſcanica Architectura & magnificentia inſignis. 43. 44. 45. item piſcina *63.*
Volſci ex Etruſcis orti. 49.
Volta monſtrum Vulſinienſibus infeſtum. *160.*
Voltumnae Deae Fanum ad quod conventus ſuos Etruſci habebant. 47.
Vomer aheneus cur ab Etruſcis adhibitus in condendis urbibus. *9.*
Vrbes antequam conderentur, quae Etruſci ſervanda praeſcripſerint. 3. 4. ab *urvo*, non ab *orbe* dictae. 12. ubi conditae a Tuſcis. 24. duplex nomen forſitan habuere, unum arcanum, alterum vulgatum & commune ex Etruſca diſciplina. 31. quo tempore moenia ſua quadratis lapidibus exſtruxerint Tuſci. 41. Vrbes primum tres portas habuere. 45.
Vrbium conditores Dii habiti. 14.
Vrnae marmoreae erutae e Volaterranis Sepulcris. *92.* pictae & inauratae. *93. 95.* in modum parvi templi vel ſacrae aedis effictae. 114. 115. columnis impoſitae. *166.* utrum e Graecia in Etruriam delatae. 122. 123. 125. *126.* Hiſtorias Graecas praeſertim Homericas referunt. 122. 125. fictilium anaglypha, non prototypa, ſed ectypa ſunt: ea quoque picta & inaurata. *119.* 120. 127. apud Volaterranos Vrbium mechanicum opificium. *160.*
Vulpius Ioſeph Roccus laud. *56.* 123.
Vulſiniis ingens numerus Etruſcarum Statuarum. 123.

F I N I S.

CHARTARVM SERIES
HVIUS VOLVMINIS.

A B C D E. *Frons*, *Dedicatio*, *Praeſatio*, &c.

Claſs. I. A B C D E F G H I. *Heic ſubnecte Tab. XVIII.*

Claſs. II. K L M N O. *Heic ſubnecte Tab. XVIII.*

Claſs. III. P Q R S T V X Y Z AA. *Heic ſubnecte Tab. XXXIIII.*

Claſs. IV. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y. *Heic ſubnecte Tab. XXX.*

Omnes ſunt Duerniones, *praeter* I R T.

FLORENTIAE.
OPVS REGIO PERMISSV IN AEDIBVS AVCTORIS
PVBLICE PATENTIBVS. SVIS SVMTIBVS EXCVSVM.
DIVINA OPE INCHOATVM
KAL. APRILIS A. CIↃ.IↃ.CC.XXXXIII.
ET KAL. SEXTIL. A. CIↃ.IↃ.CC.XXXXIIII.
FELICITER ABSOLVTVM.

00082858

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 17 May, 2019